BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. MANUELE ROMA
8
20 — X
59

Digitized by Google

XX a 12

Digitized by Google

Bibliothecę Monasterij S^te
Crucis in Hierusalem
de Vrbe

18. C.

Digitized by Google

OCTAVA-
RIVM
ROMANVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

Gavantus Barthol.

OCTAVAE FESTORVM

Hoc est.

LECTIONES SECVNDI ET TERTII NOCTVRNI SINGVLIS DIEBVS RECITANDÆ INFRA OCTAVAS FESTORVM,

Præsertim Patronorum locorum, & Titularium Ecclesiarum, quæ iuxta Rubricas Breuiarij Romani celebrari debent.

A SACRA RITVVM CONGREGATIONE
Ad vsum totius Orbis Ecclesiarum approbatę.

Additis in hac secunda editione tum Responsorijs, tum lectionibus, quæ in prima ex eodem Breuiario hinc inde perquirebantur.

NEAPOLI,
Apud Lazarum Scorigium. M. DC. XXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illustris & Reuerendiß. D.

FRANCISCO BONCOMPAGNO, S.R.E. CARDINALI, Archiepiſcopo Neapolitano;

ministrijs, pauperes, & infirmos Christi membra, Ladere, & offendere, quam ipsum Christum Dominum in eorum persona ministrantem, ſuscipere, & honorare? Quæ cum ita ſint, Illustrissime, & Reuerendiſſime Princeps, ego ſeruus tuus, & Christi pauperum, & infirmorum, quos tu ſuſcipis, & honoras, ſeruus, ſi quid in hoc opere, quod tibi dedico, & conſecro, ſcripſi, quod tuæ Illuſtrissimæ Dominationi, & Christi pauperibus, & infirmis, quos tu ſuſcipis, & honoras, non placeat, id ſcripſi inuitus, & ignorans, & ſi quid ſcripſi, quod placeat, id ſcripſi ſpiritu Dei, qui

li. Quidni vero recuderem ego illud idem, quod in gratiam cælitum omnium fuit excusum? quod eum habet Auctorem, Clero nostro, ciuibusque non vno nomine gratissimum, quem in priori residentiæ tuæ quadragesima, posterorum velut Antesignanum, de suggestu Cathedralis ecclesiæ, Te semper præsente, & laudante, Illustrissime Princeps, frequentissimi, & libentissimi audiebamus? quod denique tuo nomine illustratum iterum prodit in lucem? Mihi certe, quod iterũ prodeat, proderit, tanquam testis obseruantiæ in te meę perpetuus: & sicuti ad aliquorum præstantiam, Pro octaua, inscribebantur Psalmi, Ambrosio teste: ita pro octauis non modo libellum, amplissimo tuo nomini dicatum, mole maius effectum (creuit Neapoli) virtute maximum, sed mihi videor euulgasse thesaurum. Deus Opt. Max. Te diu nobis seruet incolumem ad totius ecclesiæ militantis commoda, quæ per octauas indicantur, donec eodem Te Pastore summo in octauas triumphantis ecclesię oues inducantur. Vale.

Amplissimæ Dom. Tuæ.

Humill. & addictiss. seruus

Lazarus Scorigius.

Octauarium hoc à R. P. Bartholomæo Gauanto Cleric. Reg. S. Pauli celebrandis cũ octaua festiuitatibus iampridem elaboratum, ac referente bo. mem. Illustr. Card. Bellarmino à Sac. Rituum Congreg. non semel laudatũ probatumque, vt recitari possit, ne diutius religiosi viri desiderarent, eadem Congregatio, posse imprimi seorsum à Breuiario, vnanimi Illustriss. Patrum consensu decreuit. die 19. Februarij 1622.

Franc. Maria Card. à Monte.

Locus † Sigilli.

Io. Baptista Rinucinus Secret.

D. IVLIVS CAVALCANVS CONGREGATIONIS Cleric. Regularium S. Pauli Præpositus Generalis.

OCtauarium Romanum pro celebrãdis cum octaua festiuitatibus perutile opus, & Ecclesiæ Catholicæ prope necessarium, Auctore R. P. D. Bartholomæo Gauãto Præposito Collegij S. Pauli Bononiæ, Congregationis nostræ, Peritorum virorum è nostris iudicio, qui illud examinarunt, & S. Rituum Congregationis Decreto laudatum, & approbatum, pro eo munere, quod ad nos spectat, imprimendi facultatem concedimus. In quorum fidẽ has manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus. Mediol. in Collegio nostro SS. Apost. Pauli, & Barnabæ die 6. Decemb. 1623.

D. Iulius Caualcanus Præp. General.

Imprim. Iac. Terrag. Vic. Gen. Neap.

Vrbanus Epiſc. ſeruus ſeruorum Dei.

Dilecto filio Bartholomæo Gauanto Clerico Congregationis Cleric. Reg. S. Pauli ſalutem & Apoſtolicam benedictionem Sinceræ deuotionis affectus, quo Nos, & Romanã reuereris Eccleſiã, promeretur vt te ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequamur: Hinc eſt, quod Nos te, qui, vt aſſeris, vnũ, cui *Octauariũ Romanũ* à Sacra Congr. S. R. E. Cardinalium negotijs Rituum Præpoſitorũ approbatũ, & alterũ libros, cui *Cõmentaria in Rubricas Miſſalis et Breuiarij*, tituli ſunt, cõpoſuiſti, in lucẽ, habita iã ab eadem Congregatione primo dictũ librũ typis mandandi licentia, editurus es, ſpecialis gratiæ fauore proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſentẽtijs, cenſuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectũ præſentiũ dũtaxat conſequẽdũ, harũ ſerie abſoluentes, & abſolutũ fore cẽſentes, ſupplicationibus Nobis pro parte tua porrectis annuentes, tibi, vt ſi, & poſtquam dicti libri iuxta formã Conc. Trid. examinati, & approbati fuerint, vnum Typographũ, ſeu Bibliopolã pro dictorũ librorũ impreſſione arbitrio tuo ad decennium tantum conſtituere, & deputare poſſis, & valeas, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium cõcedimus, & indulgemus, ac licentiam & facultatem deſuper impartimur. Inhibentes omnibus, et ſingulis, tam in Romana Curia, quam extra eam exiſtentibus Typographis, et Bibliopolis quauis auctoritate, licentia, vel facultate fungentibus, ne ſub excommunicationis latæ ſentẽtiæ, alijſq; Eccleſiaſticis, et temporalibus cenſuris, ſententijs, et pœnis, excepto illo ſolo, qui à te licẽtiã, et facultatem habuerit libros prædictos, dicto Decennio durante, imprimant, aut imprimi faciant; decernẽteſq; irritum et inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, et ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcũque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, indulti, impartitionis, inhibitionis, et decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorũ Petri, et Pauli Apoſtolorũ eius ſe nouerit incurſurũ Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Sexcenteſimo Vigeſimotertio, quarto Cal. Februarij Põtificatus noſtri anno primo.

Io. Gallaterius.

Io. B. Ginus pro ſigill.

Locus ✠ plumbi.

Regiſt. fol. 188.

Digitized by Google

IVLIO CARD. ROMAE
MEDIOLANENSI
Pauli Camilli filio
A PAVLO V. OLIM CAMILLO ROMANO
Ad Vrbem Romam & Orbem
aliquando ſumme ornandum purpura
Donato
morum candore, ſuauitate, integritate,
bonarum artium peritia, & rerum
gerendarum prudentia conſpicuo
ſacrorum Rituum cuſtodi tenaciſsimo
Bartholomæus Gauantus Mediolan.
CLER. REGVL. S. PAVLI
Perpetuæ obſeruantiæ ergo
OCTAVARIVM ROMANVM
Auctoritate Maiorum à ſe editum
D. D. D.

KALENDARIVM

Festorum, qui in hoc Octauario proprias habent octauas.

Sanctissimæ Trinitatis pag. 1.

IANVARIVS.

25. Conuersionis S Pauli Ap. 102.

FEBRVARIVS.

2. Purific. B. Mariæ Virg. 51.
24. Matthiæ Apostoli. 109.

APRILIS.

11. Leonis Papæ Confess. 157.
17. Aniceti Papæ Martyris 157.

MAIVS.

1. Philippi & Iacobi Apost. 109.
2. Athanasij Episc. Confess. 157.
3. Inuentionis S. Crucis. 26.
4. Monicæ Viduæ. 158.
6. Ioan. ante portam latin. 113.
8. Apparit. S. Mich. Archang. 82.
12. Nerei, Achil. & Pancr. m. 158.

IVNIVS.

11. Barnabæ Apostoli. 115.
13. Basilij Episc. Confess. 160.
15. Viti, Mod. & Crescentiæ mar. 158.
18. Marci, & Marcelliani m. 158.

IVLIVS.

2. Visitationis B. Mariæ V. 57.
10. Septem fratrum mar. 158.
22. Mariæ Magdalenæ. 149.
23. Apollinaris Episc m. 158.
25. Iacobi Apostoli. 120.
29. Marthæ virginis. 153.

AVGVSTVS.

1. Petri ad Vincula. 125.
5. Dedic. S. Mariæ ad Niues. 64.
6. Transfigurat. Domini. 15.
7. Donati Episc. Mart. 158.
8. Cyriaci, Largi, & Smar. m. 159
24. Bartholomæi Ap. ext. Ro. 129
25. Eiusdem Barthol. Romæ. 133.
29. Decollat. S. Ioan. Bapiistę. 159
30. Felicis & Adaucti m. 159.

SEPTEMBER.

14. Exaltationis S. Crucis. 33.
21. Matthæi Apostoli Eu. 137.
29. Dedic. S. Michael Arch. 71.

OCTOBER.

4. Francisci Confessoris. 160.
25. Chrysanthi & Dariæ m. 159.
28. Simonis & Iudæ Apost. 144.

NOVEMBER.

17. Gregorij Thaumat. Ep. c. 159.
21. Præsent. B. Mariæ V. 69.
23. Clementis Papæ m. 160.
30. Andreæ Apostoli. 85.

DECEMBER.

8. Conceptionis B. Mariæ V. 44.
21. Thomæ Apostoli. 99.

Digitized by Google

ECCLESIASTICO LECTORI, ET BENEVOLO.

De origine Octauarum, causis, & ritu.

OCtauas, hoc est, per octo consequẽtes dies, festa quædam celebrandi mos fuit antiquissimus, Hebręis primum, mox Christianæ Ecclesiæ diuino consilio traditus, atque ritu perpetuo receptus. Primus Moyses, quamuis alias festiuitates non vltra septimum terminaret diem, festum tamen tabernaculorum mense septimo ita instituit, vt eius octauus dies, æque ac primus, haberetur celeberrimus, atque sanctissimus. Deinde Salomon post delatam Arcam testamenti in templum à se summo Deo dedicatum, detinuit populos diebus octo in hostijs pacificis, & holocaustis, quos dimisit in die octaua benedicentes Regi, lætantes, & alacri corde. cum autem illud idem templum aliquanto post fuisset prophanatum, expiauit illud Ezechias Rex diebus item octo, & sanctificauit. Haud secus præstitere Machabæi, qui diebus octo altare dedicarunt offerentes holocausta magna cum lætitia, & sacrificium salutaris, & laudis. Quorum omnium vti laudabiles consuetudines non modo Dei Filius in humanis degens non aboleuit, sed exemplo suo confirmauit, & probauit; tum ad encænia, tũ ad Scænopegiam ascendens, & immorans vsque ad octauum diem: In nouissimo quippe die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat dicens:

Origo.

Leu. 23.
3. reg. 8.

2. p. 18.

1. Mac.

Io. 10.
Io. 7.

Si quis

Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; Spiritum sanctum, octauo quia forte die, sub aquæ typo largiturus. Itaque par est credere, à Spiritu sancto doctos Apostolos, & Apostolicos viros, Octauarum Sacramenta ad nos vsque transmisisse; & pro diuersorũ ratione festorum, minus magisue celebres indixisse octauas. Certe ab Apostolorum tempore, post Dominicam diem, quæ frequentissima est Resurrectionis Domini octaua; &, vt habet Sanctus Ignatius, Regina est, & dierum Princeps, cæptæ sunt coli Paschatis octauæ, & Pentecostes ita, vt, retentis nominibus, quæ apud Hebræos erant in vsu, augustiora tamen mysteria, quæ noua erant in illis, celebrarentur; nimirum Crucis & Resurrectionis Dominicæ in Paschate, & aduentus Spiritus sancti paracliti in Pentecoste. Atqui eadem ratione, qua Apostoli prædicta festa seruanda decreuerunt, qui ijsdem successerunt Apostolici viri, reliquos dies festos cum octauis introduxerunt, vt celebriores solemnitates etiam octauarum additione illustrarent; sancte & pie mutuato ritu ab antiquis Iudæorum ritibus, vt in alijs multis testatur Sanctus Leo Papa. Eiusmodi fuere festa Natiuitatis, & Epiphaniæ Domini, de quorum octauis meminit Ordo Romanus, editus in lucem Stephano Summo Pontifice, Pipino, seu Carolo Magno procurante. Octauarum Ascensionis Domini, quod est festum antiquissimum, non puto recens institutum; de quibus Radulphus Tungrensis mentionem facit. Vrbanus IV. instituisse videtur, vel certe firmasse octauas Corporis Christi. Porro diuidit Radulphus

Apoc. 1. Et ad Magnes. Baron. A. D. 58.

Ser. 7. de ieiun. 7. men. Hittorp. de diuin. off in præfat. Propos. 19. ante annum 1400. A. D. 262. vbi supra.

alias

alias octauas in maiores, & minores: maiores vocat Assumptionis, & Natiuitatis B. Mariæ Virginis, necnon Apostolorum Petri, & Pauli: minores vero Andreæ, Laurentij, Martini, & penes Carthusienses, Ioannis Baptistæ. Amalarius antiquior Radulpho nouit octauas SS. Stephani, Io. Euangelistæ, & Innocentum. Indicat etiam, inter maiores haberi Sanctorum omnium octauam manuscriptus Codex antiquus citatus à Baronio. Sanciuit Papa Felix hoc nomine IV. vt per octo dies Dedicatio colatur Ecclesiarū, quem a Constantino edictam, & à S. Siluestro indictam per octo dies, scribunt S. Athanas. & Sozomenus. Denique Patronos locorum, & Titulares Ecclesiarum in sua quemque Ecclesia, locoue, solemni pompa concelebratos, docet Auctor Micrologi, qui Gregorio VII. Synchronos, & Anselmi Lucensis familiaris fuit. Immo uero insigni miraculo quadringentis & amplius annis præbuisse Deum populo terræ siccū iter in mari per tria milliaria, septem diebus, ad festa nimirum S. Clementis Papæ cum octauis peragenda, S. Ephræm Episcopus & Martyr, & S. Gregorius Turonensis constanter tradunt, & Hæc de origine.

Circa A. D. 830. l. 4. c. 37.

In not. ad Martyro. 8. Nou. de consecra. d. 1. c. 17 Apol. 2. l. 2. c 16

Circa A. D. 1080. A. 102. ad 586.

Cæterum quis neget, haud temere, sed diuino prorsus consilio Octauas esse adinuentas? neque solum ob eam causam, quam attigimus, vt celebritas esset illustrior; sed quia mystica sunt ea, quæ octonario notantur numero in sacris litteris; eaque multa mysterijs scatent & quamplurimis: nempe, quod in Arca Noe octo tantum animæ saluæ factæ sunt per aquam, vt B. Petri

Causæ.

1. Pet. 3.

verbis

1. Pet. 2. verbis vtar: quod item, qui primus erat Noe, octauum tamen iuſtitiæ præconem idem appellat Petrus: Quid, quod in templo Ezechieli demonſtrato, octo cubitorũ erat veſtibulum orientalis portæ? Quid, quod octo gradibus ad eandẽ, & auſtralem portam aſcendebatur? Quid, quod ibidem ſuper octo menſas immolabatur? Quid, quod à Moyſe Tabernaculi fœderis ea pars, quæ occidentalem reſpiciebat plagam (Roma occidentalis eſt) octo conſtabat tabulis? Taceo prædefinitum octauum diem circumciſioni, oblationi pecorum, altaris expiationi, ſacerdotum conſecrationi, emundationi leproſorum, & ſeminifluorum. Cur quibuſdam Pſalmis octauæ titulus datus? cur pro octaua, in cytharis octo chordarũ, ſi Ruperto credimus, modulatio præcepta ab eo qui inter filios Iſai octauus fuit, ab Iſai negle-ctus; à Deo, quia octauus, electus? Pro pace Chriſti tempore danda, habes in Michæa octo primates homines; vel, vt legit Ambroſius, octo morſus hominum: & à Salomone mãdatum accipis dare partem ſeptem, nec non & octo: quibusnã? Difficilis plane locus: Ambroſius dixit, fortaſſe benedictionibus, ſeu, quod idem eſt, octo beatitudinibus. Et quidem Pythagorici iuſtitiam hoc numero ſignificabant: quia primus omnium ita ſoluitur in numeros pariter pares, hoc eſt, in bis quaterna: vt nihilominus in numeros æque pariter pares diuiſio quoque ipſa ſoluatur, hoc eſt, in bis bina. Et quia ex his apparet, quanta & partium ſuarum, & ſeorſum ſua plenitudine nitatur, plenum hunc vocauere numerum; quippe qui efficit cubum, corporeæ ſoliditatis indiciũ.

Exod. 26. 36.
Gen. 17.
Exo. 22.
Ezec. 43.
Leu. 9. 14 15.
pſ. 6. et 11
1. par. 15.
8. de diu. off. 5.
1. reg. 16.
Mich. 5.
ep. 39.
Eccl. 11.
S. in Luc. 6.
Varro 1. de ſomn. Scipion.
Syl. Allegat.

Ad-

Adde, ad ipſam cæli harmoniam hunc vnum numerum aptiſſimum eſſe, quod & in muſicis verum eſt: octo enim ſphæræ ſunt, quæ mouentur; reliquæ ſunt immobiles. Sed abſit (cum Ambroſio loquar diſputante de ſeptenario) abſit, in quã, vt Pythagorico, & philoſophorum more iſta tractemus, & non ſecundum formam, & diuiſionem gratiæ ſpiritalis: tametſi hactenus plenitudinem, concentumque iuſtitiæ in octaua ſignificauimus. Ep. 39.

Itaque Sanctus Hilarius hæc tradit: Conſummatio doctrinæ, & eruditionis noſtræ ſub perfecti huius numeri abſolutione concluditur; ante quem neque munda Deo hoſtia fuit, neque in generis familia quis ceſſante circumciſione ſuſceptus eſt, & ex quo rurſum iterandæ generationis cœpit exordium. Clemens autem Alexandrinus; octo, ait, qui eſt primus cubus, eſt æqualitas in omnibus dimenſionibus, longitudinis, latitudinis, & altitudinis. An earum quoque, de quibus Sanctus Paulus ad Epheſios? ſed fuſius enarrantem audiamus S. Ambroſium: qui octaua die regenerationis ſortitur myſteria, conſecratur per gratiam, & ad hæreditatem regni cæleſtis vocatur. Magna in virtutibus Spiritus ſancti hebdomadis gratia, eadem tamen hebdomadem ſonat, ogdoadem conſecrat: in illa ſonus, in iſta fructus eſt; ideoque octauo die ſoluta paradiſo reddidit ſpiritus gratia, quos extorres ſua fecerat culpa. Hebdomas veteris teſtamenti eſt, octaua noui, quando Chriſtus reſurrexit, & dies omnibus nouæ ſalutis illuxit. Propterea & vetus teſtamentum dedit partem

In pſ. 118

Li. ſtro. 6.

Eph. 3.

Enarr. 2. ad Horo tianum.

octauæ

octauæ in circumcisionis solemnitate : sed illa adhuc in vmbra latebat. Venit Sol iustitiæ, & consummatione passionis propriæ reuelauit sui luminis radios, quos retexit omnibus, & vitæ claritatem aperuit æternæ. Præclarius inf a, prænarratis septem ætatibus humanæ vitæ : Octaua, inquit, vnam & perpetuam ætatem inuehit, qua excrescimus in virum perfectum, in agnitione Dei, fidei plenitudine, in qua legitimæ ætatis mensura impletur. Septima mundi ætas concluſa est; octaua illuxit gratia, quæ fecit hominem iam non huius mundi esse, sed supra mũdum. Sanctus Augustinus extremam his apponat manum; Octaua, inquit, tanquam ad caput redit, quia consummatũ, perfectumque ostendit, ac probat: septem sunt, quæ perficiunt (erat sermo de octo beatitudinibus) octaua clarificat, & quod perfectum est, demonstrat. An igitur Octauæ nomine Patres intelligunt consummationem doctrinæ? An solidam virtutis formam? an æternam animarum beatitatem? an corporum glorioſam resurrectionem? an gratiæ totius & gloriæ plenitudinem omnem cum claritate coniunctam? Hæc omnes omnia: quibuscum concordat Euangelium; quod octauo die dubitantem Thomam fide instruit, & roborat; quod per octo beatitudines virtutis quasi viam sternit; quod animarum & corporum splendorem, immortalitatem, & gloriam in octauo quodam à Christi promissione die, repræsentat in monte; quod denique non nisi Iesum sonat, plenum gratiæ & veritatis; nomine quoque præferentem multiplicem octauam, bono-

Li. 1. Ser. D. in mõte c. 3.

Ioan. 20.

Matt. 5.

Luc. 9.

Ioa. 1.

Digitized by Goog

bonorum omnium pleniſſimam : ſiquidem ſex litteræ nominis eius Græcanici tantum valent, ſupputante Beda, quantum numerus octingentorum octoginta octo : dicam & ego; vt, quemadmodum à ſenario numero, qui laboris eſt, Antichriſti deriuat nomen, cuius numerus eſt in Apocalypſi, 666; ita ab octonario, qui æternæ quietis eſt, Chriſti nomen, cuius numerus eſt, 888. perpetuæ ſalutis noſtræ myſteria portet. Celebramus igitur, octauarum titulo, Chriſtum Ieſum in primis; tum doctrinam, uirtutes, beatorũ gaudia, futuram eorundem regenerationem, glorioſam immortalitatem, & cumulum bonorum omnium. Celebretur per ſeptem dies (audi Fortunatum nomine & re) opus ſeptiformis Spiritus: & in octaua die conſummatio, & declaratio, atque glorificatio eiuſdem operis: & infra, in natalitijs Sanctorum monet debere nos gratulari receptationi animarum in beatã requiem: in octauis deinde, reſurrectioni corporum.

Ι	10.
Η	8.
Σ	200.
Ο	70.
Τ	400.
Σ	200.
	888.

Lib. 1. in Luc. c. 8.

Apoc. 13.

Li. 4. c. 29

Cap. 36.

Ideo & dies octaua eodem ritu, quo prima colitur; Moyſe quoque hoc ipſum præcipiente: quod ſi diuerſo ritu interiacẽtes percurras dies, non tamen minore cultu, quam extremos. Qua de re duo prorſus obſeruanda; alterum notauit Heſychius; tam extremis, quam medijs voluiſſe Moyſen in prima illa octaua offerri holocauſta; vt nimirum doceamur debere nos exempla Sanctorum ſequi, & toto tempore vitæ, quod ſeptenario ſignificatur, Deo placere quouſque Deo octaua demum die fruamur: alterum à Radulpho indicatur; Dies priuatos infra maiores octauas reputari, quaſi forent temporis Paſcha-

Ritus. leu. 3.

Lib. 6. in leuit.

Propoſ. 19.

lis lætitiæ quammaxime ſpiritualis. Quæ cum ita ſint, quis digne ſatis vnquam colat, celebretque inſtitutas pro meritis merito Sanctorum octauas? ſi non valemus eorum natalitia digne venerari, quanto minus octauas? Magnitudo feſti, Radulphus ait, à nobis exigit, vt & prius illud
Ibid. incipiamus, & tardius terminemus: prius autem dicimur incipere, quando vigiliæ officio feſtum præuenimus: tardiuſque terminamus, cum ad octauam diem feſtum protendimus. Præueniamus ergo, & prorogemus, vt ardentius quos debemus recolamus: quæve vno die minus poſſumus; ſeu, quæ ipſo feſto die, heu, negligimus; reliquis diebus compenſemus. Quoniam vero pro naturæ noſtræ imbecillitate facile laſſeſcimus, & cõſuetudine aurium, in ijſdem diuinis officijs repetendis aſſueſcunt, & langueſcunt animi, vt contra potius exardeſcant ij; Maiores noſtri, Spiritu ſancto ducti (immutatis reliquis, vt vna, eademque ſit ſolemnitas) Lectiones varias è SS. Patribus deprompſere, tum ſecundi, tum tertij nocturni, quæ iuuant mirifice & contra tædium, & ad excitandam pietatem: quod vtinam in omnibus octauis contigiſſet fieri: deſideratæ ſunt enim hactenus Sanctorum Patronorum & Titularium particularium Eccleſiarum octauæ, infra quas eadem relegere, quæ in die feſto ſunt lecta, videbatur ſatis graue.

Sed ecce tandem (procul eſto torpor & animorum languor) ecce quas concupiſti octauas, à Sacra Rituum Congregatione, atque à ſanctiſſima Apoſtolica Sede approbatas; à qua haud ſcio, an in ſacris ritibus quicquam deſiderare queas,

Digitized by Google

queas, poſt edita iam, & bene recognita Pontificale, Cæremoniale, Miſſale, Breuiarium, & Rituale.

Exiguum eſt opuſculum: non fuit exiguus tamen labor, ac diligentia in expiſcando quandoque ex oceano Sanctorum Patrum magis recondita. Audeo dicere: melius nequaquam in hoc genere SS. Patres ſcripſere. Habes indices Octauarum, & Patrum, in proximis primis pagellis, quibus adiecimus Rubricas omnes, quæ ad Octauas pertinent è Breuiario huc translatas, & nonnullas diuerſo charactere magis explicatas: Plura, fateor, potuiſſent dari, puta quorundam proprijſſima feſtorum; & dediſſem, niſi maiorum noſtrorum iudicio, & auctoritati, vti par eſt, acquieuiſſem. Quicquid autem boni in hoc qualicũque opere repereris, in Deum Opt. Max. ſtatim refer. Deinde habeto magnam gratiam pijſſimo viro, & eruditiſsimo bonæ memoriæ Siluio Card. Antoniano; qui mihi, vt facerem, demandauit ſæpius; cum ille me minus peritum, in eorum numerum cooptaſſet, qui Clementis VIII. auctoritate recognoſcendis Romano Miſſali, & Breuiario prætecti erant; ſatis illi facere nunquam potui concionibus aſsiduis, alijſue diſciplinæ regularis negotijs ſemper implicitus: curis aliquando vacuus, obtemperaui tandem. Parem etiam, immo maiorem habeto gratiam optimo, & in omni doctrinæ genere præſtantiſsimo Roberto Card. Bellarmino, de ſacris ritibus, atque adeo de vniuerſa Eccleſia optime merito, qui vel poſtremo currenti calcaria addidit, ad honorem Dei, & Sanctorum ad

Ecclesiæ totius spiritale solatium, & non modicam vtilitatem, sed ò vtinam edidisset tantus vir, quæ ipse iam, si non omnia, parauerat multa ad has ipsas octauas celebrandas : quæ nescio quo fato deperdita in nostra hæc, perdenda potius, sunt commutata. Hoc vnũ à te, benigne lector, enixe peto, & quãta possum animi humilitate rogo: vt quotiescumque pro celebranda octaua pius ad hæc legenda veneris, mei quoque miserrimi peccatoris apud Deum reminiscaris.

Don Bartholomæus Gauantus Cler. Reg. S. Pauli.

IN-

Digitized by Google

INDEX OCTAVARVM;
Quæ habentur in hoc Octauario.

PROPRIÆ.

Sanctiſsimæ Trinitatis. Lec. 2. & 3. Noc. pag. 1. & ſeqq.

Transfigurationis Domini, ſeu Feſti Saluatoris. Lect. 2. & 3. noct. pag. 15.

Feſtorum S. Crucis. Lect. 2. noct. 26.

Et Lec. 3. noct. in Euang. { Feſti Inuentionis. 26. / Feſti Exaltationis. 33.

Feſtorum B.M. Lect. 2. noct. 36.

Et Lect. 3. noct. in Euang. Feſtorum. { Conceptionis. 44. / Purificationis. 51. / Viſitationis. 57. / S. Mariæ ad Niues. 64. / Præſentationis. 69.

Dedic. S. Michaelis Archangeli. Lect. 2. & 3. Noct. 71. & Apparit. eiuſdem lect. 2. & 3. noct. 82.

Feſtorum SS. Apoſtolorum. { Andreæ. Lect. 2. & 3. noct. 85. / Thomæ. Lect. 3. noct. 99. / Conuerſ. S. Pauli. Lect. 2. noc. 102. / Matthiæ. 109. / Philippi & Iacobi. Lec. 3. noc. 109. / Ioan. ante portam lat. Lec. 3. noc. 113. / Barnabæ. Lec. 3. noc. 115. / Iacobi. Lect. 3. noc. 120. / Petri ad Vincula. Lec. 3. noc. 125. / Bartho. ext. Rom. Le. 3. no. 129. Rom. 133 / Matthæi. Lec. 3. noc. 137. / Simonis & Iudæ. Lect. 3. noc. 144.

S. Mariæ Magdalenæ. Lec. 3. noc. 149.

S. Marthę. Lec. 3. noc. 153.

Digitized by Google

S. Leonis Papæ. 157.
S. Aniceti pap.m. 157.
S. Athanaſ.epiſc.& conf. 157.
S. Monicæ viduæ. 158.
SS. Nereĳ,&c. mart. 158.
SS. Viti & cet.mar. 158.
SS. Marci,& Marcelliani mar. 158.
SS. Septem Fratrum mart. 158.
S. Apollinaris epiſc. & mart. 158.
S. Donati ep. mar. 158.
SS. Cyriaci & cet.mar. 158.
Decollationis S.Ioan.Bapiſtæ. 158.
SS. Felicis & Adaucti mar. 158.
SS. Chryſanthi,& Dariæ mar. 158.
S. Gregorĳ Thaumat. 158.
S. Baſilĳ ep.conf. 159.
S. Franciſci conf. 159.
S. Clementis pa.mar.& aliorum 159.

C O M M V N E S.

Apoſtolorum.Lec.2.noc.1.
Euangeliſtarum.Lec.2.noc.11.Et 3.noc.20.
Martyris Pontificis.Lec.2.noc.28.
Et 3.noc. in Euan { Si quis venit ad me.36. / Si quis vult venire.46.
Martyris non Pontificis. Lec.2.noc.54.
Et 3.noc.in Euan. { Nolite arbitrari.61. / Nihil opertum.70. / Niſi granum frumenti.79.
Martyrum tempore Paſch.Lec.2.noc.89.
Et 3.noc. in Euan. { Ego ſum vitis vera.91. / Ego ſum vitis,vos palm. 98. / Plorabitis,& flebitis. 106.
Plurim.Martyrum extra tempus Paſch. Lect.2.107.

Cum

Et 3.noc.in Euang. { Cum audieritis prælia 115. / Descendens Iesus. 123. / Sedente Iesu super montem. 131. / Videns Iesus turbas. 139. / Confiteor tibi Pater. 150. / Væ vobis, qui ædificatis. 159. / Qui vos audit, me audit. 160. / Attendite à fermento. 162.

Confess. Pontif. Lect. 2. noct. 171.

Et 3. noc. in Euang. { Homo quidam peregre. 178. / Vigilate quia nescitis. 186. / Nemo accendit lucernam. 193. / Videte, Vigilate. 202.

Doctorum. Lect. 2. & 3 noct 204.

Conf. non Pont. Lect. 2. noct. 218.

Et 3. noc. in Euan. { Sint lumbi vestri. 226. / Nolite timere pusilus. 335. / Homo quidam nobilis. 243.

Abbatum. Lect. 3. noct. 251.

Virginum. Lect. 2. noct. 261.

Et 3. noc. in Euan. { Decem virginibus. 269. / Accesserunt. 278.

Martyrum non Virg. Lect. 2. noc. 289.

Et 3. noc. in Euan. Simile Thesauro. 295.

Nec Virginum, nec Martyrum. Lect. 2. noc. 304.

Et 3. noc. in Euang. Ibat Iesus in Ciuitatem. 314.

Index SS. Patrum, è quibus desumptæ sunt Octauarij lectiones.

Ambrosius.
Athanasius.
Augustinus.
Basilius.
Beda.
Bernardus.
Cyprianus.
Cyrillus Alexand.
Epiphanius.
Fulgentius.
Gregor. Magnus.
Gregor. Nazianz.
Gregorius Nyssen.
Hieronymus.
Hilarius.
Io. Chrysostomus.
Irenæus.
Leo Papa.
Maximus.
Petrus Chrysologus.

EX RVBRICIS
Generalibus Breuiarij Romani.
CLEMENTIS OCTAVI
Auctoritate recogniti.

Cum aliquibus adnotationibus ad octauas spectantibus.

De Octauis VII.

DE octaua fit officium, vel saltem commemoratio (quando aliquo Festo vel Dominica impeditur) per octo dies continuos, in Paschate Resurrectionis, in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Festo Corporis Christi, in Festis, quibus in Kalẽdario apponitur octaua, item in Festo Dedicationis propriæ Ecclesiæ, & in Festo principalis Patroni, & Titularis loci, vel Ecclesiæ, & in Festis aliorum Sanctorum, quæ apud quasdã Ecclesias Congregationes, & Religiones consueuerunt solemniter cum octauis celebrari: nisi illa Festa venerint in Quadragesima, quo tẽpore omittitur officium cuiuscumque octauæ. Quod si aliquod Festũ, quod celebrari solet cum octaua, paulo ante Quadragesimam venerit, & iã per aliquot dies factũ sit officiũ de eius octaua, adueniẽte Quadragesima nihil amplius fiat de ea, nec cõmemoratio, & idẽ seruetur de octauis nondũ absolutis, quando superuenit Festum Pentecostes, & Natiuitatis Domini.

1. *Nota.*

Digitized by Google

Hic incipit Prologus in Vitas Sanctorum Patrum

Hic incipit prologus sancti Ieronimi presbiteri in vitas sanctorum patrum. Quoniam quidam fratres ex Egypto ad me uenientes petierunt ut uitas sanctorum patrum quas uel audierant uel in libris legerant ad memoriam reuocarem. Et ego hoc facere non distuli. Primum quia ipse quoque cupiebam. Deinde quia non mediocrem fructum in huiusmodi narratione esse perspexi. Quis enim legens uitam beati Pauli primi heremite et non mirabitur electionem dei et eius nobis exemplo fortissimum propositum. Quis Antonii monachorum principis uitam legens non statim in eius imitationem accendetur. Quis monasteria uidens et cellulas per heremum dispositas et non gaudebit et quasi de quodam paradiso fructum colligens non sibi aliquid de tali cultura uindicabit. Quis Hilarionis abbatis uitam legens et non postea monachum se esse cognoscat. Quis Macharii Alexandrini et Macharii Egyptii uitam legens et non intra semetipsum ingrediatur et se quasi in speculo non intueatur. Quis Pambonis uitam legens et non statim ad eius imitationem se conuertat. Quis Arsenii uitam legens et non statim ad eius imitationem se conuertat. Quis Theonis uitam legens et non statim ad eius imitationem se conuertat. Quis Ioannis uitam legens et non statim ad eius imitationem se conuertat. Quis Serapionis uitam legens et non statim ad eius imitationem se conuertat. Quis Pauli simplicis uitam legens et non statim ad eius imitationem se conuertat. Quis Ioann

troni Ecclesiæ cum alia octaua) quando non erunt celebranda Festa nouem lectionum, vel dies Dominicus, fiet officium de digniori cum commemoratione alterius.

2 *Caue, ne pro digniori accipias eũ qui potiorem habere videatur locum in Ecclesia, vbi octaua celebratur, sed attẽde classes Festorum & octauarũ cõcurrẽtiũ, & in pari classe attẽde ordinẽ personarum, & earum dignitatẽ puta, octaua S. Laurentij cedet octauæ S. Claræ in Ecclesia S. Claræ; non autẽ cedet octaua Assumptionis B. V. seu omniũ Sanctorũ octauæ alicuius S Patroni loci, seu Tituli Ecclesiæ. Attende quoque dignitatem ex eo titulo cæteris paribus, quod ab Ecclesia vniuersali celebratur.*

De die autẽ octaua cuiuscũq; Festi fit totũ officiũ Duplex cum cõmemoratione diei infra aliã octauã. De festis occurrẽtibus in die octaua seruetur quod dicitur in Rubrica de translatione Festorum.

3 *Hoc est: Si in die octaua alicuius Festi habentis octauam occurrat aliquod Festũ Duplex ex maioribus in Rubrica de cõmemorat. enumeratis, fiat de Festo cum cõmem. diei octauæ: excepta die octaua Natiuitatis Domini, et Epiphaniæ, in quibus nõ fit de aliquo Festo, sed transfertur in primam diẽ similiter non impeditã. Si autẽ non fuerit ex prædictis Festis fiat de octaua, & Festum trãsferatur.*

Officium de octaua fit cũ tribus Nocturnis, nouẽ scilicet Psalmis, & nouẽ lectionibus (exceptis octauis Paschæ & Pẽtecostes, in quibus fit cũ vno Noc. vt suis locis ponitur) & omnia dicũtur sicut in die Festi: præter lectiones: quarum primæ tres semper sunt de scriptura occurrente in officio de Tẽpore, præterquã infra octauam Assumptionis B. Marię, in

qua

Digitized by Google

cum Epistola Alphonsi de suo laborum prouentu
ad Carolum Comitem, & de Sublimatione Salis & Ar-
moniaci, & Vitrioli, & Aluminis, & Nitri, & Borracis,
& de Aquis fortibus, & de Aqua Regis, & de Aqua
Auri: & quomodo Calx, quæ de Auro & Argento
remanet, reducatur ad pristinum pondus suum, &
de Aqua Viridi, & de Aqua Secunda, & de Aqua
Tertia, & de Aqua Quarta, & de Aqua Quinta, &
qualiter Aqua Fortis dissoluat Aurum, & non Ar-
gentum, & qualiter Aqua Fortis dissoluat Argen-
tum, & non Aurum.

Liber Secundus qui dicitur Lumen Luminum, & Lapis Philosophorum, & Secretum Secretorum, & Philosophia Philosophiæ, & Scientia Scientiarum, & Alchimia Alchimiæ, & Tinctura Tincturarum, & Medicina Medicinarum, & Elixir Elixirum, & Magisterium Magisteriorum, & Fermentum Fermentorum, & Solutio Solutionum, & Coagulum Coagulorum, & Conjunctio Conjunctionum, & Albificatio Albificationum, & Rubificatio Rubificationum, & Tinctura Tinctorum, & Ars Artium, & Scientia Scientiarum, & Sapientia Sapientiarum, & Fermentatio Fermentationum, & Fixio Fixionum, & Ablutio Ablutionum, & Mundificatio Mundificationum, & Reductio Reductionum, & Sublimatio Sublimationum, & Ascensio Ascensionum, & Descensio Descensionum, & Distillatio Distillationum, & Cohobatio Cohobationum, & Cibatio Cibationum, & Terra Terrarum, & Aqua Aquarum, & Aer Aerum, & Ignis Ignium, & Vinum Vinorum, & Vinum Ardens Vinorum, & Vinum Ardens Ardentium, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum, & Vinum Ardens Ardentium Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissimum Ardentissimorum Ardentissim

In Dominicis infra alias octauas fit de Dominica, vt in Psalterio, & in proprio de tẽpore cũ cõm. octauæ. De Dominica occurrente in die octaua fit tantum commemoratio, nisi aliud notetur.

De Commemorationibus. IX.

De octaua, quando festum nouem lectionum, vel Dominica impeditur, fit commemoratio, nisi illud Festum nouem lectionum fuerit solemne principale alicuius loci: & nisi fuerit dies octaua.

Idẽ seruatur in Festis primę classis, quod in Festo solẽni principali loci; ne scilicet fiat cõmemoratio de oct. nec in vtrisq; Vesperis festi, nec in Laudibus.

In festis autem secũdæ classis idem seruatur; nisi quod in secundis Vesperis huiusmodi Festi fit commemoratio de die infra octauam, si de ea sequenti die faciẽdum sit officiũ: sed de octauis Natiuitatis Domini. Epiphaniæ, & Corporis Christi semper fit commemoratio in vtrisque Vesperis, & Laudibus, quocunque Duplici infra eas adueniente.

De Translatione Festorum. X.

Quando Festum habens oct. transfertur, nõ ideo dies octaua trãsferatur, sed ipsa die de ea fiat cõm. quæ alias erat octaua, si Festum non fuisset translatum: quod si Festum post totam suam octauã trãsferri contigerit, illo anno celebretur sine octaua, nisi Titularis Ecclesiæ priuilegio aliter fieri oporteat.

Si aliquod Festum Duplex infra octauam occurrens, alio maiori Festo Duplici impediatur, transferatur in primam diem similiter non impeditam, & in eo fiat commem. de octaua.

Festũ Semiduplex occurrens in Dominicis infra illas octauas, in quibus fit de Festis occurrentibus, trãsfertur in sequẽtẽ diẽ cũ cõm. octauę: quæ si fuerit

alio

alio Festo duplici, vel semiduplici impedita, prædictum Festum semiduplex veniens in Dominica, transfertur post octauam: ita vt Festum semiduplex infra octauam non transferatur, nisi in proxime sequentem diem.

De concurrentia Officij. x i.

Duplici concurrente cum die octaua, si eiusdem sint solemnitatis, regulariter à capitulo fit de die octãua: si non sint eiusdem solemnitatis, Festum maius habeat primas, & secundas Vesperas cum commem. minoris.

Duplici concurrente cum die infra octauam, omnia de duplici cum comm. octauæ, nisi Duplex fuerit primæ classis.

Semiduplici cõcurrente cum die infra octauam, à capitulo fit de sequenti, & commemoratio præcedentis, nisi aliter signetur.

Dominica concurrente cum die infra octauã, omnia de Dominica cum comm. sequentis.

Die infra octauam concurrente cum sequente Dominica, vel Semiduplici, à capitulo fit de sequẽti, cũ comm. oct. Cum Simplici non concurrit proprie Dies infra octauã, sed fit de Simplici cõmemoratio.

Die octaua concurrente cũ alia die octaua à capitulo fit de sequenti, cum comm. præcedentis: excepta octaua corporis Christi concurrente cum octaua S. Io. & quando aliter in locis proprijs notatur.

Die octaua concurrente cum sequeuti Duplici, etiã translato, à capitulo fit de sequenti, cũ comm. octauæ; excepta die octaua Epiph. Paschæ, Ascensionis, & Corporis Christi, in quibus de sequẽtibus fit tantum commemoratio. Si autem sequens Festum, etiam translatum, fuerit ex solemnioribus enu-

mera-

meratis in Rubrica de commemorationibus, hoc eſt, primæ & ſecundæ claſſis, totum officium fit de ſequenti cum comm. octauæ.

1 *Quid ſi dies octaua occurat in Dominicis primæ, vel ſecũdæ claſſis, in quibus de octaua faciẽda eſt tantùm commemoratio; Vtrum Veſperæ præcedentes dicẽdæ ſint de die octaua, an vero de die ſequẽti? Dicendæ ſunt Veſperæ (niſi concurrant cum alio Feſto præcedenti) de officio ſequenti, cũ comm. diei oct. vt in primis Veſp. feſti, quia cũ dies octaua non habeat officiũ in die ſequenti, nec etiã conuenit habere primas veſperas in præcedenti, vt in ſimili caſu dicitur de Cõcurr. ẽt. offic. nu. 10. & hoc rurſus decreuit Sacra Congreg. Rit. die 9. Nouemb. 1622.*

De Pſalmis. XXII.

In Veſperis infra octauã dicuntur Pſalmi vt in 2. Veſperis Feſti: ſed in primis Veſperis diei oct. dicũtur, vt in primis Veſperis Feſti, niſi aliter notetur.

De Lectionibus. XXVI.

Si in aliquibus Ferijs 4. temporum, fer. 2. Rogationum, Vigilia Aſcenſionis, occurrat dies octauæ alicuius Feſti habentis octauã, in primo Nocturno diei octauæ repetantur lectiones, quæ in primo nocturno Feſti lectæ fuerint.

1 *Nota. Idem fere fiat, ſi in prædictis ferijs occurrat dies infra octauam, vt nimirum ſumantur de cõmuni, quod indicatur in Rub. poſtea in com. Apo.*

Nota pro vſu huius octauarij.

2 *Item accidere poteſt in legendis lectionibus 2. & 3. Nocturni octauarum communium, quæ in hoc volumine continentur; quod ratione Feſtorum infra octauas occurrentium omitti debeant initia vel Sermonum, vel Homiliarum; de quibus tamen poſt Feſtum occurrens eſt rurſus legendum: & tũc poſt*

tale

tale Festum, non legatur titulus, De sermone, vel, De Homilia, cum nondum de ijsdem lectum sit; sed dicatur simpliciter; Sermo, seu, Homilia S. N. ac si esset initium Sermonis, seu Homiliæ; vel legatur initium ipsum in præcedentibus diebus positum, prout videbitur magis congruere. Idem seruetur, quando in die octaua præscribitur, sumi aliquas infra octauam omissas, ob diem Dominicam, seu Festum occurrens.

De Responsorijs breuibus Horarum. XXVIII.

Responsoria breuia, quæ ponuntur in Festo habente octauam, dicuntur per totam octauam, quando fit de octaua.

De Oratione. XXX.

Infra octauas dicitur oratio, vt in die Festi, similiter, & in die octaua, nisi alia propria assignetur.

De Hymno, Te Deum. XXXI.

Hymnus, Te Deum, dicitur in omnibus festis, & per eorum octauas, excepto Festo SS. Innocentum, nisi venerit in Dominica; dicitur tamen in eius die octaua.

De Symbolo S. Athanasij. XXXIII.

Non dicitur in Dominicis infra octauas Natiu. Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, & Corporis Christi; in Dominicis infra alias octauas dicitur.

De Precibus. XXXIV.

Preces Dominicales ad Primam, & Completorium non dicuntur infra octauas, etiamsi non fiat officiũ de octaua.

De Commem. Communibus. XXXV.

Suffragia de Sanctis non dicuntur infra octauas, etiam si non fiat de octaua.

ABSO-

Digitized by Google

ABSOLVTIONES, ET BENEDICTIONES dicendæ ante Lectiones 2. & 3. noct. in officio de octaua.

In 2. Nocturno Absolutio

IPsius pietas & misericordia nos adiuuet, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Benedictiones.

4 Deus Pater omnipotens sit nobis propitius & clemens. ℟. Amen.

5 Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ.

6 Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris.

In 3. Nocturno, Absolutio.

AVinculis peccatorum nostrorũ absoluat nos omnipotens, & misericors Dominus. ℟. Amen.

Benedictiones

7 Euangelica lectio sit nobis salus & protectio.

8 Diuinum auxilium maneat semper nobiscum.

9 Ad societatem ciuium supernorum perducat nos Rex Angelorum.

Si Officium fit de octaua alicuius Sancti, octaua Benedictio erit.

Cuius festium colimus, ipse, vel ipsa, intercedat pro nobis ad Dominum.

Quando sunt plures, dicitur Quorum, vel Quarum festum colimus, ipsi, vel ipsæ intercedãt pro nobis ad Dominum.

Si Officium fit de octaua S. Mariæ. oct. Benedictio erit.

Cuius festum colimus, ipsa Virgo uirginum intercedat pro nobis ad Dñm.

Si in vltima lectione legendum sit aliud Euangel. cũ Homilia, 9. Benedict. erit.

Per Euangelica dicta deleãtur nostra delicta.

Digitized by Google

OCTAVAE PROPRIAE,

HOC EST

Lectiones propriæ pro ſecundo, & tertio Nocturno, infrà octauas eorum Feſtorum recitandæ, quæ in Breuiario Romano proprio ritu celebrantur.

INFRA OCTAVAM SANCTISS. TRINITATIS.

Fer. 2. SECVNDA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Athanaſij Epiſc. *In id. omnia mihi tradita. poſt initium.* Lect. 4.

MIrũ eſt, impios nefaria audere garrire, cũ & homines ſint, & quę in terra sũt, nequeãt explicare. Sed quid dico, q̃ in terra sũt? imo vel ſua ipſorũ nobis exponãt, videantque num ſatis explorate inueſtigare queãt, quæ ipſorum naturæ ſunt. Homines profecto audaces, & proterui, qui non tremant eã gloriã, in quã cupiunt Angeli proni, inclinatique aſpicere; cum præ illis lõge ſint natura, & ordine ſublimiores. Quid enim propinquius Cherubinis, & Seraphinis? Illi nõ obtuentur hãc Maieſtatẽ, aut in pedibus erectos ſe tenent, imo ne faciẽ quidẽ nudam relinquunt, ſed ea obuelata gloriã, Maieſtatemq; Dei labijs nunquam ceſſantibus extollunt, nihil aliud, quàm diuinam & ineffabilem naturam triplici titulo Sanctitatis glorificantes.

℣. Quis Deus magnus ſicut Deus noſter? Tu es Deus, qui facis mirabilia.

℟. Notam feciſti in populis virtutem tuam, redemiſti in brachio tuo populum tuum. Tu es Deus. Lect. 5.

NEque eſt quiſquã sãctorũ Prophetarum inter eos, qui maxime digni habiti ſunt, vt iſtiuſmodi ſpectaculis intereſſent, qui nobis id ſe audiſſe renũtiauit, Angelos illos in primis vicibus exclamandi, Sanctus, maxima voce vſos eſſe: in ſecundis autẽ non æque magna: in tertijs adhuc ſubmiſſiori: & primã ſanctificationem propriam, legitimamq; eſſe, ſecundam inferioris notæ, tertiã adhuc gradatim deterioris conditionis eſſe. Apageſis, valeat dementia execrabiliũ hominum. Trinitas enim vndecũque laudabilis, & venerabilis, & adoranda vna eſt, & indiuiſibilis, & quæ figura exprimi nequeat. ℟. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in ſæcula ſempiterna, O beata Trinitas. ℣. Et benedictũ nomen gloriæ tuæ ſanctum, & laudabile, & ſuperexaltatum in ſęcula. O beata. Lect. 6.

COniunguntur autẽ vna hę ſanctificationes pro inſecabili illa vnitate. In eo enim ipſo, quo ampliſsima illa animantia tertio proferunt glorificationem, dum aiunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, triplici numero tres perfectas, abſolutas, integras perſonas oſtendũt. Quemadmodum ſub vnica voce, Dominus, vnam ſubſtãtiam declarant. Hæc eſt enim vera doctrina, hoc eſt verũ ſignũ, argumentumq; quod ita iſta inter ſe conſentiunt, neque diſsident, vel inter Patres: nã etſi temporibus diſtent, in id tamen omnes contendunt, neque immerito; vnius enim Dei Prophetæ ſunt, vnumq; & idem verbum cõcorditer prædicant. ℟. Magnus Dominus, & laudabilis nimis: Et ſapientiæ eius non eſt numerus. ℣. Magnus Dominus, & magna virtus eius: Et ſapiẽtiæ eius nõ eſt finis. Et ſapientiæ. Gloria Patri. Et ſap.

In tertio Nocturno.

Lectio sãcti Euãgelij ſecũdũ Matthæum. Lect. 7. c. 28.

IN illo tẽpore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo, & in terra: Eũtes ergo docete oẽs gẽtes, baptizantes eos

in

in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et reliqua.

Homilia S.Hilarij Epiſcopi.

Lib.2.de Trin. init.

SVfficiebat quidē credentibús Dei ſermo, qui in aures noſtras Euāgeliſtæ teſtimonio cum ipſa veritatis ſuæ virtute transfuſus eſt, cū dicit Dominus: Eūtes nunc, docete omnes gentes, baptizātes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quid enim in eodē Sacramēto ſalutis humanæ non continetur? aut quid eſt, quod reliquū ſit, aut obſcurum? Plena ſunt omnia, & perfecta, vt à pleno, & perfecto: nam & verborum ſignificationē, & efficientiam rerum, & negotiorū ordinem, & naturæ intelligentiā comprehendunt. ℟. Benedicamus Patrem, & Filium, cum ſancto Spiritu: Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſęcula. ℣. Benedictus es Domine in firmamento cæli, & laudabilis, & glorioſus in ſæcula. Laudemus. Lect. 8.

BAptizare iuſſit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ideſt, in cōfeſſione & auctoris, & vnigeniti, & doni. Auctor eſt vnus omniū: vnus eſt enim ingenitus Deus Pater, ex quo omnia: & vnus Vnigenitus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, per quē omnia: & vnus Spiritus, donū in omnibus: omnia ergo sūt ſuis virtutibus, ac meritis ordinata: vna poteſtas innaſcibilis, ex qua omnia: vna progenies, per quam omnia: perfectæ ſpei munus vnū. Nec deeſſe quicquam conſummationi tātæ reperietur, intra quā ſit in Patre, & Filio, & Spiritu sācto, infinitas in æterno, ſpecies in imagine, vſus in munere. ℟. Duo Seraphim clamabāt alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: Plena eſt omnis terra gloria eius. ℣. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cęlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. Sanctus. Gloria Patri. Plena eſt. Lect. 9.

SEd compellimur hæreticorū, & blaſphemātium vitijs illicita agere, arcua-

Digitized by Google

ſcãdere, ineffabilia loqui, inconceſſa præſumere: &, cum ſola fide expleri, quę præcepta ſunt, oporteret, adorare ſcilicet Patrem, & venerari cũ eo Filium, ſancto Spiritu abũdare; cogimur ſermonis noſtri humilitatẽ ad ea, quæ inenarrabilia ſunt extẽdere, & in vitiũ vitio coarctamur alieno; vt quę contineri religione mentium oportuiſſet, nunc in periculum humani eloquij proferantur. De intelligentia enim hæreſis, non de ſcriptura eſt: & ſenſus, non ſermo fit crimen.

Te Deum laudamus.

Fer.3. TERTIA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Ambroſij Epiſc. *De dign.cond.hum. c.1.*

Lect. 4.

ANima quandam ſanctæ Trinitatis habet imaginẽ. Primo in eo, quia ſicut Deus eſt, viuit, & ſapit; ita anima ſecũdum ſuũ modum eſt, viuit, & ſapit. Eſt quoque & alia Trinitas in ea, qua ad imaginẽ ſui conditoris perfectę quidem, & ſummæ Trinitatis, quę ex Patre, & Filio, & Spiritu ſancto condita eſt; & licet vnius illa natura, tres tamẽ in ſe dignitates habet, ideſt, intellectũ, voluntatẽ, & memoriã. ℟. Quis Deus 1.

Lect. 5.

NAm ſicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre, Filioq; procedit Spiritus ſanctus: ita ex intellectu generatur volũtas, & ex his itẽ ambobus procedit memoria, ſicut facile à ſapiente quolibet intelligi poteſt: nec enim anima perfecta poteſt eſſe ſine his tribus, nec horũ triũ vnum aliquod, quantum ad ſuã pertinet beatitudinem, ſine alijs duobus integrum conſtare: & ſicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus eſt, non tamen tres Dij ſunt, ſed vnus Deus, tres habẽs perſonas; ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria; non tamen tres animæ in vno corpore, ſed vna anima, tres habẽs dignitates. ℟. Tibi, 2. Lc. 6.

ATque in his tribus eius imaginem mirabiliter gerit in ſua natura noſter interior homo, ex quibus qui ſi ex-

excellentioribus animæ dignitatibus iubemur diligere conditorem, vt in quantū intelligitur, diligatur, & quantū diligitur, sēper in memoria habeatur. Nec ſolus ſuffi cit de eo intellectus, niſi fiat in amore eius voluntas: imo nec hæc duo ſufficiunt, niſi memoria addatur, qua ſemper in mente intelligentis, & diligentis maneat Deus: vt ſicut non poteſt eſſe momen tū, quo homo non vtatur, vel fruatur Dei bonitate, & miſericordia; ita nullū debeat eſſe momentum, quo præſentem eum non habeat memoria. ℟. Magnus, 2.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euāg. ſec. Matt. Le. 7.

IN illo tēpore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo, & in terra: Eūtes ergo docete omnes gentes, baptizātes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et reliqua. Homilia S. Io. Chryſoſtomi.

Ex ſerm. de Trinit.

VIue, oro, teſtimonia sācta, & conſubſtātialis Trinitatis, & venerare illam recte, ne pereas. & dixit, inquit, Deus: Faciamus hominem ſecundū imaginem noſtram: cum quo conſiliū init Deus? cum Angelis, inquis. At non habēt Angeli imaginem Dei. Loquitur autem ad coopificē Filium, & ſanctum Spiritum. Audi Pſaltē dicentem: Verbo Domini cęli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorū; non ignoras autem, Verbū eſſe Filiū. Iterū & alio loco dicit ſcriptura: Venite, & deſcēdámus, & confundamus illorum linguas. dicendo, Venite, pares honore exhortando vocat: vnius eſt vox ad duos honore æquales.

℟. Benedicamus, 3. Lec. 8.

AVdi quoq; & beatum Iob, qui manifeſte declarat inſeparabilem Trinitatem, dicit enim: Viuit Dominus, qui me ſic iudicauit, & Omnipotens, qui amaram fecit animam meam, & Spiritus diuinus, qui tenetur in naribus meis. Dicendo, Dominum, & Omnipotentē, & Spiritū Dei, conſubſtantialem prædicat. Diſce & hym-

num Seraphim clamantium tertio, Sanctus,Sanctus,Sanctus;non enim dicunt ſemel, neque bis,neq; quater, vt ne multis nominibus multos Deos nobis inducerent, ſed vnum ſolum. Ter autem dicendo, Sanctus, manifeſtant vnam & æqualem gloriã Patris,& Filij, & Spiritus sãcti. Audi itẽ & Prophetã dicentem: Spiritus Domini locutus eſt in me, & ſermo illius in ore meo pronuntiatus eſt: quia Deus erat ſermo: ecce, dicendo, Spiritum Domini, & Sermonem, & Dominum, pronuntiat inſeparabilẽ Trinitatem. ℟. Duo, 3. *paulo poſt.* Lect.9.

PEr hæc omnia vnum regnum indiuiſibilis Trinitatis intelligere poſſumus. Ipſe autem Deus ſermo, qui propter nos verè incarnatus rediturus vnde venerat,dicit ſanctis Apoſtolis ſuis: Ite,& docete omnes gentes,baptizãtes illos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sãcti, obſignati ſumus, ſed vnũ ſignaculum eſt Sanctæ Trinitatis: vnum Baptiſma, quomodo igitur audes à paterna ſubſtantia alienare Filium, vel Spiritum ſanctũ? Neq; enim ſi alieni ſunt, cum Patre debebant connumerari, quanã ratione in Baptiſmo debuerunt annumerari?enimuero, ſi nomen Patris ſolum, eum, qui baptizatur,poteſt ſaluare; quare coaſſumuntur & creaturę,quaſi Pater nõ poſſit ſolus ſaluare? Abſit. Te Deum.

*Fer.*4. QVARTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Ex libro S. Cyrilli Epiſcopi Alexandrini contra Iulianũ. *Lib.*1.*paulo poſt init.* Lc.6.

VNum & ſolum Deum dicebat,cõfitebaturq; manifeſte illum eſſe diuinus Abraham, quem nominabat excelſum, & vniuerſorũ natiuitatis auctorẽ, quæ in cælo,& in terra. Procedẽte vero tẽpore mentem acuit, vt plus cognoſceret, & tunc infirmiores de Deitate ſermones didicit,non enim ſolũ,qđ vnus ſit Deus, & alius pręter illum nullus,didicit: ſed & quod in ſancta ac cõſubſtantiali Trinitate intelligatur

vnius

vnius & immaculatæ naturę plenitudo, quasi in figuris adhuc, & sensibiliter docebatur. ℟. Quis 1. Lect. 4.

SCriptum enim sic est de Abraham. Apparuit autem Deus ad quercũ Mãbre, sedẽte ipso in ostio tabernaculi sui in meridie. Cũ autẽ suspexisset, oculis suis vidit; & ecce tres viri steterunt super eũ, & videns occurrit in occursum eis, & adorauit super terrã, & dixit: Dñe, si inueni gratiã corã te, ne prætereas puerum tuum. Ecce manifeste, inquit, apparuisse quidem illi Deum: fuisse autem tres viros, qui videbantur, accurrentemq; diuinum Abraham non tanquam tribus dixisse: Domine, si inueni gratiam coram vobis, ne prætereatis puerum vestrũ. dominũ autẽ singulariter nominasse tres. ℟. Tibi laus, 2.

Lect. 6.

VIde obsecro, vide tres quidem fuisse, qui apparuerunt, substitisse autem in proprijs subsistentijs singulos, sermone consubstantialitatis in vnũ comprehensos, & ita dedita opera colloquia inter se miscuisse. Verũtamẽ eiusmodi imagines obscuræ quidem sunt & veritatem non satis exprimentes, quamuis mirã vtilitatẽ habeant, vt manu ducãt ad ea, quæ mẽtem & sermonẽ nostrum excedunt. Nam vnica quidẽ ex confesso est Deitatis natura, quæ super omnes, & per omnia, & in omnibus: dilatatur autem mentaliter in sanctam Trinitatem, venerandamq; ac consubstantialem, in Patrem, inquam, & Filium, & Spiritum sanctum. ℟. Magnus Dominus, 2.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euãg. sec. Matt. Le. 7.

IN illo tẽpore: Dixit Iesus discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra: Eũtes ergo docete omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 4. com. in Matt. in fin.

DAta est mihi potestas in cęlo, & in terra, illi potestas data est, qui paulo ante

Digitized by Google

te crucifixus, qui ſepultus in tumulo, qui mortuus iacuerat, qui poſtea reſurrexit. In cælo autem, & in terra poteſtas data eſt: vt qui ante regnabat in cælo, per fidem credentiũ regnet & in terris. Euntes autẽ docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Primum docent omnes gẽtes, deinde doctas, intingunt aqua.

℟. Benedicamus, 3. Lec. 8.

NOn enim poteſt fieri, vt corpus Baptiſmi recipiat Sacramẽtũ, niſi ante anima fidei ſuſceperit veritatẽ. Baptizantur autem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: vt quorum vna eſt diuinitas, vna ſit largitio; nomehq; Trinitatis, vnus Deus eſt. Docẽtes eos ſeruare omnia, quęcunque mandaui vobis, ordo præcipuus: iuſſit Apoſtolis, vt primum docerent omnes gẽtes, deinde fidei intingerent Sacramento: & poſt fidem ac Baptiſma, quæ eſſent obſeruãda, præciperent. ℟. Duo, 3. Lect. 9.

AC ne putemus leuia eſſe, quæ iuſſa ſũt, & pauca, addidit: omnia quæcunq; mandaui vobis: vt quicunq; crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant, quæ præcepta ſunt. Et ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſęculi, qui vſque ad conſummationem ſæculi cum diſcipulis ſe futurum eſſe promittit, & illos oſtẽdit ſemper eſſe victuros, & ſe nunquam à credentibus receſſurũ. Te Deum.

Fer. 5. Quinta die.

Fit de feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

Fer. 6. SEXTA DIE.

Si feſtum S. Trinit. titulus eſt Eccleſiæ, fit de octaua eiuſdẽ, cũ cõ. octauæ Corp. Chriſti.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Cypriani Epiſcopi, & Martyris.

De orat. Dom. in fin. Lect. 4.

IN orationibus celebrandis inuenimus obſeruaſſe cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores horam tertiam, ſextam, nonã, Sacramento ſcilicet Trinitatis, quæ in nouiſſi-

mis

mis temporibus manifestari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens consummatum numerũ Trinitatis ostendit. Itemq; ad sextam quarta procedens, declarat alteram Trinitatem. Et quãdo à septima nona cõpletur p ternas horas, Trinitas perfecta numeratur, quæ horarũ spatia iãpridem spiritualiter determinantes adoratores Dei statutis & legitimis ad precem temporibus seruiebant; & manifestata postmodum res est. Sacraméta olim fuisse, quod ante sic iusti precabantur. ℟. Quis, 1. Lc. 5.

NAm super discipulos hora tertia descendit Spiritus sanctus, qui gratiam dominicę repromissionis impleuit. Item Petrus horã sexta in tectum superius ascendens, signo pariter, & voce Dei mouentis instructus est, vt omnes ad gratiam salutis admittere, cum de emundandis gentibus ante dubitaret. Et Dominus hora sexta crucifixus, ad nonã peccata nostra sanguine suo abluit, & vt redimere, & viuificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit. ℟. Tibi laus, 2.

Lectio 6.

SEd nobis, fratres dilectissimi, præter horas antiquitus obseruatas, orandi nunc & spatia, & Sacramenta creuerunt. Nam & mane orandum est, vt resurrectio Domini matutina oratione celebretur. Recedente item Sole, ac die cessante, necessario rursus orandum est. Nam quia Christus Sol verus, & dies est verus, Sole ac die sæculi recedente, quando oramus, & petimus, vt sup nos lux denuo veniat, Christi precamur aduentũ, lucis æternæ gratiã pbiturum. ℟. Mag. 2.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euãg. sec. Matt.

IN illo tẽpore: Dixit Iesus discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra: Eũtes ergo docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et reliqua. Homilia S. Augustini Episc. *Serm.* 189. *de temp.*

AVdio, fratres, quod quidam inter se disputãt, quo-

Digitized by Google

quomodo Pater,& Filius,& Spiritus ſanctus & tres ſunt, & vnũ ſunt. Videtis ex queſtione quã periculoſa ſit diſputatio. Lutum,& vas figuli de Creatore diſputat, & ad naturæ ſuæ rationẽ nõ poteſt peruenire, & curioſe quærit ſcire de myſterio Trinitatis, quod Angeli in cęlo ſcire nõ poſſunt.quid enim dicũt Angeli in cęlo? Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. Ergo & nos ſimpliciter dicamus: Vis ſcire naturam Dei? hoc ſcito,quod neſcias; nec in hoc contriſteris, quia neſcias; quia & Angeli neſcierunt,& ſimiliter omnes creaturæ.

℟. Benedicamus,3. Lect.8.

SEd dicit aliquis: Quomodo ergo credo,quod neſcio?Dicam ſimpliciter,ante quã aliqua de ſcripturis proferam. O Chriſtiane,qui tibi videris nihil ſcire,ſi ſcias hoc ipſum, quòd neſcias, nonne magis pluris videris à cæteris ſcire? Gẽtilis homo videt lapidẽ,& Deum putat. Philoſophi vident cęlũ,& Deum putant.Tu vero vide,quantã ſuper iſtos habeas ſcientiam, qui dicis, Deus lapis eſſe non poteſt.Denique accepto Baptiſmo, hoc dicimus: Fidelis factus ſum,credo,quod neſcio, & propterea ſcio, quia me ſcio neſcire, quod neſcio. Sed dicit:Hoc non eſt exponere, ſed expoſitionem fugere. Nonne meum eſt pie ignorantiam confiteri,quam temere mihi ſcientiam vindicare? ℟. Duo,3. Lectio 9.

DIcamus aliquid de ſcripturis, rationem non ſequentes, ſed auctoritatem Domini Saluatoris. Chriſtus enim dicit, aſcẽſurus in cęlũ, ad Apoſtolos loquẽs,quibus prædicat vt Magiſter,& Dominus: nobis autem ſufficit ſcire de Trinitate,quod Dominus exponere dignatus eſt: Ite, & baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: tria nomina audio, & vnũ dicitur nomen;nõ enim dixit:in nominibus,ſed in nomine; tria nomina dicit, & quomodo vnũ ponit? Multa ſunt, quæ dici poſsũt: ſed ſufficiat fidelibus pauca de myſterio Trinitatis

au-

audiſſe;nobis ſufficiat credere,quia eſt: & non temere rationem quærere Trinitatis; ſed timere,& orare Dominũ ſemper debemus, & ſibi ſoli ſcientiam noſtrã in hac parte exhibeamus, vt diebus ei, ac noctibus laudes canamus, cui ſit gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Te Deum.

Sabb. SEPTIMA DIE.

In ſecundo Nocturno.

De expoſitione S. Gregorij Papę in Ezechielẽ Prophetã. *Hom.16.ante med.* Lect.4.

THalami portæ ad viam orientalem tres hinc,& tres inde,& mẽſura vna triũ. Quærendum nobis eſt, quid eſt,quod dicitur,tres hinc,& tres inde ? Thalami quippe iuxta viã orientalẽ, ſunt corda feruẽtium in amore Dei. & ſiue hi, qui electi in teſtamento veteri fuerũt, ſiue hi, qui in teſtamẽto nouo ſecuti ſunt, nimirum conſtat, quia omnes ex amore Trinitatis accẽſi ſunt.Neque enim vere Deum diligerent, ſi eiuſdem Trinitatis,quę Deus eſt, gratiam non accepiſſent. Iuxta viam ergo orientalem tres hinc, & tres inde ſunt thalami; quia dum inter veteres, & nouos patres Dominus incarnari dignatus eſt, quaſi in medio thalamorum via orientalis apparuit,qui thalami ad veram ſpeciem ex Trinitatis ſunt cognitione decorati. ℣. Quis,1. *Infra.* Lectio 5.

HOc quoque eſt, ſiue de veteribus,ſeu de nouis patribus ſentiẽdũ:quia orien talis via, cũ tres hinc, & tres inde thalamos habet, mẽſura vna triũ eſt;quoniam ipſa fides, atque ipſum meritum tenuit corda prẽcedentium, quę repleuit corda ſequẽtiũ ſub teſtamento nouo poſitorum, ſicut & per Paulũ dicitur:Habẽtes autem eundem ſpiritum fidei:ſicut ſcriptum eſt:Credidi,propter quod locutus ſum ; & nos credimus, propter quod & loquimur . Spiritales quippe illi patres omnipotentem Deum Trinitatem ita eſſe crediderunt, ſicut eandem Trinitatem noui Patres aperte locuti ſunt. ℟. Tibi laus.2. Lectio 6.

Eſa-

ESaias namque audit angelica agmina in cęlo clamantia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dñs Deus Sabaoth. Vt enim perſonarũ Trinitas monſtraretur, tertio Sanctus dicitur: ſed vt vna eſſe ſubſtãtia Trinitatis appareat, non Domini Sabaoth, ſed Dominus Sabaoth eſſe perhibetur. Quod Dauid quoque ſentiẽs ait: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus; qui, cũ tertio dixiſſet, Deus, vt vnũ eſſe hunc oſtenderet, ſubdit: & metuãt eum oẽs fines terræ. Paulus quoque loquitur dicens: Quoniã ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; ex ipſo, uidelicet, ex Patre: per ipſum, per Filium: in ipſo autem, in Spiritu ſancto. quem ergo ipſum cum tertio dixiſſet, adiũxit: Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Non dixit, ipſis; ſed ipſi.

℟. Magnus Dominus, 2.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euãgelij ſecũdum Matthęum. Lect. 7.

IN illo tẽpore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo, & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et reliqua. Homilia S. Ambroſij Epiſc.

Lib. 1. de Spir. c. 14.

QVis igitur vnitatẽ ſeparare audeat nominis, cum operationis videat vnitatem? ſed quid ego vnitatẽ nominis argumentis aſtruo, cum diuinę vocis euidens teſtimonium ſit, vnum nomen eſſe Patris, & Filij, & Spiritus ſancti? ſcriptum eſt enim: Ite, baptizate gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. In nomine dixit, non in nominibus. Non ergo aliud nomẽ Patris, aliud nomen Filij, aliud nomẽ Spiritus ſancti, quia vnus Deus: non plura nomina, quia non duo dij, non tres dij.

℟. Benedicamus, 3. Lect. 8.

ET vt aperiret, quia vna diuinitas, una maieſtas eſt, quia unum nomẽ Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, nõ in alio nomine uenerit Filius, in alio nomine Spiritus sãctus, ait ipſe Dominus: Ego

veni in nomine Patris mei,& non accepistis me:quod autē nomen Patris est, hoc idem Filij, scriptura declarat,quia in Exodo dixit Dominus: Ego antecedo in nomine meo, & uocabo te nomine meo Dominum in cōspecto tuo. Dominus ergo dixit,quia in nomine suo uocauit Dominū. Dominus ergo, & Patris est nomen, & Filij. ℟. Duo, 3.

Lect.9.

CVm autem unū nomen sit Patris,& Filij,accipe,quod & Spiritus sancti idē nomen sit;quoniā & Spiritus sāctus in nomine Filij uenit, sicut scriptū est: Paracletus autem ille Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo,ille uos docebit omnia: qui autē uenit in nomine Filij, utique etiam in nomine Patris uenit, quia unū Patris, & Filij est; sic fit, vt vnū & Patris,& Filij nomen sit,& Spiritus sācti. Nec enim est aliud nomen sub cęlo vllū in quo oportet saluos fieri.

Te Deum.

Domin. IN DIE OCTAVA Sanctiss. Trinitatis.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustini Episcopi. *Lib.15.de Trin.init.* Lect.4.

DEus ipse, quem quærimus,adiuuabit,vt spero, ne sit infructuosus labor noster,& intelligamus, quēadmodum dictum sit in psalmo sacro: Lætetur cor quærentium Dominum: quęrite Dominum, & cōfirmamini, quærite faciem eius semper. videtur enim quod semper quæritur,nunquā inueniri;& quomodo iā lætabitur,& nō potius cōtristabitur cor quęrentium,si nō potuerint inuenire,quod quærunt? nō enim ait, lætetur cor inuenientiū, sed quærentium Dominum: & tamen Dominum Deum inueniri posse dum quęritur, testatur Esaias, dum dicit: Quærite Dominum,& mox, vt inueneritis, inuocate eū.

℟. Quis, 1. Lect.5.

SI ergo quæsitus inueniri potest, cur dictum est: quærite faciem eius semper? An & inuentus forte quærendus est? sic enim sunt incomprehēsibilia requirēda, ne se exstimet nihil inuenisse, qui,

quam

quam ſit incomprehenſibile quod quærebat, potuerit inuenire. Cur ergo ſic quærit, ſi incomprehẽſibile comprehendit eſſe, quod quærit, niſi quia ceſſandũ non eſt, quãdiu in ipſa incomprehenſibilium rerum inquiſitione proficitur, & melior, meliorque fit quęrens tã magnum bonum, quod & inueniendum quæritur, & quærẽdum inuenitur? Nam & quæritur, vt inueniatur dulcius, & inuenitur, vt quæratur auidius..

℟. Tibi, 2. Lect. 6.

SEcundum hoc accipi poteſt, quod dictum eſt in libro Eccleſiaſtico dicere Sapientiã: Qui me manducant, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient: manducãt enim, & bibunt, quia inueniunt: & quia eſuriunt, ac ſitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus inuenit: propter quod ait Propheta: Niſi credideritis, nõ intelligetis: & rurſus intellectus eũ, quem inuenit, adhuc quærit. Deus enim reſpexit ſuper filios hominũ, ſicut in pſalmo ſacro canitur, vt videat, ſi eſt intelligẽs, aut requirẽs Deũ. Ad hoc ergo debet homo eſſe intelligẽs, vt requirat Deum.

℟. Magnus, 2.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euãg. ſec. Matt. Le. 7.

IN illo tẽpore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo, & in terra: Eũtes ergo docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et reliqua. Homilia S. Baſilij Epiſcopi.

De vera fide, in fine.

TRia nomina ſeorſum ſingula ſuã peculiarem quandam proprietatẽ aperte ſignificãt, quæ pie cõſiderari in ipſis poteſt: atque in Patre quidem proprietas Patris, in Filio vero proprietas Filij, in Spiritu ſancto poſtremo ſua quędã à duobus diuerſa proprietas; cum neque Spiritus ſanctus à ſeipſo loquatur, neque Filius à ſemetipſo faciat quicquã: ac Pater quidẽ Filiũ mittat, Filius vero Spiritum ſanctum. Sic ſentimus, & ſic baptizamus in Trinitatẽ cõſubſtantialẽ, idq; ex præcepto ipſius Domini noſtri Ieſu

Chri-

Christi, qui dixit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.

℟. Benedicamus, 3. Lect. 8.

QVæ seruantes, & caritatẽ erga illum habere nos demonstramus, & digni efficimur, qui in ea maneamus, ꝙ cum ita sit, magnopere hortor, & hortatos velim vos, fratres carissimi, vt missa istiusmodi curiosa inuestigatione, flagitiosaq; verborum contentione, his cõtẽti simus, quæ à sãctis viris, atque ab ipso adeo DOMINO nostro Iesu Christo dicta sunt, eaq; sentiamus, quæ respondeãt cęlesti vocationi; & vitã agamus Christi Euangelio conuenientẽ, sempiternam vitam, & cęleste regnum sperãtes, paratum omnibus seruantibus mandata Dei, & Patris, quæ sunt secundum Euangelium beati Dei Iesu Christi DOMINI nostri, in Spiritu sancto, & veritate.

℟. Duo Seraphim, 3.

9. Lect. Homilia Dominicæ infra oct. Corporis Christi.

Die 6. Augusti.

INFRA OCTAVAM TRANSFIGVRAT. DOMINI, seu festi Saluatoris.

In die festo, si primæ classis est, addatur lectio 9. quæ sequitur, omissa illa, quæ est de SS.

S. Io. Chrysost. ex hom. 57.

TV vero Matthęi philosophiã considera, qui non celauit nomina eorũ, qui prępositi fuerãt, quod & Ioãnes sæpius facit, cum eximias Petri laudes veriſſime, ac diligẽtissime describat. Nullum enim in hoc Apostolorum cõsortio liuor, aut inanis gloria locum habebat. Primos igitur Apostolorum seorsum assumpsit. Quamobrẽ eos accepit? quia excellẽtiores cæteris videlicet erãt. Cur autẽ non illico, sed post sex dies hoc fecit? Ne cæteri scilicet discipuli, seu homines moueretur: qua de re nec eos nominauit, quos accepturus erat.

Die 7. Augusti.

SECVNDA DIE.

In secundo Nocturno.

Ser-

Sermo S. Augustini Episc.
Ser. 23. *de diuers.* Lect. 4.

VIsionē magnā in monte, vbi se Dominus Iesus tribus discipulis demonstrauit, Petro, Iacobo, & Ioāne, audiuimus. Splēduit uultus eius sicut Sol: hoc significat Euāgelij claritatē. Vestimenta eius facta sunt cādida sicut nix: hoc significat Ecclesiæ mundationē, cui dictum est per Prophetā: Et si fuerint peccata uestra sicut phœnicium, tanquā niuē dealbabo. Elias, & Moises colloquebātur ei: quia Euangelij gratia testimonium habet à lege, & Prophetis: in Moyse lex, in Elia Prophetæ, ut breuiter loquamur. ℟. Inebriati sunt ab ubertate domus tuæ: Et torrente uoluptatis tuæ potasti eos. ℣. Quoniā apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen. Et torrente.

Lect. 5.

PLacuit Petro tria fieri tabernacula: delectabat eum mōtis solitudo: tædium patiebatur à tumultu rerum humanarum. Sed tria tabernacula quare quærebat, nisi quia vnitatem legis, Prophetiæ, & Euāgelij nondum sciebat? Denique nube emendatus est. Ecce vnum tabernaculum nubes fecit, tu tria quare quærebas? & vox de nube: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi cōplacui, ipsum audite. ℟. Præceptor, bonum est nos hic esse: Faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum. ℣. Non enim sciebat quid diceret. Faciamus.

Lectio 6.

LOquitur Elias, sed hunc audite: loquitur Moyses, sed hunc audite: loquuntur Prophetæ, loquitur lex: sed hunc audite, vocem legis, & linguā Prophetarum. Ipse in illis sonuit, ipse in seipso, quando est dignatus, apparuit. Hunc audite, hunc audiamus. Quādo Euangelium loquebatur, putate, quia nubes erat: inde nobis vox sonuit; hunc audiamus, quod dicit, faciamus: q̄ promisit, speremus. ℟. Si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt nō posset intēdere filij Israel

in

in faciem Moysi, propter gloriã vultus eius, quæ euacuat: Multo magis ministratio spiritus, q̃ manet, erit in gloria. ℣. Amplioris enim gloriæ Christus præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorẽ honorem habet domo, qui fabricauit eã. Multo magis. ℟. Gloria Patri. Multo magis.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euã. sm̃ Mat. Lec. 7. c. 17.

IN illo tempore: Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrẽ eius: & duxit illos in mõtem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et reliqua.

Homilia S. Leonis Papæ. *Hom. de Transfig. Domini.*

EVãgelica lectio, dilectissimi, quæ per aures corporis interiorẽ mentium nostrarum pulsauit auditum, ad magni sacramenti nos intelligentiã uocat: quã aspirante gratia Dei, facilius assequemur, si considerationem nostram ad ea, quæ paulo superius sunt narrata, referamus. Saluator enim humani generis Iesus Christus, cõdens eã fidem, quæ & impios ad iustitiam, & mortuos reuocat ad vitam, ad hoc discipulos suos doctrinæ monitis, & operum miraculis imbuebat, ut idem Christus & vnigenitus Dei, & hominis filius crederetur. Nam unum horum sine altero non proderat ad salutem, & æqualis erat periculi, Dominum Iesum Christum, aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse, cum vtrunque esset pariter cõfitẽdum: quia sicut Deo uera humanitas, ita homini inerat vera diuinitas. ℟. Vocauit nos Deus vocatione sua sancta, secundum gratiam suã, quæ manifestata est nunc, Per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi. ℣. Qui destruxit mortem, illuminauit autem vitã in incorruptionem. Per illuminationem.

Lectio 8.

AD confirmandam ergo huius fidei saluberrimã cognitionem interrogauerat discipulos suos Dñs, inter diuersas aliorum opinio[illegible]id ipsi de eo crederent, [illegible]dve sentirent. Vbi

Petrus Apoſtolus, per reuelationē ſummi Patris corporea ſuperans, & humana trāſcendens, uidit mētis oculis Filium Dei uiui, & confeſſus eſt gloriam Deitatis, quia nō ad ſolam reſpexit ſubſtantiā carnis, & ſanguinis: tātumq; in hac fidei ſublimitate com placuit, vt beatitudinis felicitate donatus, ſacrā inuiolabilis petræ acciperet firmitatem: ſuper quā fundata Eccleſia, portis inferi, & mortis legibus præualeret: nec in ſoluendis, aut ligādis quorumcunque cauſis, aliud ratum eſſet in cælo, quam quod Petri ſediſſet arbitrio. ℟. Deus, qui fecit de tenebris lumen ſplēdeſcere, illuxit in cordibus noſtris: Ad illuminationē ſcīētiæ claritatis Dei in facie Ieſu Chriſti. ℣. Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde, miſericors, & miſerator, & iuſtus. Ad illum. Glor. Ad.

9. Lectio de S. Donato.

8. *Aug. Tertia die.*

Fit de SS. Cyriaco, &c. mart. cum comm. oct.

Die 9. Auguſti.

QVARTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Hilarij Epiſcopi. *Can in Matth.* Lect. 4.

IN hoc facti genere ſeruatur & ratio, & numerus, & exēplum. Nam poſt dies ſex gloriæ dominicæ habitus oſtenditur: ſed millium ſcilicet annorum temporibus euolutis, regni cæleſtis honor præfiguratur: tribuſque aſſumptis, de trium originę, Sem, Cham, Iaphet, futura electio populi oſtenditur. quod autē Moyſes, & Elias ex omni Sanctorum numero aſsiſtunt: medius inter legē, & Prophetas Chriſtus in regno eſt; cum his enim Iſraelem, quibus teſtibus prædicatus eſt, iudicabit. Simulq; ut & humanis corporibus decreta eſſe reſurrectionis gloria doceretur; cum Moyſes conſpicabilis adſtitiſſet. ℟. Inebriati. 16. Lectio 5.

IPſe autem dominus ſit niue, ac ſole candidior, ſupra opinionem ſcilicet noſtram cæleſtis luminis ſplendore conſpicuus. Petro autē, ut tria illic tabernacula fierent;

rent offerenti, nihil reſpondetur: nō dum enim, ut in hac gloria cōſiſteretur, erat tempus. Hunc eſſe Filium, hunc dilectum, hunc cōplacitum, hunc audiendum uox de nube ſignificat: ut idoneus ipſe præceptorum talium auctor eſſet, qui poſt ſæculi dānum, poſt crucis uoluntatem, poſt obitum corporeum, regni cæleſtis gloriā ex mortuorum reſurrectione facti cōfirmaſſet exemplo.

℣. Præceptor, 16. Lect. 6.

TErritos deinde, & conſternatos eleuauit: vt ſolum cōtuerentur, quem medium conſtitiſſe inter Moyſen, & Eliam viderant. Ad futuri enim formam, atque ad facti fidem Moyſes, & Elias in monte conſtiterant. Silentium enim rerum geſtarum, quas viderāt, imperat, donec à mortuis reſurgeret. Hoc enim fidei prȩmium reſeruabatur: vt honor redderetur his, apud quos non leuis ſola præceptorum auctoritas reperiretur. Infirmos enim ſanauerat ad vocis auditum; vt cum eſſent Spiritu ſancto repleti, tunc geſtorum ſpiritualium teſtes eſſent. ℣. Si miniſtratio. 16.

Lect. S. Euāg. ſec. Matt.

IN illo tempore: Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobū, & Ioannem fratrem eius: & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Et reliqua.

De Homilia S. Leonis Papæ. *Ex Homil. de Trāsfig. Dñi.*

ASſumpſit Ieſus Petrum, Iacobum, & fratrem eius Ioannem, & conſcenſo cum eis ſeorſum monte præcelſo, claritatem ſuæ gloriæ demōſtrauit: quia licet intellexiſſent in eo maieſtatem Dei, ipſius tamen corporis, quo diuinitas tegebatur, potentiam neſciebant. Et ideo proprie, ſignanterq; promiſerat, quoſdam de adſtantibus diſcipulis non prius guſtare mortem, quam viderent Filium hominis venientem in regno ſuo, ideſt, in regia claritate, quam ſpiritaliter ad naturā ſuſcepti hominis pertinentem, his tribus viris voluit eſſe conſpicuam. Nam il-

Digitized by Google

lam ipſius Deitatis ineffabilem, & inacceſſibilem viſionem, quæ in æternam vitam mundis corde ſeruatur, nullo modo mortali adhuc carne circundati intueri poterant, & videre. ℟. Vocauit. 17.

Lectio 8.

DIcente Patre: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui, ipsũ audite: nonne euidenter auditũ eſt: Hic eſt Filius meus, cui ex me, & mecum eſſe ſine tempore eſt? quia nec genitor genito prior, nec genitus eſt genitore poſterior. Hic eſt Filius meus dilectus, quem à me non ſeparat Deitas, non diuidit poteſtas, nõ diſcernit æternitas. Hic eſt Filius me°, non adoptiuus, ſed proprius: nõ aliunde creatus, ſed ex me genitus: nec de alia natura mihi factus comparabilis, ſed de mea eſſentia mihi natus æqualis. ℟. Deus, qui fecit. 18.

9. Lectio Vigiliæ.

10. *Aug.* *Quinta die.*

Fit de S. Laurentio mar.

Die 11. *Auguſti.*

SEXTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi. *Ser. 69. de diuerſ.* Lect. 4.

INſpicienda nobis, & tractanda eſt, cariſſimi, viſio, quam Dominus demõſtrauit in mõte; ipſa eſt enim, de qua dixerat: Amen dico vobis, quia ſunt hic quidam de circumſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno ſuo. Nõ parua quæſtio eſt. Neque enim ille mons, regnum erat cõprehenſum: quid eſt mons ei, qui poſſidet cælum? quod nõ ſolum legimus, ſed etiam oculis cordis quodammodo videmus: Regnum ſuum dicit, quod multis locis appellat regnum cęlorum, regnum autem cælorum, eſt regnum Sanctorum. ℟. Inebriati. 16.

Lectio 5.

HOc vt oſtenderetur, videte, quid factum eſt. Dominus ipſe Ieſus reſplenduit ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt candida ſicut nix. Ipſe Ieſus quidem, ipſe ſplenduit ſicut Sol, ſe lumen eſſe ſignificans, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Quod

Quod eſt iſte Sol oculis carnis; hoc ille oculis cordis: & quod iſte carnibus, hoc ille cordibus. Veſtimenta autem eius, Eccleſia eius; veſtimenta enim, niſi ab induto contineantur, cadunt. Horum veſtimẽtorum quædam quaſi nouiſſima fimbria Paulus fuit: ipſe enim dicit, Ego enim ſum minimus Apoſtolorum. ℟. Præceptor. 16.

Lectio 6.

MOyſes, & Elias, ideſt, lex, & Prophetæ, quid valent, niſi cum Domino colloquũtur? niſi Domino perhibeant teſtimonium, quis leget legem? quis Prophetas? videte, quã breuiter hoc Apoſtolus ait: Per legem enim cognitio peccati; nunc autẽ ſine lege, iuſtitia Dei manifeſtata eſt; ecce Sol: teſtificata à lege, & Prophetis; ecce ſplendor. Videt hoc Petrus, & humana ſapiens tanquam homo: Domine, bonum eſt, inquit, nos hic eſſe. Vt quid inde diſcederet, ad labores, & dolores? Habens in Deum ſanctos amores, & ideo bonos mores, bene ſibi volebat eſſe. Ad hæc nihil Dñs reſpõdit. ℟. Si miniſtratio. 16.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euãg. ſec. Matt. 17.

IN illo tempore: Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius: & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Et reliqua.

Homil. S. Hieronymi Presb. *Lib. 3. Comm. in Matth. c. 17.*

QVæritur, quomodo poſt dies ſex aſſumpſerit eos, & duxerit in mõtem excelſum ſeorſum: cum Lucas Euangeliſta octonariũ numerum ponat. Sed facilis reſponſio eſt: quia hic medij ponuntur dies, ibi primus additur, & extremus. Non enim dicitur: poſt dies octo, ſed die octauo. Duxit illos in montẽ. Ducere ad montana diſcipulos pars regni eſt. Ducuntur ſeorſum, quia multi vocati, pauci vero electi. Et transfiguratus eſt ante eos. Qualis futurus eſt tempore iudicandi, talis apparuit Apoſtolis. ℟. Vocauit. 17.

Lect. 8.

QVod autẽ dicit: Tranſfiguratus eſt ante eos:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

nemo putet priſtinam eum formam, & faciē perdidiſſe, vel amiſiſſe corporis veritatem, & aſſumpſiſſe corpus vel ſpiritale, vel aereum: ſed quomodo trāsformatus ſit, Euangeliſta demonſtrat, dicens: Et reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Vbi ſplendor faciei oſtenditur, & candor deſcribitur veſtium, non ſubſtantia tollitur, ſed gloria cōmutatur. Transformatio ſplendorem addidit, faciem non ſubtraxit.

℟. Deus, qui fecit. 18.

9. Lec. de SS. Tiburt. & Suſan.

Die 12. *Auguſti*.

SEPTIMA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Io. Chryſoſtomi.

Ex homil. 57. *in Matth.*

Lectio 4.

CVius rei gratia Moyſen, & Eliam produxit, multas quidem dicere quis cauſas poſſet: & primum, quoniam turbæ, alij Eliam, alij Ieremiam, alij priſcorum Prophetam vnum opinabantur: idcirco Moyſen, & Eliam cæterorum Prophetarum vertices, vt quàm magnum ſit inter ſeruos, & Dominum diſcrimen, oculis cernerent, vtque rectè laudatum crederent Petrum, qui Filium Dei eum cōfeſſus eſt. Deinde, quoniam aſſidue quaſi tranſgreſſorem legis Iudæi accuſabant, & blaſphemare putabant, quaſi gloriam Patris nihil ad eum pertinentē vendicaret. Moyſi enim legem dedit: quare non fuiſſet paſſus Moyſes conculcari legē, nec pręuaricatorem eius, & legum latori hoſtem lator ipſe vnquam coluiſſet.

℟. Inebriati. 16. Lect. 5.

ELias autē pro gloria Dei zelauit. Quare nō aſtitiſſet ei, qui æqualem ſe Patri dicebat, ſi nō eſſet; nec paruiſſet illi, qui ſibi, quod nō habebat, vendicaret. Ad hæc omnia illud etiam poſſumus dicere, vt tam mortis, quam vitæ habere poteſtatem liquido, ac vere crederetur, vtque ſupernorum, & infernorum Dominus oſtenderetur, idcirco Moyſen iam mortuum, & Eliam, qui nondum id paſſus eſt, in medium produxit.

℟. Præceptor. 16. Lect. 6.

Quar-

zed by Google

QVartam vero cauſam, (quarta enim eſt prioribus cõnumerata) Euangeliſta quoque ipſe tetigit; quænam igitur illa eſt? Vt crucis gloriam oſtendat, & tam Petrum, quã reliquos, qui paſsionem formidabant, conſolaretur, & ad ſublimius erigeret. Nõ enim tacebant, inquit, ſed loquebantur de gloria, quam cõpleturus erat in Ieruſalem, de Cruce videlicet, ac paſſione: ſic enim ipſam ſemper appellabant. Produxit illos in medium, vt eos, qui maxime populares fuerunt, imitarentur, & animi robur, atque conſtantiam ſequerentur, fierentq; mites vt Moyſes, zelotes vt Elias, & piæ curioſitatis ſimiliter.

℟. Si miniſtratio. 16.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Mat. Le 7.

IN illo tempore: Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius: & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſc. *Lib. 7. in Luc. c. 9.* Lect. 7.

MAlumus ſex dies per ſymbolum intelligere, quod ſex diebus mundi opera ſunt creata, vt per tẽpus opera, per opera mundum intelligamus. Et ideo mundi temporibus impletis, reſurrectio futura monſtratur: aut quia is, qui ſupra mundum aſcenderit, & huius ſæculi momenta tranſcenderit, velut in ſublimi locatus futuræ reſurrectionis fructum expectabat æternum. Tranſcendamus igitur opera mundi, vt poſſimus facie ad faciem Deum videre. Aſcende in montem, qui euangelizas Sion. Si in montem aſcendit, qui euangelizat Sion, quanto magis, qui Chriſtũ euangelizat, & Chriſtum in gloriam reſurgentem?

℟. Vocauit. 17. Lect. 8.

TRes autem ſoli, & tres electi ducuntur in montem. Putarem in tribus myſtice genus hominum cõprehenſum, quia ex tribus filijs Noe genus omne defluxit humanũ, niſi electos cernerem. Tres igitur eligũtur, qui aſcẽderent montem, quia & duo eliguntur, qui cum Domino vide-

Digitized by Google

viderentur. Vtrinque ſacratus numerus: & hoc fortaſſe propterea, quia nemo poteſt reſurrectionis gloriam videre, niſi qui integrum myſterium Trinitatis incorruptæ fidei ſinceritate ſeruauerit. Petrus aſcendit, qui claues regni cęlorũ accepit: Ioãnes, cui committitur Dñi Mater: Iacobus, qui primus martyrium ſuſtinuit. ℟. Deus. 18.

9. Lectio d. S. Clara.

Die 13. Auguſti.

IN DIE OCTAVA
Transfigurationis Domini.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Cyrilli Epiſcopi Alexandrini. Lect. 4.

Apud Metaphr. poſt med.

ARbitratus fortaſſe beatus Petrus aduenisſe tempus regni Dei, in monte quidem verſari deligit; dicit autẽ tria eſſe facienda tabernacula, neſciẽs quid diceret. Non erat enim tempus conſummationis ſæculi, neque in præſenti tempore ſunt ſancti futuri participes ſpei eis promiſſæ: cum ergo diſpenſatio adhuc eſſet in principio, & nondum eſſet finita, quomodo erat conſentaneum, Chriſtum, qui venerat propter caritatem in mundum, deſinere pro eo velle pati? Neſciebat ergo Petrus quid diceret. ℟. Inebriati. 16. Lect. 5.

CÆterum præter admirabile, & arcanum Chriſti gloriæ ſpectaculum, aliquid quoque aliud factum eſt vtile, & neceſſariũ ad confirmandam in ſe fidem, non ſolis diſcipulis, ſed etiam nobis ipſis. Deſuper enim ex alto extitit vox Dei, & Patris, dicẽtis: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite. Et dum facta eſt, inquit, vox, inuentus eſt ſolus Ieſus. Ecce præſente Moyſe Pater iubet ſanctis Apoſtolis, vt eum audiant; quod ſi eos voluiſſet ſequi præcepta Moyſis, dixiſſet: ſeruate legẽ. Nũc autem ne hoc quidem dicit Deus, & Pater. Aberat quidẽ Moyſes, Elias autẽ nõ aderat, ſolus vero erat Chriſtus: iuſſit ergo ipſum audire. Ipſe enim eſt finis legis, & Prophetarum. ℟. Præcept. 16. Lect. 6.

PRopterea Iudæorum populum allocutus eſt, dicens:

Digitized by Google

tens: Si crederetis Moysi, crederetis vtique mihi; ille enim de me scripsit. Quoniã autem & per sapiẽtissimum Moysen datum præceptũ contemnere, & quæ per sanctos Prophetas dicta sunt, nihil ducere, perpetuo perseuerárunt, iure sunt abalienati, & exturbati à bonis, quę promissa sunt ipsis patribus. Obedientia enim melior est, quam sacrificium: & auscultatio, quam adeps agnorum: sicut scriptum est; & ita quidem se habent res Iudæorum. Nobis autem, qui eius aduentum agnouimus, omnia omnino bona aderũt, per ipsum, & in ipso Christo. Per quem, & cum quo Deo, & Patri gloria, & potentia, cũ sancto Spiritu in sæcula sæculorũ. Amẽ. ℟. Si ministrat. 16.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euãg. sec. Matt. Le. 7.

IN illo tempore: Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius: & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et reliqua.

De Homilia S. Ambrosij Episcopi.

HIc est Filius meus dilectus; hoc est, non Elias filius, non Moyses filius; sed hic est Filius, quem solum videtis; recesserunt enim illi, vbi cępit Dominus designari. Vides hãc nõ solum insipientium, sed etiã cælestium fidẽ esse perfectã, Filiũ Dei scire. Sed quoniã hæc iã supra diximus, cognosce nubem istã nõ fumigãtium esse mõtium nebuloso humore cõcretam, & coacti aeris caligine piceam, quæ cælum tenebrarũ horrore subtexat: sed lucidã nubẽ, quę nos nõ pluuialibus aquis, & humentis alluuione imbris immadidet, sed de qua mẽtes hominum, voce Dei omnipotẽtis emissa, ros fidei rigauit. ℟. Vocauit. 17. Lect. 8.

ITaque cũ tres essent, vnus est factus. Tres in principio videntur, vnus in fine. Perfecta enim fidè vnũ sunt. Denique hoc etiã Dominus Patrem orat, vt omnes vnum simus. Nec solum Moyses, & Elias in Christo vnum sunt, sed etiam nos vnum corpus sumus Christi. Ergo & illi tanquam in vno corpore re-

cipiun-

cipiuntur in Christi corpus: quia & nos vnum erimus in Christo Iesu. Aut fortassis, quia lex,& Prophetæ ex verbo; quæ autem ex verbo cœperunt, in verbo desinunt. Finis enim legis est Christus, ad iustitiam omni credenti. ℟. Deus,qui. 18.

℣. Lect. de ss. Hippol. & Cass.

INFRA OCTAVAS FESTORVM S. CRVCIS.

Die 3. Maij.

INFRA OCTAVAM INVENT. S. CRVCIS.

In die festo. Si sit primæ classis, lectio 8. terminetur ad illa verba Intẽdat. Lect. 9. vsque ad finem, omissa lectione SS.

4. Maij.

SECVNDA DIE.

In secundo Nocturno:

Sermo S. Ambrosij Episcopi. *Ser. 56. post init.* Lect. 4.

GRande Crucis est sacramentum: & si intelligamus, per hoc signum etiam mundus saluatur. Nam cum à nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, vt Cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpãtur,& hoc dominico securi signo portum salutis petunt, periculum mortis euadunt. Figura enim sacramẽti quædam est velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in Cruce, atque ideo cõfidentia de mysterio veniente homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota suscipiunt.

℣. Nos autem gloriari oportet in Cruce Dñi nostri Iesu Christi, in quo est salus, uita, & resurrectio nostra: Per quẽ saluati, & liberati sumus, alleluia. ℟. Tuam Crucem adoramus, Domine,& recolimus tuam glorioſam passionem. Per quem. Lect. 5.

SEd & bonus agricola cũ parat terræ solum uertere,& uitæ alimenta perquirere, nõ nisi per signum Crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale subijcit, affligit aures, stiuam inserit, figuram Crucis imitatur. Cælum quoque ipsum huius signi figura dispositum est; nã cum quatuor partibus distinguitur, quatuor quasi Crucis angulis cõtinetur: ipsius etiam

in-

inceſſus hominis,cum manus leuauerit, Crucem pingit, atque ideo eleuatis manibus orare præcipimur, ut ipſo quoque membrorũ geſtu paſſionẽ Domini fateamur:tunc enim citius noſtra exauditur oratio,cum Chriſtum, quem mens loquitur,etiam corpus imitatur. ℟. Dum ſacrum pignus cælitus reuelatur,Chriſti fides roboratur: Adſunt prodigia diuina in virga Moyſi primitus figurata, alleluia, allel. ℣. Ad crucis cõtactum reſurgunt mortui, & Dei magnalia reſerantur. Adſunt. Lect. 6.

HOc etiã exemplo Moyſes ſanctus,cum cõtra Amalec bellũm gereret, non armis, non ferro,ſed eleuatis eum ad Deum manibus ſuperauit,ſic enim habes ſcriptũ: Cum eleuaſſet manus ſuas Moyſes,vincebat Iſrael: cum autẽ depoſuiſſet manus ſuas, conualeſcebat Amalec. Hoc igitur dominico ſigno ſcinditur mare,terra colitur,cælum regitur, homines cõſeruãtur. Hoc inquam dominico ſigno etiã reſerantur inferna. Nam ex quo homo Dominus Ieſus, qui ipſam Crucem geſtabat, ſepultus in terra eſt,veluti diruptа ab eo exarata terra omnes, quos retinebat,mortuos germinauit. ℟. Hoc ſignum Crucis erit in cælo,cum Dñs ad iudicandum venerit: Tunc manifeſta erunt abſcondita cordis noſtri, alleluia,allel. ℣. Cũ ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ,& cœperit iudicare ſæculum per ignem. Tunc manifeſta. Gloria Patri. Tunc manifeſta.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euãgelij ſecundum Ioannem. Lect. 7. c. 3.

IN illo tẽpore: Erat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine,princeps Iudæorum: hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus,quia à Deo veniſti Magiſter. Et reliqua.

De Homil. S. Auguſtini Epiſc. *Ex tract. 12 in Ioan.*

DEmonſtratum eſt magnum ſacramentũ rei futuræ; ipſe Dominus teſtatur in hac lectione, vt nemo poſſit aliud interpretari, quã quod ipſa Veritas de ſe indicat.

Digitized by Google

cat. Dictum est enim ad Moysen à Domino, vt faceret æneũ serpentem, & exaltaret illum in ligno in eremo, & admoneret populum Israel, vt si quis morsus esset à serpente, in exaltatum attenderet, & factum est: mordebãtur homines, intuebãtur, & sanabãtur. Quid sunt serpentes mordentes? Peccata de mortalitate carnis. Quis est serpens exaltatus? Mors Domini in Cruce: quia enim à serpẽte mors, per serpentis effigiẽ figurata est mors. Morsus serpentum lethalis, mors Domini vitalis. ℟. Dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus sustinuit: Quæ sola digna fuit portare pretiũ huius sæculi, alleluia. ℣. Hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit. Quæ sola.

Lectio 8.

ATtenditur serpens, vt nihil valeat serpens. Quid est hoc? Attenditur mors, vt nihil valeat mors; sed cuius mors? mors vitæ, si dici potest, mors vitæ: imo quia dici potest, mirabiliter dicitur; sed nunquid non erit dicendũ, quod fuit faciendum? ego dubitẽ dicere, quod Dominus pro me dignatus est facere? Nõne vita Christus? & tamen in Cruce Christus; sed in morte Christi mors mortua est, quia vita mortua occidit mortẽ, plẽnitudo vitæ deglutiuit mortẽ: absorpta est mors in Christi corpore. Sic & nos dicemus in resurrectione, quãdo iam triumphantes cantabimus: Vbi est mors contentio tua? vbi est mors aculeus tuus? Interim modo, fratres, vt à peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur. ℟. Sicut Moyses exaltauit serpẽtem in deserto, ita exaltari oportet Filiũ hominis: Vt omnis qui credit in ipsũ, non pereat, sed habeat vitam æternã, alleluia. ℣. Nõ misit Deus Filium suum in mundũ vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Vt omnis. Gloria. Vt omnis.

9. Lectio de S. Monica.

Die 5. Maij.

TERTIA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustini Episcopi.

De temp. ser. 101. post me.

Le-

Lectio 4.

QVid dulcius, quid ſuauius vel cogitari, vel dici poteſt, quã ſanctæ Crucis myſteriũ, per quã nõ ſolum ab inferis reuocari, ſed etiam in cælos eleuari meruimus? quia ſine vlla dubitatione, vbi caput noſtrum Chriſtũ aſcendiſſe credimus, membra illius ſecutura eſſe cõfidimus. Ligni Crucis etiã vmbra, vel figuræ, in veteri quoque teſtamento plurimũ valuerunt. Nullum Moyſes ſignum ſine ligni ſacramento peregit: vt enim ſigna, & prodigia faceret in Ægypto, virgam accepit à Domino, & ad ſigna quæque diuinitus audiebat, & dicebatur ei: Eleua virgam tuam.

℣. Nos autem. 26. Lect. 5.

NOn vtique Deus virgæ auxilio indigebat, ſed erigebatur, vt ſcire poſſimus, quantum eſſet illud futuri ligni myſterium, cuius fuerat vmbra figuratum virgę illius ſacramentũ. Forte ſi rubrum mare diuidẽdum eſt, iubetur Moyſes eleuare virgã, & mare cognoſcens venturi ligni figurã, mox iter populo pandit inſuetum. Si ad aquam Maræ amaram venitur, niſi lignum in ſe ſuſceperit, non dulceſcit. Quæ res erat indicio, amaritudinem gentium per lignum Crucis in vſum dulcedinis quãdoque eſſe vertendam; ſi autem non habet aquã populus vnde bibat, petra ligno percutitur, & dat per gratiam, quod nõ habuerat per naturam.

℣. Dum ſacrum. 27. Lect. 6.

O Crux, cuius tãtus, ac talis decerpitur fructus. Fructus autem Crucis, glorię eſt reſurrectio. Hic fructus ligni huius vere plantatus eſt ſecus decurſus aquarũ: ſemper enim Cruci Baptiſma iungitur. Dedit hoc lignum fructum in tempore ſuo, dedit fructum interim Domini reſurrectione, dabit & cũ apparuerit de cælis ille, qui viſus eſt ſuper terram, cum præcedente ipſo Crucis ſigno iam fulgido venerit de ſupernis: tunc reſurgẽt corpora ſepultorum, tunc exultabunt ſancti in gloria, tunc in ſuis cubilibus lætabuntur, qui nunc de

ſui

sui Regis,ac Domini Cruce nõ confunduntur, sed potius gloriantur. ℟. Hoc signũ.27.

In tertio Nocturno.

Lect.S.Euãg.sm̃ Io. Lec.7.

IN illo tẽpore: Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine,princeps Iudęorum: hic uenit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi,scimus,quia à Deo uenisti Magister. Et reliqua.

Homilia S. Io.Chrysostomi. *Ex ho.26.in Io.c.fin.* Lc.7.

CVm incredibilem suam erga humanum genus per Baptisma liberalitatem ostendisset, addit huius causam, neque illa minorẽ, hoc est per Crucem. Quemadmodum igitur Paulus ad Corinthios hæc simul iungit beneficia,inquiens:Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? siquidem hæc duo maxime ineffabilem Christi in nos amorem præseferunt, & quod pro inimicis passus sit,& mortuus; & per Baptismum integrã peccatorum veniam largitus.Sed quanã gratia nõ manifeste se crucifigẽdum aperuit,sed ad veterem figurã auditores relegauit? ℟. Dulce lignum.28. Lc. 8.

PRimum quidem,vt veterum ad nouã cognitionem intelligeres; deinde vt intelligas,non inuitũ ad passionem venisse; & præterea nullum sibi ex eo damnum, sed multorum salutem secuturam. Ne igitur quispiã diceret, quomodo possunt in Crucifixum credentes salui fieri, cum se à morte non liberauerit?veterem in mediũ adducit historiam; nam si ad ærei serpẽtis simulacrũ aspicientes Iudæi morte liberabantur: quanto maiori, qui in Crucifixum credunt,beneficio fruentur? neque enim, quod Crucifixus est, idcirco eum imbecillitatis arguas; neque Iudæos superiores dixeris, sed mundũ Deus amauit. ℟. Sicut Moyses.28.

Lectio 9.

VIdes Crucis causam,& ex ea salutem? vides, vt figura veritati consentiat? illic mortem fugerunt Iudęi, sed temporalem; hic sempiternam fideles:illic ictus serpen-

pentum ſuſpenſus ſerpens ſanauit; hic incorporei ſerpẽtis plagas Ieſus Cruci affixus curauit: illic æs ſuſpenſum erat in ſerpentis effigiem; hic dominicũ corpus à ſpiritu formatum. Serpens illic mordebat, & ſerpens ſanabat: hic mors perdidit, & mors ſaluũ fecit. Ad hæc, qui interimebat ſerpẽs, veneno ſæuiebat; qui liberabat, nullo; ſic & hic; nam ea, quæ perdebat mors, peccatum habebat, quemadmodum ſerpens venenũ: Domini autẽ mors ab omni immunis erat peccato, vt æreus ſerpens veneno. Te Deum.

6. Maÿ. Quarta die.

Fit de S. Ioanne ad Port. Lat. dup. cum com. oct.

7. Maÿ. Quinta die.

De S. Stanislao Ep. m. ſemid. cum com. oct.

8. Maÿ. Sexta die.

De Apparitione S. Michaelis Archang. dup. cum com. oct.

9. Maÿ. Septima die.

De S. Gregorio Nazian. Ep. conf. dup. cum com. oct.

Die 10. Maÿ.

IN DIE OCTAVA, in ſecundo Nocturno.

Sermo S. Io. Chryſoſtomi. *Ser. 2. in Inuen. S. Cru. poſt init. in Bibliot. Homil. Lo. 4.*

NEminem glorioſorum ſalutis noſtræ ſignorũ pudeat, ſummæq; bonorum, qua & viuimus, & ſumus, ſed vt coronã, ſic Chriſti Crucem feramus; etenim noſtra omnia per illã perficiuntur: ſiue regeneratione, & renouatione opus eſt, Crux præſto eſt; ſiue myſticus ille cibus ſumẽdus, ſiue in ordinem eccleſiaſticum aliqui cooptandi, ſiue quiduis aliud faciendum eſt, vbique victoriæ noſtræ ſignũ adeſt: ob eamq; cauſam illã & in ædibus, & in muris, & in foribus, & in frõte, & in mente cum magno ſtudio depingimus, & inſculpimus. Noſtræ enim ſalutis, cõmuniſq; libertatis, & bonitatis Domini noſtri hoc ſignum eſt: cum ergo inſigniris, tibi in mentẽ veniat vis omnis, quam in ſe Crux continet: ac tum denique irã, omneſque à ratione auerſos animi impetus extinxeris. &. Nos autẽ. 26. Lo. 3.

NOn enim omnino digito imprimenda, & cõſignanda

gnãda eſt, ſed prius voluntate, ac iudicio cũ magna fide; quia ſic in oculis, vultuque impreſſa impurorum, ſceleſtorumque dæmonum nullus ad te accedere, aut in propin quo ſtare vnquã poterit, cernens gladium, quo vulnus, plagãque accepit, videnſque enſem, quo mortem accepit: ſi enim nos, cum loca, in quibus dãnati ſecãtur, videmus, exhorreſcimus: cogita, quid euenturum ſit diabolo, cum arma videbit, quibus vim, poteſtatemq; eius omnẽ Chriſtus diſſoluit, ſerpentiſq; caput amputauit. Hoc etiam ſignum ianuas clauſas maiorum noſtrorũ ætate aperuit; hoc noxia, mortiferaque venena profligauit: hoc cicutæ vim diluit: hoc denique uenenatarum beſtiarum morſus curauit. ℟. Dum. 27. Lec. 6.

SI enim inferorum portas aperuit, & cælorũ orbes laxauit, paradiſique aditum, introitumq; reſtituit, & diaboli neruos fregit; quid mirũ videri debet, ſi mortifera uenena, & alia eiuſdem generis uincit, & ſuperat? Hoc igitur in mẽte tua inſculpe, animorumque noſtrorum ſalutem amplectitor. Crux enim hæc orbem terrarum conuertit, errorem expulit, ueritatem reuocauit, terrã cælum fecit, homines Angelos reddidit. Hinc dęmones nõ iam horribiles ſunt, aut metuendi, ſed cõtemnendi; neque mors eſt mors, ſed ſomnus. Hac abiecta ſunt humi, conculcataque omnia, quæ nobis aduerſantur. ℟. Hoc ſignum. 27.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. ſec. Io. Lec. 7.

IN illo tẽpore: Erat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudęorum: hic uenit ad Ieſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus, quia à Deo ueniſti Magiſter. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſc. *Ex ſer.* 55.

SIcut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filiũ hominis. Vnde ſi affixus ſerpens ligno filijs Iſrael contulit ſanitatem, quãto magis ſalutẽ præſtat populis Dominus in patibulo crucifixus? & ſi figu-

ra

ra tantum profuit, quantum prodesse credimus veritatẽ? Serpẽs igitur primus crucifigitur. Recte plane, vt, quia primus apud Deum peccauerat diabolus, primus Crucis sententia feriretur. In ligno enim crucifigitur; rationabiliter factum, vt quia homo in paradiso per arborem cõcupiscentiæ deceptus fuerat, nunc idem per ligni arborem saluaretur; atque eadem materia, quæ causa mortis fuerat, esset remediũ sanitatis. ℟. Dulce. 28.

Lect. 8.

DEinde post serpentẽ in Saluatore homo ipse crucifigitur, scilicet vt post auctorẽ puniatur & facinus. Per primã Crucem vindicatum est in serpentem, per secundã in venena serpentis: hoc est, primum auctor ipse punitur, deinde eius malignitas condemnatur. Virus enim, quod persuasione sua in hominẽ trãsfuderat, nunc reijcitur, nũc curatur. Nam cũ homo passioni addicitur, non morti traditur, sed mortis in eo facinus emendatur. Hoc enim egit Dominus per hominem, quem suscepit, vt dum innocens patitur, præuaricationis illius diabolicę in eo inobedientia corrigatur, & deinceps liber à culpa fieret, ac liber esset à morte. Habentes igitur Dominum Iesum, qui nos passione sua liberauit, in ipsũ aspiciamus sẽper, & de ipsius signo spere mus nostris vulneribus medicinã. ℟. Sicut Moyses. 28. 9. Lect de SS. Gord. & Epim.

Die 14. *Septembris.*

INFRA OCTAVAM
EXALTAT. S. CRVCIS.

15. *Septemb. Secunda die.*

Fit de die oct. Nat. B. Mariæ dup. cum com. oct.

16. *Sept. Tertia die.*

De SS. Cornelio, & Cypr. Pont. mart. sem. cũ com. oct.

Die 17. *Septembris.*

QVARTA DIE.

In secundo Nocturno. Tres lect. S. Ambrosij. Grãde Crucis, vt in 2. die inf. oct. Inuent. 26. cum ijsdẽ ℟℟. omisso Allel.

In tertio Nocturno. Lc. 7. ℣. 12. Le. S. Euã. sm Io.

IN illo tẽpore: Dixit Ieſus turbis Iudæorum: Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et reliqua.

De Homilia S. Leonis Papę.

Ex ſer. 6. de paſſ. in med.

MErito dixerat Dominus: Cum exaltatus fuero, omnia ad me traham; ideſt, totam cauſam humani generis agam, & olim perditã in integrum reuocabo naturam. In me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga ſanabitur. Exaltatum autem Ieſum ad ſe traxiſſe omnia, non ſolũ noſtræ ſubſtantiæ paſſione, ſed etiam totius mundi cõmutatione monſtratũ eſt. Pendẽte enim in patibulo Creatore, vniuerſa creatura cõgemuit, & Crucis clauos omnia ſimul elemẽta ſenſerunt. Nihil ab illo ſupplicio liberum fuit.

℟. Dulce lignũ, vt ſup. 28. ſine Alleluia. Lect. 8.

HOc in communionem ſui & terram traxit, & cælum; hoc petras rupit, monumẽta aperuit, inferna reſerauit, & denſarũ horrore tenebrarum, radios ſolis abſcõdit. Debebat hoc teſtimoniũ ſuo mundus auctori, vt in occaſu conditoris ſui vellent vniuerſa finiri. Sed patientia Dei ſeruat rebus, atque temporibus ordinem ſuum, noſq; in illum potius vocat affectum, vt eorum ſalutẽ petamus, quorũ crimen horremus. Tãto igitur pretio, tanto ſacramento eruti de poteſtate tenebrarũ, & ab antiquæ captiuitatis vinculis abſoluti; date operam dilectiſſimi, vt integritatẽ mentium veſtrarũ nulla diabolus arte corrumpat.

℟. Sicut Moyſes, vt ſup. 28. ſine Allel. Lect. 9.

QVicquid nobis contra chriſtianã fidem ingeritũr, quicquid cõtra mãdata Dei ſuadetur, de illius deceptionibus venit, qui nos innumeris dolis ab æterna vita conatur euertere, captando quaſdã occaſiones infirmitatis humanæ, per quas incautas, negligentesq; animas in laqueos iterũ ſuæ mortis inducat. Anni vitæ noſtræ, & actionũ tẽpora-

ralium qualitates in ſummi, & veri Dei poteſtate conſiſtunt, cuius auxilium, & miſericordiã in omnibus, quæ obtinere cupimus, implorare debemus. Quoniã ſi pro nobis Deus, quis cõtra nos? qui Filio ſuo proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen. Te Deum.

Die 18. *Septembris.*

QVINTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Tres lect. S. Auguſtini. Quid dulcius. 29.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Io. Le. 7.

IN illo tẽpore: Dixit Ieſus turbis Iudæorum: Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et reliqua.

Homilia S. Io. Chryſoſtomi.

Ex hom. 66. in Io.

NVnc princeps mundi huius eijcietur foras: per mortem ſcilicet meam. Et ego ſi exaltatus fuero, omnes traham ad me ipſum, hoc eſt, etiã Gentiles; & ne quis diceret: Quomodo ſi te vicit, eijcietur? Non vicit, inquit; quomodo enim qui alios trahit, victus eſſe poterit? & non dicit; reſuſcitabo: ſed maius; omnes traham ad me ipſum; nam ſi dixiſſet, reſuſcitabo, nõ ſignificaret credituros: ſed cum credituros dicit, & reſurrecturos confirmat: ſi enim mortuus mãſiſſet, & purus homo fuiſſet, nemo credidiſſet.

℟. Dulce. 28. Lect. 8.

OMnes traham ad me ipſum. Quomodo ergo inquit Patrem trahere? quia trahente Filio, Pater etiã trahit; traham, inquit, tanquã à tyranno detentos, & per ſe minime potentes eius manus effugere, vt pote repugnãtis. Alio loco rapinã appellat. Nemo poteſt ſpolia fortis rapere, niſi prius alliget eum, & tunc rapiat. Hæc autẽ ad illius vim oſtendendã dicit, vt illic rapinã, hic tractionem appellaret, quod cũ intelligamus, reſurgamus, glorificemus Deum, non fide tantum, ſed & vita:

aliter non esset gloria, sed blasphemia. ℟. Sicut. 28.

Ex hom. 67. Lect. 9.

REspondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quod Christus manet in æternum. Notãt igitur Christum immortalem, & vitã habere sine fine; vnde etiã quid diceret intelligebãt; nã sæpenumero in scripturis simul & passio, & resurrectio ponitur; sed hi arbitrati silẽtium ei imponere, & nõ esse Christum ostendere, Christum in æternũ manere confitentur: & vide quã praue; nõ enim inquiunt: Nos audiuimus, quod Christus nihil patitur, neque crucifigitur, sed manet in æternum. Hinc videre licet, multis eos intellectis sponte sua in malitia perstitisse. Te Deum.

19. *Sept. Sexta die.*

Fit de SS. Ianuar. & soc. sem. cum com. oct.

20. *Sept. Septima die.*

Fit de SS. Eustachio, & soc. sem. cum com. oct.

21. *Sept. In die octaua.*

Fit de S. Matthæo Apost. & Euã. du. cũ com. dici octauæ.

FESTORVM B. MARIAE V.

SECVNDA DIE.

In secundo Nocturno.

De sermone S. Augustini Episcopi. Lect. 4.

EXultat Maria, & Matrẽ se læta miratur, & de Spiritu sancto se peperisse gaudet: nec quia peperit innupta, terretur: sed quia genuerit, cũ exultatione miratur. O fœmina sup fœminas benedicta, quæ virũ omnino non nouit; & virũ suo vtero circũdedit. Circũdat virum Maria Angelo fidem dãdo, quia Eua perdidit virum serpenti consentiendo. O felix obediẽtia, ò insignis gratia: quæ dũ fidem humiliter dedit, cæli in se opificẽ corporauit. Hinc promeruit gloriam, quã ipse postmodum auxit. Ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Lect. 5.

O Beata Maria, quis tibi digne valeat iura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi lau-

laudes fragilitas humani generis persoluet, q̃ solo tuo cõmercio recuperandi aditũ inuenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones: & cũ susceperis vota, culpas nostras orãdo excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum recõciliationis.

Lectio 6.

SIt p̃ te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mẽte poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus: quia tu es spes vnica peccatorum. Per te speramus delictorũ veniam, & in te beatissima nostrorũ est expectatio præmiorũ. Sancta Maria, succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrãt tuam sanctam festiuitatem.

vel apponatur aliud nomẽ festi B.M. de quo fit officium.

TERTIA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abb.

Lectio 4.

NOuum fecit Dominus super terrã, vt mulier circũdaret virum, nec alium quam Christum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomẽ eius. Nouum quoque fecit in cælo, vt mulier sõle appareret amicta. Denique & coronauit eũ, & vicissim ab eo meruit coronari. Egredimini filiæ Sion, & videte Regẽ Salomonem, in diademate, quo coronauit eum mater sua. Verũ hoc alias. Interim sane ingredimini magis, & videte Reginã in diademate, quo coronauit eã Filius suus. In capite, inquit, eius corona stellarũ duodecim.

Lectio 5.

DIgnum plane stellis coronari caput, quod & ipsis longe clarius micans, ornet eas potius, quã ornetur ab eis. Quidni coronent sidera, quam sol vestit? Sicut dies verni circũdabant eam flores rosarum, & lilia conuallium. Nimirũ læua sponsi

ſub capite eius,& iã dextera illius amplexatur eam. Quis illas æſtimet gemmas, quis ſtellas nominet,quibus Mariæ regium diadema cõpactum eſt ? Lect.3.

OVid ergo ſidereũ micat in generatione Mariæ: Plane quod ex regibus orta,quod ex ſemine Abrahæ,quod generoſa ex ſtirpe Dauid.Si id parum videtur: adde quòd generationi illi:ob ſingularẽ priuilegium ſanctitatis diuinitus noſcitur eſſe conceſſa:quod longe ante eiſdem patribus cælitus repromiſſa, quod myſticis præfigurata miraculis, quod oraculis prænuntiata propheticis . Hanc ſacerdotalis virga, dum ſine radice floruit hunc Gedeonis vellus,dum in medio dictæ areę maduit : hanc in Ezechielis viſione orientalis porta,quæ nulli vnquam patuit, præſignabat.

QVARTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S.Io.Chryſoſt. Le.4.

DEi filius non diuitem, aut locupletẽ aliquã fœminã ſibi matrem elegit; ſed beatam virginem illam, cuius anima virtutibus ornata erat.Cum enim beata Maria ſupra omnem hominum naturã caſtitatem ſeruaret,propterea Chriſtũ Dominum in virtute concepit. Ad hãc igitur ſanctiſſimam virginem, & Dei Matrẽ accurrentes , eius patrocinijs vtilitatem aſſequamur.Itaq; quęcunque eſtis virgines ad Matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimã , pretioſiſſimam, & incorruptibi lẽ poſſeſſionẽ patrocinio ſuo vobis conſeruabit. Lect.5.

MAgnum re vera miraculum, fratres dilectiſſimi fuit,beata sẽper Virgo Maria.Quid namque illa maius,aut illuſtrius vllo vnquam tempore inuẽtum eſt, ſeu aliqñ inueniri poterit ? Hæc ſola cælum, ac terram amplitudine ſupauit. Quidnam illa ſanctius? Non Prophetæ,non Apoſtoli,nõ Martyres,non Patriarchæ, non Angeli,non Throni,nõ Dominationes , non Seraphim, non Cherubim,non denique

aliud

aliud quidpiã inter creatas res viſibiles, aut inuiſibiles, maius, aut excellentius inueniri poteſt. Eadem ancilla Dei eſt, & Mater: eadem virgo, & genitrix. Lect. 6.

HÆc eius Mater eſt, qui à Patre ante omne principiũ genitus fuit, quẽ Angeli, & homines agnoſcunt Dominum rerum omniũ. Vis ne cognoſcere quanto Virgo hęc præſtantior ſit cæleſtibus potentijs? Illę cũ timore, & tremore aſſiſtunt, faciem velantes ſuam: hæc humanum genus illi offert, quẽ genuit. Per hanc & peccatorum veniam conſequimur. Aue igitur Mater, cælum, puella virgo, thronus, Eccleſiæ noſtræ decus, gloria, & firmamentum, aſſidue pro nobis precare Ieſum Filium tuum, & Dominum noſtrum: vt per te miſericordiam inuenire in die iudicij, & quæ repoſita ſunt ijs qui diligunt Deum bona conſequi poſſimus, gratia, & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: cũ quo Patri ſimul, & ſancto Spiritu gloria, honor, & imperium nunc, & sẽper in ſęcula ſæculorũ. Amẽ.

QVINTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Ex libro S. Epiphanij Epiſc. aduerſus hæreſes. Lect. 4.

BEata Mater Dei Maria per Euam ſignificatur, quæ per ænigma accepit, vt mater viuentium vocetur. Illa etenim mater viuentiũ vocata eſt, etiam poſtquam audiuit: Terra es, & in terrã reuerteris, poſt tranſgreſſionẽ. Et mirum eſt, quod poſt tranſgreſſionẽ hoc magnum cognomen habuit. Et quod quidem pertinet ad rẽ ſenſibilẽ ab illa Eua omnis hominum generatio deducta eſt in terra: hic autem vere à Maria hæc vita mundo genita eſt, vt viuentem gigneret, & fieret Maria Mater viuentium. Per ænigma igitur Maria mater viuentium appellata eſt. Lect. 5.

EVæ datum eſt operire corpus ſenſibile propter nuditatem ſenſibilem: Mariæ uerò datũ eſt à Deo, vt pareret nobis Agnum, & ex gloria ipſius Agni fieret

Digitized by Google

nobis uelut a uellere ſapien tiæ per uirtutem ipſius indu mẽtum incorruptibilitatis. Eua etiã mortis cauſa facta eſt hominibus: per ipsã enim mors ingreſſa eſt in mundũ: Maria uero cauſa uitæ, per quã genita eſt nobis uita, & per hanc Filius Dei aduenit in mundũ: & ubi abundauit peccatum, ibi ſuperabundauit & gratia: & unde illata eſt mors, illinc proceſſit & uita, ut uita p morte fieret: & qui per mulierẽ nobis uita factus eſt, mortẽ ex muliere inductam excluderet. Et quoniã illic Eua, cum adhuc eſſet uirgo, per inobediẽtiã tranſgreſſa eſt: è contrario per Virginẽ obedientia gratiæ facta eſt, annuntiato aduentu in carne de cælo, & uita æterna. Lect. 6.

DE Maria enim accipitur (liceat mihi hoc dicere) quod ſcriptum eſt de Eccleſia: Relinquet homo patrẽ ſuum, & matrem ſuã, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Sanctus autem Apoſtolus dicit: Myſterium hoc magnũ eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia. Et uide ſcripturarum accuratã dicẽdi proprietatem, quod de Adã quidem dixit, formauit: de Eua vero non formatam eſſe, ſed ædificatã. Accepit enim, inquit, vnam de coſtis eius, & ædificauit ipſi in vxorẽ. Quo oſtẽdat, Dominum quidem de Maria efformaſſe ſibi ipſi corpus, ab ipſa vero coſta ædificatam eſſe Eccleſiam, in eo quod punctum & apertum eſt ipſius latus, & myſteria ſanguinis, & aquæ, pretia redemptionis facta ſunt.

SEXTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Cyrilli Epiſcopi Alexandrini.

Hom. cõtra Neſtoriũ. Le. 4.

HIlarem video cœtum fidelium omnium, qui cõuenerunt prõptis animis, à sãcta, & Dei Matre Maria ſemper Virgine conuocati. Laus, & gloria ſit tibi ſancta Trinitas, quæ omnes nos ad hãc celebritatem cõuocaſti. Sit etiã tibi sãcta Dei Mater laus. Tu enim es pretioſa margarita orbis terrarum a

tu

tu lampas inextinguibilis, corona uirginitatis, ſceptrũ orthodoxæ fidei, templum indiſſolubile, continens eum qui nuſquã cõtineri poteſt: Mater, & Virgo: tu benedicta inter mulieres, eius parens qui benedictus venit in nomine Domini. Lect. 5.

PEr te Trinitas sãctificatur, per te Crux pretioſa celebratur, & adoratur in toto orbe terrarum. Per te exultat cælum, lætantur Angeli, & Archangeli, fugantur dæmones: & homo ipſe ad cælum reuocatur. Per te omnis creatura idolorum errore detenta, conuerſa eſt ad agnitionẽ veritatis, & fideles homines ad ſanctũ baptiſma peruenerunt, atque in toto orbe terrarum cõſtructæ ſunt Eccleſiæ. Lect. 6.

TE adiutrice gentes veniunt ad pœnitẽtiam. Quid plura? Per te vnigenitus Dei Filius, vera illa lux effulſit ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis. Per te Prophetæ prænuntiarũt, per te Apoſtoli ſalutẽ gentibus prædicarunt. Quiſnã poterit tuarũ laudum præcónia explicare, Maria Mater, & Virgo? Hanc, fratres dilectiſſimi, celebremus, eius Filium, Eccleſiæ ſponſum immaculatum adorantes: cui honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

SEPTIMA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Ex epiſtola S. Ambroſij Epiſcopi ad Siricium Papam. *Epiſt.* 81. *al.* 7. Lect. 4.

DE via peruerſitatis produntur dicere: Virgo concepit, ſed nõ virgo generauit. Quæ potuit ergo virgo cõcipere, nõ potuit uirgo generare; cum ſemper conceptus præcedat, partus ſequatur? Sed ſi doctrinis non creditur ſacerdotũ, credatur oraculis Chriſti, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia nõ eſt impoſſibile Deo omne verbum. Credatur ſymbolo Apoſtolorũ, quod Eccleſia Romana intemératum ſemper cuſtodit, & ſeruat. Audiuit Maria vocem Angeli, & quæ ante dixerat: Quomodo fiet illud? non de fide generationis inter-

ter-

terrogans,respondit postea: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum.

Ex lib.S.Hieronymi Presbyteri aduersus Iouinianum.

De Apolog.ad Pammachiũ, pro lib. aduersus Iouinianũ. in fi. Lec.5.

CHristus Virgo, Mater Virginis nostri Virgo perpetua, Mater,& Virgo. Iesus enim clausis ingressus est ostijs : & in sepulchro eius, quod nouum & in petra durissima fuerat excisũ, nec antea quis, nec postea, positus est. Hortus conclusus,fons signatus:de quo fõte ille fluuius manat, iuxta Ioel, qui irrigat torrentem, uel funium,uel spinarum:funium, peccatorum, quibus ante alligabamur:spinarum, quæ suffocant sementem patrisfamilias.Hæc est porta orientalis, ut ait Ezechiel, semper clausa,& lucida,operiens in se, uel ex se proferẽs sancta sanctorum,per quam Sol iustitiæ, & Pontifex noster secundum ordinẽ Melchisedech ingreditur,& egreditur.

Ex libro S. Irenæi Episc.& mart.aduersus hæreses.

Lib.5.Cap.19. Lect.6.

IN sua propria ueniente Domino, & sua propria eum baiulante conditione, quæ baiulatur ab ipso, & recapitulationem eius, quæ in ligno fuit inobedientiæ,per eam, quæ in ligno est, obedientiam faciente, & seductione illa soluta, qua seducta est male illa,quæ iam uiro destinata erat uirgo Eua; per ueritatem euangelizata est bene ab Angelo iam sub uiro virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angelicum sermonẽ seducta est, ut effugeret Deum,prꝛeuaricata uerbum eius: ita & hæc per Angelicum sermonem euangelizata est,ut portaret Deum,obediens eius uerbo. Et sicut illa seducta est, ut effugeret Deũ; sic hæc suasa est obedire Deo,uti virginis Euæ virgo Maria fieret aduocata. Et quemadmodum adstrictum est morte genus humanum per virginẽ : soluatur per Virginem: æqua lance disposita uirginalis in-

obe-

)edientia, per uirginalem
)edientiam.

IN DIE OCTAVA.

In secundo Nocturno.

e expositione S. Gregorij Papę in libros Regnm.

n 1. Regum 1. Lect. 4.

Vit vir vnus de Rama-thaim Sophim, de mõte)hraim. Potest montis no-ine beatissima semper Vir Maria, Dei genitrix, desi-ari. Mons quippe fuit, quę nnẽ electę creaturæ altitu nẽ, electionis suæ dignita-transcendit. An non mons blimis Maria, quæ vt con-ptionẽ æterni Verbi per-ngeret, meritorum verticẽ)ra omnes Angelorũ cho-s, vsque ad solium Deita-erexit? Huius enim mon præcellentissimã dignita n Isaias vaticinãs ait: Erit nouissimis diebus præpa-us mons domus Domini ertice montium. Mons ppe in vertice montium t, quia altitudo Mariæ su omne sanctos refulsit.

epistola S. Leonis Papæ Pulcheriam Augustam.

ist. 13. ante med. Lect. 5.

SAcramentum recõciliationis nostræ ante tempora æterna dispositũ, nullæ implebãt figuræ: quia nondũ superuenerat Spiritus sãctus in Virginem, nec virtus Altissimi obumbrauerat ei, vt & intra intemerata viscera, ędificante sibi Sapientia domum, Verbum caro fieret, & forma Dei, ac forma serui in vnã conueniente personã, Creator temporum nascere-tur in tempore, & per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretẽ. Nisi enim nouus homo, factus in simi-litudinẽ carnis peccati, no-strã susciperet vetustatem, & cõsubstantialis Patri, con substantialis esse dignaretur & Matri, naturamq; sibi no stram solus à peccato liber vniret; sub iugo diaboli ge-neraliter teneretur humana captiuitas.

De expositione S. Basilij Epi scopi in Isaiam Prophetã.

In cap. 8. post initiũ. Lec. 6.

ACcessi, inquit, ad Pro-phetissam, & in utero accepit, & peperit Filium. Quod Maria Prophetissa fue-

rit,

rit, ad quam proxime acceſſit Iſaias per prænotionem ſpiritus, nemo cõtradixerit, qui ſit memor uerborum Mariæ, quæ prophetico afflata ſpiritu elocuta eſt, qd enim ait? Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo: quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod ſi animum accommoda ueris uniuerſis eius uerbis, non utique contentioſe negaueris eã fuiſſe Prophetiſſam, qnod Domini ſpiritus in eã ſuperuenerit, & virtus Altiſſimi obũbrauerit ei.

Die 8. Decembris.

INFRA OCTAVAM

CONCEPT. B. MARIAE.

Die 9. Decembris.

SECVNDA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Per totam hanc octauam in 2. noctur. leguntur lectiones vt infra octauas feſtorum B. Mariæ. 36. cum ſequentibus RR.

℟. 4. Cõceptio glorioſæ Virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid: Cuius vita inclyta cũctas illuſtrat Eccleſias. Hodiè cõcepta eſt beata Virgo Maria ex progenie Dauid. Cuius.

℟. 5. Cum iucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus: Vt ipſa pro nobis intercedat ad Dñm Ieſum Chriſtum. ℣. Corde, & animo Chriſto canamus gloriã in hac ſacra ſolẽnitate præcelſæ genitricis Dei Mariæ. Vt ipſa.

℟. 6. Conceptio tua Dei genitrix Virgo, gaudiũ annuntiauit vniuerſo mundo: Ex te enim ortus eſt Sol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter. Qui ſoluens maledictionẽ, dedit benedictionẽ: & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te. ℣. Gloria. Qui ſoluens.

In tertio Nocturno.

Lectio 8. Euang. ſec. Matth. Lect. 7. c. 1.

LIber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abra-

Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

Homilia Sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. comment. in Matth. in initio.

IN Isaia legimus: Generationem eius quis enarrabit? Non ergo putemus Euangelistam Prophetæ esse contrarium; vt quod ille impossibile dixit affatu, hic narrare incipiat: quia ibi de generatione diuinitatis, hic de incarnatione est dictum. A carnalibus autẽ cœpit, vt per hominem, Deum discere incipiamus. Filij Dauid, filij Abrahã. Ordo præposterus, sed necessario commutatus. Si enim primum posuisset Abrahã, & postea Dauid, rursus ei repetendus fuerat Abraham, vt generationis series texeretur. ℣. Beatã me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Dominus magna qui potẽs est, & sanctum nomen eius. ℣. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Lec. 6.

IDeo autem cęteris prætermissis, horum filium nuncupauit, quia ad hos tantum facta est de Christo repromissio. Ad Abraham: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes, quod est Christus. Ad Dauid: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Iudas autẽ genuit Phares, & Zaram de Thamar. Notandum, in genealogia Saluatoris nullam sãctarum assumi mulierum, sed eas quas scriptura reprehendit: vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret. Vnde & in consequentibus Ruth Moabitis ponitur, & Bethsabee vxor Vriæ. ℣. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: Quia ex te ortus est Sol iustitiæ, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum iuuamẽ, quicunque celebrant tuam sanctam Cõceptionẽ. Quia. ℟. Gloria. Christus.

Lib.

Lib. 1. Comment. in Matt.

IAcob autem genuit Ioseph. Hunc locum obiecit nobis Iulianus Augustus dissonantiæ Euãgelistarum, cur Euangelista Matthæus Ioseph dixerit filium Iacob, & Lucas eum filium appellarit Heli: non intelligens consuetudinẽ scripturarum, ꝙ alter secundum naturã, alter secũdum legem ei pater sit. Scimus enim hoc ꝑ Moysen, Deo iubente, præceptum, vt si frater, aut propinquus absque liberis mortuus fuerit, alius accipiat vxorem ad suscitandũ semen fratris, vel propinqui sui. Ioseph virum Mariæ. Cum virũ audieris, suspicio tibi nõ subeat nuptiarum: sed recordare cõsuetudinis scripturarum, quod sponsi viri, & sponsæ vocentur vxores, Te Deum.

Die 10. Decembris.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. secundum Matthæum. Lect. 7.

LIber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

De Homilia S. Hilarij Episc.

Comment. in Matth. c. 1.

NOn refert quis in originis numero, atque ordine collocetur, dummodo vniuersorũ familia cẽpta esse intelligatur ab vno. Itaque cum eiusdem tribus sint Ioseph, & Maria, dum profectus esse ex Abrahæ genere Ioseph ostenditur, profecta quoque docetur & Maria. Hæc enim in lege ratio seruata est, vt si mortuus sine filijs familiæ princeps fuisset, defuncti vxorẽ posterior frater eiusdẽ cognationis acciperet, susceptosq; filios in familiã eius, qui mortuus esset referret: maneretque ita in primogenitis successionis ordo, cum patres eorum, qui post se nati essent, aut nomine haberentur, aut genere.

℣. Beatam. 45. Lec. 8.

COnsequens illud est, vt, quia diximus secundũ rerum fidem generationis istius ordinem nec numero sibi, nec successione cõstare, huius quoque rei ratio afferatur.

Digitized by Google

ratur. Non enim leuis causa est, vt aliud in narratione sit, aliud fuerit in gestis, & aliud referatur in summa, aliud vero teneatur in numero. Nãque ad Abrahã vsque ad Dauid quatuordecim generationes numeratæ sunt: & à Dauid vsque ad transmigrationẽ Babylonis in quibusdã libris decem & septẽ deprehenduntur. Sed in hoc non mendacij, aut negligentiæ vitium est: tres enim ratione præteritæ sunt. Nam Ioras genuit Ochoziam, Ochozias vero genuit Ioam, Ioas deinde Amasiam, Amasias autẽ Oziam: & in Matthæo Ioras Oziam genuisse scribitur, cum quartus ab eo sit: hoc ita, quia ex Gentili fœmina Ioras Ochozifi genuit, ex Achab scilicet, qui Iezabel habuit vxorem.

℟. Felix namque. 45. Le. 9.

DEnique per Prophetã non nisi quarta generatione in throno regio Israelis quemquam de domo Achab esse sessurũ dicitur. Purgata igitur labe familiæ gentilis tribus, quę præteritis iam regulis, in quarto generationum consequentium ordine numeratur, & vsque ad Mariã generationes quatuordecim esse scribuntur, cum in numero decem & septem reperiantur, nullus error esse poterit, scientibus nõ eam solum esse Domino nostro Iesu Christo originẽ, quæ cœpit ex Maria: sed in procreatione corporea, natiuitatis æternæ significãtiã comprehendi. Te Deum.

Die 11. *Decẽb. Quarta die.* Fit de S. Damaso Pap. conf. sem. cum com. oct.

Die 12. *Decembris.*

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euãg. sm Matt. Le. 7.

LIber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

Homil. S. Ioannis Chrysost. *Homil. 2. in Matt. post init.*

AVditu quidem mirabile est, quod ineffabilis Deus, & qui nec sermonibus explicari potest, nec cogitationibus cõprehẽdi, Patriq;

per

per omnia coæqualis, per Virginis ad nos venit vterũ, & fieri ex muliere dignatus est, & habere progenitores Dauid, & Abraham: & quid dico, Dauid, & Abrahã, etiã illas, quod magis stupẽdum est, fœminas, quas paulo ante memoraui. Hęc igitur audiens mente cõsurge, nihilq; humile suspiceris, sed potius propter hoc ipsum maxime mirare, quia cum verus, & dilectus Filius sit sempiterni Dei, etiam Filius Dauid esse dignatus est, modo vt te filium faceret Dei: seruum patrem habere dignatus est, vt tibi seruo Patrem faceret ipsum Deum. ℣. Beatam me dicent. 45.

Lect. 8.

VIdes ab ipso statim principio, quàm læta sint hæc nuntia. Quod si ambigis de his, quæ ad tuũ spectant honorem, ab ijs, quæ illius sunt, etiã tua disce credere. Quantũ enim consequi potest humana ratio, multo est difficilius Deum hominẽ fieri, quam hominẽ Dei filiũ cõsecrari. Cum ergo audieris, quia Filius Dei, Filius sit & Dauid, & Abrahæ; dubitare iam desine, quod & tu, qui filius es Adæ, futurus sis filius Dei. Nõ enim semetipsum ita humiliasset, nisi nos esset exaltaturus. Natus est enim secundum carnem, vt tu nascerere spiritu: natus est ex muliere, vt tu desineres filius esse mulieris.

℟. Felix namque. 45.

Lectio 9.

PRopterea duplex facta generatio est, hæc scilicet nostræ similis, illa nostrã eminenter excedens. Quod enim natus ex fęmina est, & nobis competit: quod vero non ex voluntate carnis, & viri, sed ex Spiritu sancto, aliam nobis sublimiorem, futuramque, & spiritu consequendam generationem promittit. Sed alia quoque omnia ex simili diuersitate constabant. Nã & baptisma profecto tale suscepit, quod haberet quidẽ aliquid veteris, haberet & noui: quod enim baptizatus est à Propheta, expressit vetus: quod autem descendit Spiritus, adũbrauit nouũ. Te Deum.

Die

13. *Decemb. Sexta die.*

Fit de S. Lucia du. cũ cõ. o&.

Die 14. *Decembris.*

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euãg. sec. Mat. Le. 7.

LIber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

De Homilia S. Io. Chrysost.

CVius vero rei gratia librum ipsũ generationis Christi vocat, vbi nõ sola vtique generatio, sed tota prorsus ipsius mysterij dispensatio continetur? quia totius scilicet dispensationis caput, radix atque principiũ omnium nobis in hoc consistit bonorũ. Vt enim Moyses librum cęli appellauit, ac terræ, cum certe non de cęlo solum, terraque loqueretur, sed de cunctis, quæ inter ipsa subsistunt: ita etiam Euangelista ab ipso omnium fonte, & capite bonorum librũ vocauit. &. Beatam. 45.

Lec. 8.

QVa vero de causa non eum ante, filiũ Abrahæ, & postea filium Dauid nuncupauit? Non, sicut opinãtur aliqui, ab inferioribus volens ad superiora conscẽdere: cæterum feciſſet, quod fecit & Lucas; nunc autem e contrario facit: cur ergo cõmemorauit priorẽ Dauid? Quia ipse proçul dubio in omnium vocabatur ore, ob insigne honoris, & glorię, ob ipsius quoque temporis spatia iunctiora. Etsi enim vtrique promiserat Deus, sed tamẽ illud quasi antiquum reticebatur, hoc vero quasi nouum, & recens ab omnibus celebrabatur. &. Felix. 45.

Lec. 9.

IPsi namq; Iudæi dicunt: nõne ex sermone Dauid, & Bethleem castello, vnde erat Dauid, venit Christus? Nemo igitur illum filium Abrahæ, sed omnes filiũ Dauid nominabant; qui etiam honorabiliores quosq; de sãctitate Reges, qui post Dauid fuisse referuntur, ab illo omnes vocabãt. Nec ipsi solum, verum etiã Deus. Nã & Ezechiel, & alij Prophetæ dicunt, Dauid surrecturũ esse,

atq; venturũ: nõ de illo vtiq; mortuo iam loquentes; sed de ijs, qui illius virtutẽ erant imitaturi. Propterea igitur à notiore interim, & celebratiore persona sumit exordiũ; & tum demum ad antiquiorem recurrit parẽtem. Te Deum.

Die 15. Decembris.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euãg. sec. Mat. Le. 7.

LIber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

De Hom. S. Io. Chrys.

DVo sunt, quæ pariunt quęstionẽ. Vnum, quę causa sit, vt in generationũ catalogo virgo sileatur; alterũ vero, qua ratione Ioseph memoretur, cui certe nihil cum Christi generatione est commune. Videtur enim & vnum abundare, & alterum deesse. Quid ergo dicemus? quod vtique primum illud necesse fuerat memorari, quẽadmodum ex Dauid Virgo descenderit. Vnde hoc itaq; discemus? Audi ad Gabriel loquentẽ Dominum: vade ad Virginem despõsatam viro, cui nomen Ioseph, ex domo & familia Dauid, quid vis audire manifestius; cum ex domo & familia Dauid illã Virginem esse cognoscas? & Beatam. 45. Lec. 8.

NOn erat mos apud Hebræos generationum catalogum per fęminas texere. Vt ergo & morem custodiret, ne in ipso statim principio videretur antiqua destruere; & nobis Virginem certius indicare; parentes eius reticens, atq; maiores, de Ioseph generatione non tacuit: siue enim hæc fecisset in Virgine nouitatis non effugisset inuidiã; siue Ioseph reticuisset, non agnoscemus, ex qua tribu Virgo subsisteret. Vt ergo & nos discerneremus, quæ esset Maria, uel unde; & cõsuetudo legis permaneret immobilis, generationũ catalogum usq; ad spõsum eius perduxit, ac de domo illum Dauid esse mõstrauit. & Felix. 45.

Lec. 9.

Hoc

HOc enim declarato, illud quoq; pariter ostendit, q̃ scilicet inde esset & virgo; quia utique nequaquam iustus iste pateretur uxorem sibi aliunde, quam unde lex præcipiebat eligere. Possumus uero aliã quoq; & altiorem quidem proferre rationem, ob quã parentes Virginis p̃termissi sunt: sed quæ ea est? Noluit Euangelista recenti adhuc tempore noui illius, admirandiq; partus Iudæis esse manifestum, q̃ Christus natus fuisset ex Virgine. Neq; proprius noster hic sermo est, sed à nobis de Patrũ, atq; insignium uirorum traditione susceptus. Te Deum.

Die 2. Februarij.

INFRA OCTAVAM PVRIFICAT. B. MARIAE.

Die 3. Februarij.

SECVNDA DIE.

In secundo Nocturno.

Per totam hanc octauam in 2. noct. leguntur lectiones, ut infra octauas festorum B. Mariæ. 36. cum sequentib. Responsorijs.

℟. Simeon iustus, & timoratus expectabat redẽptionem Israel: Et Spiritus sanctus erat in eo. ℣. Responsum accepit Simeon à Spiritu sancto; non uisurum se mortem, nisi uideret Christum Domini. Et Spiritus sanctus.

℟. 5. Responsum accepit Simeon à Spiritu sancto, non uisurum se mortem, nisi uideret Christum Domini. Et benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuũ Domine. ℣. Cum inducerẽt puerum Iesum parẽtes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo: ipse accepit eũ in ulnas suas Et benedixit.

℟. 6. Cũ inducerent puerum Iesum parentes eius in templum, ut facerent secundum cõsuetudinem legis pro eo, accepit eum Simeon in ulnas suas, & benedixit Deũ, dicens: Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace. ℣. Sũscipiens Simeon puerum in manibus, exclamauit, dicens: Nunc dimittis. Gloria Patri. Nũc dimittis.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelij ſecundũ Lucam. Lect. 7. c. 2.

IN illo tempore: Poſtquã impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legẽ Moyſi, tulerunt Ieſum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini. Et reliqua. Homilia S. Io. Chryſoſtomi. *Or. 7. init. 17. Declam. Patr. circa med.*

TAmetſi Virgo nulla purgatione egeret: attamẽ, ne lex calcari uideretur, adduxerunt puerum Ieſum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptũ eſt in lege Domini: vbi corporeæ expiationis mentio habetur, ibi lex Moyſi tribuitur: ubi uero oblationis ſanctæ, ibi, ſicut in lege Domini ſcriptum eſt, dicitur. Hoc autem diſcrimen ea de cauſa non cõſtituitur, quaſi lex Moyſis non ſit lex Domini (qcquid enim Propheta Spiritu sãcto afflatus, de re quapiã diſſerens loquitur, Dominus ſuggerit) nihilominus, quod expiatio corporeum typum præſeferret, Moyſis ſanctio appellatur. ℟. Suſcipiens Ieſum in vlnas ſuas Simeon, exclamauit, & dixit: Tu es vere lumen ad illuminationẽ gentiũ, & gloriã plebis tuę Iſrael. ℣. Cum inducerent puerũ Ieſum parentes eius, & ipſe accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Tu es.

Lectio 8.

COntra ver o, quod omne primogenitum Domino ſiſteretur, Euangeliſta, quod primo ex vtero enatũ erat, honorans, ſecundũ legẽ Domini ſiſti perhibet. Sicut ſcriptum eſt in lege Domini, omne maſculinũ adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur. Hoc decretum, & hæc lex, totaq; decreti, & legis ratio, & cauſa ob eũ poſita eſt, qui vterũ aperturus erat. Nulla enim ſiue brutorum animantium, ſiue hominum primogenita comperta ſunt vnquam, quæ aperirent vuluam; quare tantum primogenita erant. Quem autẽ Virgo peperit, is ſolus vterũ aperuit. ℟. Senex puerum por-

portabat, puer autem senem regebat: Quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partū, quē genuit, adorauit. ℣. Accipiens Simeon puerū in manibus, gratias agens benedixit Dominum. Quem virgo. Gloria Patri. Quem.

9. Lect. De S. Blasio.

Die 4. Februarÿ.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euāg. sm̄ Luc. Lec. 7.

IN illo tempore: Postquā impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterēt eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Et reliqua. Homil. S. Bernardi Abbatis. *Serm. 3. in Purific. post init.*

QVis nō aduertat in ipso sententiæ huius initio, liberam Matrē Domini ab hoc p̄cepto? Putas enim, quia dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset filiū, immundam esse, non timuerit super Matre Domini blasphemiæ crimen incurrere, & idcirco premiserit, suscepto semine? Alioquin, nisi pariturā præuidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaque, quod lex ista Matrem Domini nō includit, quæ nō suscepto semine filium peperit. Putas ergo nō poterat moueri animus eius, & dicere: Quid mihi opus purificatione? cur non ingrediar templum, quę peperi Dominum templi?

℟. Suscipiens. 52. Lect. 8.

VEre, o beata Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed nunquid Filio tuo opus erat circunciſione? esto inter mulieres tanquam vna earum: nam & Filius tuus sic est in numero puerorum. Circumcidi voluit, & nō multo magis velit offerri? offer Filium tuum, Virgo sacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationē hostiam sanctā, Deo placentem; omnino acceptabit Deus Pater oblationē nouam, & pretiosissimam hostiam. ℟. Senex. 52.

Lect. 9.

SEd oblatio iſta, fratres, ſatis delicata videtur, vbi tantum ſiſtitur Domino, redimitur auibus, & illico reportatur. Veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, ſed extra ciuitatē inter brachia Crucis. Veniet, quando non redimetur alieno, ſed alios redimet ſanguine proprio. Quia redemptionem miſit eum Deus Pater populo ſuo. Sed quid, fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus, quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hoſtiam pretioſiorem, quam habuit; & nos ergo faciamus quod poſſumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod ſumus vtique noſmetipſi. Te Deum.

5. Febr. Quarta die.

Fit de S. Agatha v.m. ſemid. cum com. oct.

Die 6. Februarij.

QVINTA DIE.

Lect. S. Euāg. ſec. Luc. Le. 7.

IN illo tempore: Poſtquā impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi, tulerunt Ieſum in Ieruſalem, vt ſiſterēt eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

To. 7. Hyem. poſt initium.

PRæcepit Dominus in lege, vt, qui poſſet, agnum pro filio, vel filia ſimul & turturē, ſiue columbā offerret; qui vero nō ſufficeret ad offerendum agnum, duos iā turtures, vel duos columbæ pullos offerret. Ergo Dominus noſtrę per omnia memor ſalutis, non ſolum homo fieri, cum Deus eſſet; ſed etiam, cum diues eſſet, pauper fieri dignatus eſt p nobis, vt nos ſua paupertate ſimul, & humanitate, diuitiarum, & diuinitatis ſuæ donaret eſſe participes.

℟. Suſcipiens. 52. Lect. 8.

SEd libet pauliſper intueri, cur hæ maxime volucres in hoſtiam Domini iubeantur offerri; nam & Abraham Patriarcha tanto ante legem has in holocauſtum Domini legitur obtuliſſe, & in pleriſque legis cæremonijs,

nijs, qui mundãdus eſſet, per has iubebatur mundari. Columba ergo ſimplicitatem, turtur indicat caſtitatem: quia, & columba ſimplicitatis; & caſtitatis amator eſt turtur, ita vt ſi coniugem caſu perdiderit, nõ aliam vltra quærere curet. Merito ergo turtur, & columba Domino offeruntur in hoſtiã, quia nimirum ſimplex, & pudica fidelium conuerſatio gratum eſt illi ſacrificium iuſtitiæ.

℟. Senex. 52.

9. Lectio. De S. Dorothea. *7. Febr. Sexta die.*

Fit de S. Romualdo Abbate ſum. cum com. oct.

Die 8. Februarij.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſecundum Lucam. Lect. 7.

IN illo tẽpore: Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi, tulerunt Ieſum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini. Et reliqua.

De Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

QVod autem Simeon, & Anna, prouectæ videlicet ætatis vir, & fœmina, deuotis cõfeſſionum officijs Dominum, quẽ corpore paruum vident, ſed magnum diuinitate intelligũt, excipiũt; illã profecto populi Iudæorum ſynagogam figurate denuntiant: quæ lõga incarnationis eius expectatione fatigata, promptis illum mox vt aduenit, & piarũ vlnis actionum, & fidei nõ fictæ vocibus exaltare, ac magnificare ſtuduit, acclamans illi, & dicẽs: Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus ſalutaris meus, & te ſuſtinui tota die. Sed & hoc dicendũ, quia merito vterque ſexus ei gratulabũdus occurrerit, qui vtriuſque Redemptor apparebat. ℟. Suſcipiens. 52.

Ex comm. in Luc. poſt med.

Lectio 8.

DEcebat enim omnium Saluatorem ſicut venturum in carne omnium toto ſæculi tempore fidelium facto, vel dicto præſagiri; ita etiã venientem cõmuni omniũ laude prædicari, impleta

Digitized by Google

prophetia, quæ dicit: Laudate Dominum de cælis, & cætera, vsquequo ait: Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius. Confessio eius super cælum, & terram.

℟. Senex. 52. Lect. 9.

QVod autẽ ait: Et venit spiritu in templum: significat eum eadẽ spiritus gratia, qua olim venturum præcognouerat, etiã nunc venientem, & iamiãq; à se videndũ cognouisse Saluatorem. Magna quidẽ Domini potentia, sed nõ minor claret humilitas, vt qui cælo, terraq; non capitur, grãdæui hominis gestetur totus in vlnis. Sed & tropice accipit Simeon Christum, veteranus infantem, vt doceat nos exuere veterem hominẽ, qui corrumpitur cum actibus eius, & renouatos spiritu mentis nostræ induere eum, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate, & veritate. Te Deum.

Die 9. Februarij.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euãg. sec. Luc. Le. 7.

IN illo tempore: Postquã impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legẽ Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, Et reliqua. Homilia S. Io. Chrysostomi. *Orat. 7. vt supra.*

LVmen ad reuelationem gentium. Cur lumen? quia gentes in tenebris versabantur, & quia rursum obscurata, tetrisq; peccatorum tenebris obducta, per illud illustrãda, & expianda erant. Et gloriam plebis tuæ Israel. Hic gloria, illic reuelatio. Hic doctrinæ initium, illic disciplinę persecutio. Ast obiecerit hic forte quispiam: dic, quæso, vbi nã sunt Israelitæ? Ecce, habes Petrum, habes Paulum, habes Ioannem, habes tria millia, habes quinque millia, habes Ecclesiam Ierosolimitanam, habes eos præterea Iudæos, qui inter gentes dispersi, fidem susceperunt. ℟. Suscipiens. 52.

Lectio 8.

Ita-

ITaque asseruabatur in populo illo fidei semen, neque simul vniuersus pessum iuit, absit: neque simul omnes Iudæi in interitum ruerunt, sed plurimi; neque id mirum: nam & nunc quoque infelici hac rerum constitutione, beataque vocatione, multi quidē sūt vocati, pauci vero electi. Non totus itaque populus ille simul interijt, nō totus deprauatus est, nō totus in infidelitate permansit, non totus persecutus est Apostolos; crediderunt enim p Apostolos simul tria millia, extra mulieres, & paruulos, & facta est Ierosolymis Ecclesia admodum numerosa. ℟. Senex. 52.

9. Lectio de S. Apollonia.

Die 2. Iulij.

INFRA OCTAVAM VISITATIONIS B. M.

In die festo; si sit 1. classis. Lect. 7. de Homil. S. Ambr. erit vt in Breuiar. Lect. 8. terminetur ad illa verba: **Non enim sola.** Lect. 9. vsque ad finem. Omissa lectione SS. Processi, &c. mart. ℟.

Die 3. Iulij.

SECVNDA DIE.

In secundo Nocturno.

Lect. 2. Noctur. vt infra oct. festor. B. M. 36. cum sequentibus Respons.

℟. 4. **Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorū.** ℣. Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius. Similis.

℟. 5. **Congratulamini mihi oēs, qui diligitis Dominum, quia cum essem paruula, placui Altissimo: Et de meis visceribus genui Deum, & hominem.** ℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et de meis.

℟. 6. **Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.** ℣. Venite, & audite, & narrabo quanta fecit Deus animæ meæ. Magnificat. Gloria Patri. Magnificat.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euā. sm̄ Luc. Le. 7. c. 1.

IN

IN illo tempore: Exurgẽs Maria, abijt in montana cũ festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosij Episc. *Lib. 2. in Luc. 1.*

MOrale est omnibus, vt qui fidem exigunt, fidem astruant. Et ideo Angelus, cum abscondita nuntiaret, vt fides astrueretur exemplo, senioris fœminæ, sterilisq; cõceptum Virgini Mariæ nuntiauit: vt possibile Deo omne, quod ei placuerit, assereret. Vbi audiuit hoc Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio, in mõtana perrexit. Quo enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina sãcti Spiritus gratia. ℣. Beatã me dicent oẽs generationes: Quia fecit mihi Dñs magna, qui potens est, & sanctum nomẽ eius. ℣. Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus enm. Quia. Lect. 8.

DIscite & vos sanctæ mulieres sedulitatẽ, quã prægnãtibus debeatur exhibere cognatis. Mariam, quæ ante sola in intimis penetralibus versabatur, nõ à publico virginitatis pudor, non à studio asperitas montiũ, non ab officio prolixitas itineris retardauit. In montana Virgo cũ festinatione, Virgo officij memor, iniuriæ immemor, affectu vrgẽte, nõ sexu, relicta perrexit domo. Discite virgines nõ circumcursare per alienas ædes, nõ demorari in plateis, nõ aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festina in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus. ℣. Felix nanque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: Quia ex te ortus est Sol iustitiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede ꝓ deuoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum iuuamen, quicũque celebrãt

tuam

tuam ſanctam Viſitationem. Quia. Gloria. Chriſtus.

Lectio 9.

DIdiciſtis virgines pudorem Mariæ, diſcite humilitatem. Venit propinqua ad proximã, iunior ad ſeniorem: nec ſolũ venit, ſed etiã prior ſalutauit. Decet enim, vt quãto caſtior virgo, tanto humilior ſit. Nouerit deferre ſenioribus: ſit magiſtra humilitatis, in qua eſt profeſſio caſtitatis. Eſt & cauſa pietatis, eſt etiã norma doctrinæ. Contuendũ eſt enim quia ſuperior venit ad inferiorẽ, vt inferior adiuuetur. Maria ad Eliſabeth, Chriſtus ad Ioannem. Te Deum.

Die 4. Iulij.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euãg. ſec. Luc. Le. 7.

IN illo tempore: Exurgẽs Maria, abijt in montana cum feſtinatione in ciuitatẽ Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Et reliqua.

De Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

EXultauit Ioannes, exultauit & Mariæ ſpiritus. Exultante Ioanne, repletur Eliſabeth, Mariã tamen nõ repleri ſpiritu, ſed ſpiritum eius exultare cognouimus. Incomprehẽſibilis enim incomprehẽſibiliter operabatur in Matre: & illa poſt conceptũ repletur, iſta ante conceptum. Benedicta tu inter mulieres. Nouit ſermonem ſuũ Spiritus ſanctus, nec vnquam obliuiſcitur. Et prophetia non ſolum rerum cõpletur miraculis, ſed etiam proprietate verborum.

℟. Beatam. 58. Lect. 8.

QVis eſt iſte fructus ventris, niſi ille, de quo dictum eſt: Ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris? Hoc eſt, hæreditas Domini filij ſunt, qui merces sũt fructus illius, qui de Mariæ ventre proceſſit. Ipſe fructus ventris eſt, flos radicis, de quo bene prophetauit Iſaias dicẽs: Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Radix enim eſt familia Iudæorum, virga Maria, flos Chriſtus: qui

Digitized by Google

qui veluti bonæ arboris fructus pro noſtræ virtutis ,proceſſu,nunc floret,nũc fructificat in nobis. ℟. Felix.58. Le.9.

ET vnde hoc mihi, vt veniat Mater dominimei ad me? Non quaſi ignorans dicit: ſcit enim eſſe Spiritus ſancti gratiã, & operationẽ, vt mater Prophetæ à Matre Domini ad profectum ſui pignoris ſalutetur. Sed quaſi nõ humani hoc meriti,ſed diuinæ gratiæ munus eſſe cognoſcat, ita dicit: Vnde hoc mihi? hoc eſt,quo tãtum bonum mihi accidit, vt mater Domini mei veniat ad me? nõ cognoſco meritum. Vnde hoc mihi?qua iuſtitia?quibus factis? pro quibus meritis? Non vſitata hæc officia fœminarum ſunt. Te Deum.

Die 5.Iulij.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect.S.Euãg.ſec.Luc. Le.7.

IN illo tempore: Exurgẽs Maria,abijt in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Et reliqua.

De Homil.S.Ambroſij Epiſc.

VIdes nõ dubitaſſe Mariam,ſed credidiſſe,& ideo fructum fidei cõſecutã? Beata,inquit,quæ credidiſti. Sed & vos beati,qui auditis, & creditis. Quæcunque enim crediderit anima, & cõcipit, & generat Dei Verbum, & opera eius agnoſcit. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Sit in ſingulis Mariæ anima, vt magnificet Dominum: ſit in ſingulis ſpiritus Mariæ,vt exultet in Deo. Nam etſi ſecundum carnem vna Mater eſt Chriſti, ſecundum fidem tamen omniũ fructus eſt Chriſtus. ℟. Beatam. 58. Lect.8.

OMnis enim anima concipit Dei verbum, ſi tamen immaculata,& immunis à vitijs,intemerato caſtimoniam pudore cuſtodiat. Quæcunque igitur talis eſſe potuerit anima, magnificat Dominum, ſicut anima Mariæ magnificauit Dominum, & exultauit ſpiritus eius in Deo ſalutari ſuo. Non quod Domino aliquid humana voce poſſit adiũgi,ſed quia magni-

gnificatur in nobis. Sed Mariæ, quo persona melior, eo prophetia plenior.

℟. Felix. 58. Lect. 9.

NEc otiosum videtur, quod & ante Ioannem Elisabeth prophetat, & Maria ante Domini ortum: serpunt enim iam tentamenta salutis humanæ. Nam sicut peccatum à mulieribus cœpit: ita etiam bonum à mulieribus inchoatur, vt fœminæ quoque muliebria opera deponentes, infirmitati renuntient, & anima, quæ non habet sexum, vt Maria, quæ nescit errorẽ, religioso imitetur studio castitatem.

Te Deum.

6. Iulij. Quinta die.

Fit de die oct. SS. Apost. cum comm. oct. Visitat.

Die 7. Iulij.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euãg. sec. Luc. Le. 7.

IN illo tempore: Exurgens Maria, abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Ex com. in Luc. lib. 1. c. 3.

NOtandum, quanta Elisabeth animũ gratia, Maria intrãte ditauit, quem simul de præterito, præsenti, atque futuro, per prophetiæ spiritum illustrauit. Dicens enim: Beata, quæ credidisti: aperte indicat, quia verba Angeli, quæ dicta ad Mariam fuerant, per spiritum agnouit. Atque subiungens; Perficientur ea, quę dicta sunt tibi à Domino, quę etiam eam in futuro sequerentur, pręuidit. Matrem vero Domini sui nominans; quia Redemptorem humani generis in vtero portaret intellexit.

℟. Beatam. 58.

Ex hom. eiusdem. Lect. 8.

ET quia per temeritatem seductæ mulieris mors in mundum introierat, congruum fuerat, vt in indicium vitæ reuertentis mulieres se deuotæ humilitatis inuicem ac pietatis præuenirẽt obsequijs. Prior ergo nobis Beata Dei genitrix ad sublimita tẽ patriæ cælestis iter ostendit

dit humilitatis, nō minus religionis, quā caſtitatis exemplo venerabilis; ſiquidē gloria virginei, & intemerati corporis qualis ſit, vita ſupernæ ciuitatis, ad quam ſuſpiramus, inſinuat: quis enim neſciat, virginem Deo cōſecratam, muliere Deo dedita gradum habere potiorem? quis dubitet, Matrem Regis ęterni iure matri militis prę ferendam? Ry. Felix. 58.

Lectio 9.

INtrat ergo domū Zachariæ, atque Eliſabeth, quā ſeruum, ac præcurſorem Dñi parituram nouerat, ſalutat; non quaſi dubia de oraculo, quod acceperat, ſed vt congratulatura de dono, quod cōſeruā accepiſſe didicerat: nō vt verbum Angeli mulieris atteſtatione probaret, ſed vt mulieri prouectæ ætatis Virgo iuuēcula miniſterium ſedula impenderet. Aperiēte os ad ſalutādū Beata Maria, repleta eſt mox Spiritu ſancto Eliſabeth, repletus eſt & Ioannes. Aderat nāque tempus, quo impleretur Angeli ſermo, quē dixerat, quia Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.

Te Deum.

Die 8. Iulij.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euāg. ſec. Luc. Le. 7.

IN illo tēpore: Exurgens Maria, abijt in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Et reliqua.

De Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

VErū audiamus verba, quæ Virgo dixit, ſi forte ex his valeamus aliquantulum dignoſcere, quid intus habuerit. Audita ergo reſpōſione Eliſabeth, quæ eā beatā inter mulieres prędicauit, Matrem Domini ſui cognominauit, fide fortē laudauit, ad cuius ingreſſum ſeipſam cū filio Spiritu ſancto repletā eſſe ſignauit; non amplius tacere potuit dona, quæ perceperat, ſed quæ ſemper animo gerebat, vbi aptum tempus inuenit, etiam deuotaoris profeſſione patefecit. Ry. Beatam. 58. Lect. 8.

Nam-

NAmque, vt virginalem decebat pudorem, acceptum diuinitus oraculum aliquandiu silentio tegebat, arcanum mysterij cęlestis in sui pectoris abdito venerabatur occultum, expectabat reuerẽter, donec ipse donorũ distributor, quid sibi doni specialis tribuisset, quid secreti reuelasset; quandocunquẽ vellet ostẽdere. At postquam eadem, quæ sibi erant charismata præstita p alios spiritu reuelãte esse patefacta cernebat, mox ipsa etiam thesaurum cæli, quẽ in corde seruabat, aperuit. Ait ergo: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

℟. Felix. 58. Lect. 9.

QVibus profecto verbis primo dona sibi specialiter cõcessa confitetur: deindè generalia Dei beneficia, quibus generi humanò in æternum consulere non desistit, enumerat: quæ cum omnibus perfectis verba rectè conueniant, maximè tamẽ ea beatam Dei genitricem proferre decebat, quæ meriti priuilegio singularis spiritali ipsius dilectione flagrabat, cuius corporali conceptione gaudebat. Quæ sequentibus quoque verbis, quam vilia de sẽ ipsa sẽserit, docet; & quod omne, quicquid boni meriti habuit, hoc superna gratia largiẽte perceperit, dicens: quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

Te Deum.

Die 9. Iulij.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euãg. sec. Luc. Le. 9.

IN illo tempore: Exurgẽs Maria, abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et reliqua.

Homil. S. Bernardi Abbatis. *De verb. Apoc. c. 12. circa fi.*

MIrabatur Elisabeth pſonã venientis, dicens: Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? Commendabat & vocem salutãtis, adijciens: Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et

bea-

beatificabat fidem credẽtis: Beata, inquiens, quæ credidisti. Magna quidem prçconia, sed & deuota humilitas nihil sibi passa retinere, in eũ magis vniuersa refudit, cuius in se beneficia laudabantur.

℟. Beatam. 58. Lect. 8.

TV, inquit, magnificas matrem Domini: sed Magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio; sed exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: & ipse quoque tãquam amicus spõsi gaudet ad vocẽ sponsi. Beatam esse dicis, quæ credidi; sed credulitatis, & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, vt ex hoc magis beatam me dicãt omnes generationes: quia ancillam humilem, & exiguam respexit Deus. ℟. Felix. 58. Le. 9.

VEruntamẽ nũquid putamus, fratres, Elisabeth sanctam in eo, quod per spiritum vtique loquebatur, errasse? Absit. Beata plane, quam respexit Deus, & beata quæ credidit. Hic enim magnus diuinæ respectionis extitit fructus ineffabili siquidem artificio spiritus, superueniens tantæ humilitati magnanimitas tãta in secretario virginei cordis accessit, vt quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem. Sed cum in sua æstimatione tam humilis esset, nihilominus, & in promissionis credulitate magnanimis; vt quæ nihil aliud, quam exiguam se se reputaret ancillã, ad inscrutabile Sacramẽtum nullatenus se dubitaret electam, & veram Dei, & hominis genitricem crederet mox futurã. Te Deum.

Die 5. Augusti.

INFRA OCTAVAM

DEDIC. B. MARIAE

ad Niues.

6. Aug. Secunda die.

Fit de Transfigur. Domini, dup. cum comm. oct.

Die 7. Augusti.

TERTIA DIE.

In secundo Nocturno.

Per totam hanc octauam in 2. Noctur. sumuntur lect. vt infra

infra oct. festorum B.M. 36 cum sequentibus Respons.

℟. 4. Sicut cedrus exaltata sũ in Libano,& sicut cypressus in mõte Sion: quasi myrrha electa,Dedi suauitatem odoris. ℣. Et sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans. Dedi suauitatem.

℟. 5 Quæ est ista quæ processit sicut sol,& formosa tãquam Ierusalem? Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudauerunt eam. ℣. Et sicut dies verni circũdabant eam flores rosarum,& lilia cohuallium. Viderunt eam.

℟. 6 Ornatam monilibus filiam Ierusalem Dominus concupiuit: Et videntes eã filiæ Sion, beatissimam prędicauerunt, dicentes: Vnguentum effusum nomen tuum. ℣. Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato,circundata varietate. Et videntes. Gloria. Vnguentum.

In tertio Nocturno.

Lec. S.Eu.sec.Luc. Le.7.c.11

IN illo tempore: Loquẽte Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba: dixit illi; Beatus venter, qui te portauit. Et reliqua.

Homilia S.Io.Chrysostomi. *In c.12.Mat.h.45. post ini.*

VNa,sola,& vera,& cõmunis nobilitas atq; necessitudo cũ Christo est, vt voluntatem Dei facias: hic propinquitatis modus multo melior est, atque vberior: idcirco, cum mulier quædam dixisset:Beatus vẽter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti, non respondit:Nullus me portauit venter,nec vlla ipse vbera suxi, sed beati, qui faciunt voluntatem patris mei. Vides quemadmodum nullibi cõiunctionem hanc naturæ hominum negat,sed addit semper illam, quæ à virtutibus est. ℟. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: Quia ex te ortus est Sol iustitiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu:sẽtiãt omnes tuum iuuamen, quicumque

celebrant tuam sanctam Festiuitatẽ. Quia ex te ortus.

Lectio 8.

NOn dixit, Ise non habere matrem, sed inde matrem quoque suam beatitudinem consecuturam, asseruit, si Patris eius faceret voluntatem. O admirabilem honorem: ò virtutis incredibiles honores, quo ducitis bene viuẽtes homines? quot mulieres sanctissimam illã Virginem beatificarũt, quot vterum illum admirãtur, quot optarũt tales fuisse matres, & cętera contemnere omnia? quid igitur, phibet? Ecce namque rectam atque facilem viam nobis proposuit, vt non fœminis solum, verum etiam viris ad hunc ordinem peruenire liceat: imouero etiam ad maiorem: multo enim propinquiores Deo sunt, qui voluntatem eius faciunt, quam qui summa carnis necessitudine coniunguntur. Non ergo simpliciter propinquitatem illam desidera, verum ẽt viam capesse, magnoq; studio confice, quæ ad hoc desideriũ te perducant. ℟. Beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, & sanctum, nomen eius. ℣. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia. Gloria. Quia.

9. Lectio de S. Donato.

8. Augusti. Quarta Die.

Fit de SS. Cyriaco &c. mar. se. cum com. oct.

Die 9. Augusti.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eua. sec. Luc. Lec. 7.

IN illo tempore: Loquẽte Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi; Beatus venter, qui te portauit. Et reliqua.

Homilia S. Irenæi Episcop. & Martyris.

Lib. 3. adu. hær. c. 32.

ERrant, qui dicunt, Christum nihil ex Virgine accepisse, vt abijciãt carnis hæreditatem, abijciant autem, & similitudinem. Hoc autem dicere est, & putatiue apparuisse eum, & tanquam

quam hominem, cum non esset homo, & factum eum hominem, nihil assumentem de homine. Si enim non accepit ab homine substantiã carnis, neque homo factus est, neque filius hominis: & Apostolus Paulus in epistola, quæ ad Galatas, manifeste ait; Misit Deus filiũ suũ factum de muliere.

S. Felix. 65. Lect. 8.

ET rursus in ea, quæ est ad Romanos: De filio autem (inquit) eius, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secũdum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri. Cæterum superuacua est in Mariam descensio eius: quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea? Aut si nihil sumpsisset ex Maria, nunquam eas percepisset escas, per quas nutritur corpus, nec quadraginta diebus esurisset corpus eius, suam quærens escam.

S. Beatam. 66.

9. Lectio Homil. Vigiliæ S. Laurentij.

10. *Aug. Sexta Die.*

Fit de S. Laurentio m. du.

Die 11. *Augusti.*

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eua. sec. Luc. Lec. 7.

IN illo tempore: Loquẽte Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi; Beatus venter, qui te portauit. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episc. *De S. Virginit. c.* 3.

QVid aliud nos docet Dominus, nisi carnali cognationi genus nostrum spiritale præponere: nec inde beatos esse homines, si iustis, & sanctis carnis propinquitate iunguntur: sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo, atque imitando cohæresçunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi, nam & dicenti cuidam: Beatus venter, qui te portauit; ipse respondit: imo beati, qui audiunt verbum

Digitized by Google

Dei, & custodiunt illud.

℟. Felix. 65. Lcc. 8.

DEnique fratribus eius, id est secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderant, quid profuit illa cognatio? Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset. Ipsa quoque virginitas eius ideo gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret, ipse præripuit; sed priusquam conciperetur, iã Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. ℟. Beatã. 66. 9. Lcc. 55. Iudur. & Suian.

Die 12. Augusti.

IN DIE OCTAVA

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Loquẽte Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi; Beatus venter, qui te portauit. Et reliqua.

Homilia S. Io. Chrysostomi. *In Io. c. 2. ho. 20. circa finẽ.*

CVm audieris mulierẽ illam dicentem: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quę tu suxisti: deinde Dominum respondentẽ: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud: ea sententia dictum existima, non quod matrem negligeret, sed nihil ei vtilitatis matris nomen allaturum ostenderet, nisi bonitate, & fide præstaret. Quod si Marię nihil sine virtute materna caritas erat profutura, longe minus nobis, patris, fratris, matris, filij bonitas, nisi aliquid nostrũ afferamus. ℟. Felix. 6

Lectio 8.

IN nullo nãque alio, nisi in solis sui ipsius virtutibus post diuinam gratiam de salute cuipiam sperandum est. Nam si id profuturum erat per se Mariæ, profuisset etiam Iudæis, quorũ cõsanguineus erat Christus secundum carnem; profuisset ciuitati, in qua natus est; profuisset fratribus. Atqui dum fratres rerum suarum curam habuerunt, nihil eis pro-

propinquitatis nomen profuit, sed cum reliquo mundo damnati erant.

Beatam. 66.

Die 21. Nouembris.

INFRA OCTAVAM PRAESENT. B. MARIAE.

Lect.3.noc. vt infra octauas festorum B. Mariæ 36. Respons.2.& 3. noct. vt infra oct.S.Mariæ ad Niues 65.

22. Nou. Secunda die.

Fit de S. Cæcilia v. m. sem. cum com.oct.

23. Nou. Tertia die.

De S. Clemente pa. m. sem. cum com. oct.

Die 24. Nouembris.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect.7.& 8. Homil.S.Irenei

Errant qui dicunt,&c. vt in 5.die inf.oct. S.M.ad Niues 66. lect.9. de S.Chryso.m.

25. Nou. Quinta die.

De S. Catharina v. m. dup. cum com.oct.

Die 26. Nouembris.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect.7.& 8.de Homil.S.An-gust. Quid aliud,&c. vt in 7.die S.M.ad Niues 67. de S. Petro com.

Die 27. Nouembris.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec.S.Euan.sec.Luc. Le.7.

IN illo tempore: Loquente Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi; Beatus venter, qui te portauit. Et reliqua.

Homilia S.Io.Chrysostomi. *In c.12.Mat.ho.45.post ini.*

VNa, sola, & vera, & communis nobilitas, atque necessitudo cum Christo est, vt voluntatem Dei facias: hic proprinquitatis modus multo melior est, atque vberior: idcirco, cum mulier quędam dixisset: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti, non respondit: Nullus me portauit venter, nec vlla ipse vbera suxi: sed beati, qui faciũt voluntatem patris mei. Vides quemadmodum nullibi coniunctionem hanc naturę hominum negat, sed addit semper illam, quæ à virtuti-

Digitized by Google

bus est. ℟. Felix. 65.

NOn dixit, se non habere matrem, sed inde matrem quoque suam beatitudinem cõsecuturam asseruit, si Patris eius faceret volũtatem. O admirabilem honorem: O virtutis incredibiles honores, quo ducitis bene viuentes homines? quot mulieres sanctissimam illam Virginem beatificarunt, quot vterum illum admirantur, quot optarunt tales fuisse matres, & cætera contemnere omnia? quid igitur prohibet? ℟. Beatam me dicent. 66.

Lectio 9.

ECce namque rectam, atque facilem viam nobis proposuit, vt non fœminis solum, verum etiam viris ad hunc ordinem peruenire liceat: imo vero etiã ad maiorem: multo enim propinquiores Deo sunt, qui voluntatem eius faciũt, quám qui summa carnis necessitudine coniunguntur. Non ergo simpliciter propinquitatem illam desidera, verum etiam viam capesse, magnoque studio confice, quæ ad hoc desiderium te perducant. Te Deum.

Die 28. *Nouembris*.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. 7. & 8. Homil. S. Ioan. Chrysost. Cũ audieris, &c. vt in die octa. S. M. ad Niues 68. Lect. 9. quæ sequitur.

TVnc autem admiratio ni esse cœperunt, quãdo propria claruerunt uirtute: patria uero nihil indè consecuta cecidit, & incendio absumpta est: conciues misere interempti periere, consanguinei secundum carnem nil ad salutem lucrati sunt, deficiente uirtutis patrocinio. Verum Apostoli ante omnes clarissimi euasere runt, cum se ad ueram, & expetendam eius familiaritatem, consuetudinemque per obedientiam contulerunt. Hinc intelligimus, fide semper nobis opus esse, & uita, quæ uirtutibus luceat: hæc duntaxat saluos nos facere poterit. Te Deum.

Fuit octauarium B. M. V.

IN-

Digitized by Google

INFRA OCTAVAM

S. MICHAELIS ARCH.
& SS. Angelorum.
Die 29. Septembris.

IN DED. S. MICH. ARCH.
30. Sept. Secunda die.

Fit de S. Hieronymo cum com. cæ. conf. & Doc. du.
Die 1. Octobris.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

De ſermone S. Greg. Papæ. *Ex ho. 34. in Euang.* Le. 4.

QVia Angelorum nomina interpretando perſtrinximus, ſupereſt, ut ipſa officiorum uocabula breuiter exequamur. Virtutes etenim uocantur illi nimirum Spiritus, per quos ſigna & miracula frequentius fiunt. Poteſtates etiam uocantur hi, qui hoc potentius cæteris in ſuo ordine perceperunt, ut eorum ditioni uirtutes aduerſæ ſubiectæ ſint quorum poteſtate refrænantur, ne corda hominum tantum tentare præualeant, quantum uolunt. ℟. Hic eſt Michael Archãgelus, princeps militiæ Angelorum: Cuius honor præſtat beneficia populorum, & oratio perducit ad regna cęlorum. ℣. Archangelus Michael prępoſitus paradiſi, quem honorificant Angelorum ciues. Cuius.

Lectio 5.

PRincipatus etiam uocantur, qui ipſis quoq; bonis Angelorum ſpiritibus præſunt, qui ſubiectis alijs dum quæque ſunt agenda diſponunt, eis ad explenda diuina miniſteria principantur. Dominationes autem uocantur, qui etiam poteſtates principatuum diſſimilitudine alta trãſcendũt, nam principari eſt inter reliquos priorem exiſtere, dominari uero eſt etiam ſubiectos quoſque poſſidere. Throni quoque illa agmina ſunt uocata, quibus ad exercenda iudicia ſemper Deus omnipotens præſidet: unde & per Pſalmiſtam dicitur: Sedes ſuper thronum, qui iudicas æquitatem. ℟. Venit Michael Archangelus cum multitudine Angelorum, cui tradidit Deus animas Sanctorum, Vt perdu-

cat eas in paradiſum exultationis. ℣. Emitte Domine Spiritum ſanctum tuum de cælis ſpiritum ſapientiæ & intellectus. Vt perducat.

Lectio 6.

CHerubim quoque plenitudo ſcientiæ dicitur, & ſublimiora illa agmina idcirco Cherubim vocata ſunt: quia tãto perfectiori ſcientia plena ſunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur. Seraphim etiam vocantur illa ſpirituũ ſanctorum agmina, quæ ex ſingulari propinquitate cõditoris ſui incomparabili ardent amore. Seraphim namque ardentes, vel incendẽtes vocantur, quorum profecto flamma amor eſt, quia quo ſubtilius claritatem diuinitatis eius aſpiciunt, eo validius in eius amore flammeſcunt. ℣. In tempore illo conſurget Michael, qui ſtat pro filijs veſtris: Et veniet tempus, quale non fuit ex quo gentes eſſe cœperunt, vſque ad illud. ℟. In tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis, qui inuẽtus fuerit ſcriptus in libro vitæ. Et veniet. ℣. loria. Et veniet.

Lect. S. Euang. ſecundum Matthæum. *c.* 18.

IN illo tempore: Acceſſerũt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Quis putas maior eſt in regno cælorum? Et reliqua.

Homilia S. Io. Chryſoſtomi. *Ex var. in Matt. hom.* 18.

VÆ mũdo à ſcandalis. Mundum iſtum terrenum locum dicit: neque vero de cælo, & terra intelligere debemus mundum, ſed mundum hic intelligamus terrenum: ideo quod dixit Dominus, Regnum meum non eſt de iſto mundo: ſi eſſem de mundo, amaret me mundus, & dicitur ad Apoſtolos: Vos non eſtis de mũdo. Væ igitur mundo, hoc eſt terreno loco, ab ſcandalis: neceſſe enim eſt, vt veniant ſcandala, non quia neceſſe, ſed quia mundo neceſſe, vt veniant. ℟. In conſpectu gentium nolite timere: vos enim in cordibus veſtris adorate, & timete Dominũ:

An-

Angelus enim eius vobiscū est. ℣. Stetit Angelus iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. Angelus.

Lectio 8.

VIdete, quod dicimus, subtile est. Si necesse est, vt veniant scandala, ergo absque culpa est ille, per quem venit scandalum. Sed non dicimus; scandalū non venit, nisi in terreno mūdo. Vis non tibi venire scandalum? noli esse terrenus. Propterea dico, mūdus terrenus scandalum habet, terra ista necesse est, vt habeat scandalum: noli portare terrenum, sed cælestem, & scandalum non habebis. Veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit.

℟. Michael Archāgelus venit in adiutorium populo Dei: Stetit in auxilium pro animabus iustis. ℣. Stetit Angelus iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. Stetit in auxilium. Gloria. Stetit.

9. Le. de S. Remigio ep. cōf.

Die 2. Octobris.

QVARTA DIE.

In secundo Nocturno.

De serm. S. Greg. Pap. Le. 4.

SEd quid prodest nobis de Angelicis spiritibus ista perstringere, si non studeamus hæc etiam ad nostros profectus congrua consideratione deriuare? quia enim superna illa ciuitas ex Angelis, & hominibus constat, ad quam tantū credimus humani generis ascendere, quantos illic cōtigit electos Angelos remānisse, sicut scriptum est: Statuit terminos gentium secūdum numerum Angelorum Dei; debemus & nos aliquid ex illis distinctionibus superiorum ciuium ad vsum nostræ conuersationis trahere, nosque ipsos ad incrementa virtutum bonis studijs inflammare. ℣. Hic est. 71.

Lectio 5.

QVia enim illuc tanta ascēsura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit Angelorum, supereſt, vt ipsi quoque homines, qui ad cæleſtem patriam redeunt, ex

eius

eius agminibus aliquid illuc reuertentes imitentur. Distincte namque conuersationes hominum singulorũ agminum ordinibus congruunt, vt in eorum sortem per conuersationis similitudinẽ deputentur. Sunt plerique, qui parua capiũt, sed tñ hæc eadem parua pie annuntiare fratribus non desistũt; isti itaque Angelorum numerum currunt.

℟. Venit. 71. Lec. 6.

ET sunt nonnulli, qui diuinæ largitatis munere refecti, secretorum cælestium summa & capere, præualent, & nuntiare; quo ergo isti nisi inter Archangelorum numerum deputantur? & sunt alij, qui mira faciunt, signa valenter operantur, quo ergo isti, nisi ad supernarum virtutum sortem & numerum congruũt? & sunt nonnulli, qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis, & vi acceptæ potestatis eijciunt, quo itaque isti meritum suũ, nisi inter Potestatem cælestium numerum sortiuntur?

℟. In tempore illo. 72.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euãg. sec. Matthæum Lect. 7.

IN illo tempore: Accesserunt discipuli ad Iesũ dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Episcop. *Comment. in Matt. c.* 18.

NOn nisi reuersos in naturam puerorum introire regnum cælorũ Dominus docet: idest, per simplicitatem puerilem vitia, corporum nostrorum, animæque reuocanda. Pueros autem, credentes omnes per audientiæ fidem nuncupauit. Hi enim patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt: non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiũt, verum habent. Reuertẽdum igitur est ad simplicitatem infantium: quia in ea collocati, speciem humilitatis Dominicæ circumferemus. ℟. In

con-

conſpectu. 72 Lectio 8.

VÆ huic mundo ab ſcãdalis. Humilitas paſſionis ſcãdalum mundo eſt. In hoc enim maxime ignorantia detinetur humana, quod ſub deformitate crucis, æternæ gloriæ Dominũ noluit accipere. Et quid mũdo tam periculoſum, quam nõ recepiſſe Chriſtum? Ideo vero neceſſe eſſe ait venire ſcandala: quia ad ſacramentum reddendæ nobis æternitatis, omnis in eo paſſionis humilitas eſſet explenda.

℣. Michael Arch. 73. Le. 9.

VIdete ne contemnatis vnum de puſillis iſtis, qui credunt in me. Aptiſſimum vinculum mutui amoris impoſuit, ad eos præcipue qui vere in Domino credidiſſent: Puſillorũ enim Angeli quotidie Deum vident: quia Filius hominis venit ſaluare quæ perdita ſunt. Ergo & Filius hominis ſaluat, & Deum Angeli vident, & Angeli puſillorum præſunt fidelium orationibus. Præeſſe Angelos abſoluta auctoritas eſt. Saluatorũ igitur per Chriſtum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculoſe ille contemnitur, cuius deſideria ac poſtulationes ad æternũ, & inuiſibilem Deũ, Angelorum famulatu ac miniſterio peruehuntur.

Te Deum.

Die 3. Octobris.

QVINTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

De ſer. S. Greg. Pap. Lec. 4.

ET ſunt nonnulli, qui acceptis virtutibus etiã electorum hominum merita tranſcendunt, cumque & bonis meliores ſunt, electis quoque fratribus principãtur, quo ergo iſti ſortem ſuam, niſi inter Principatuũ numeros accipiunt? & ſunt nõnulli, qui ſic in ſemetipſis cunctis vitijs, omnibuſque deſiderijs dominantur, vt ipſo iure munditiæ, dij inter homines vocentur, vnde & ad Moyſen dicitur: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis; quo ergo iſti, niſi inter numeros Dominationum currũt? ℟. Hic eſt. 71.

Lectio 5.

Et

ET sunt nonnulli, qui dum sibimetipsis vigilanti cura dominantur, dũque se sollicita intẽtione discutiunt, diuino timori semper inhærẽtes, hoc in mune re virtutis accipiunt, vt iudicare recte & alios possint, quid ergo isti: nisi Throni sui conditoris sunt? uel quo, nisi ad supernarum sedium numeros adscribuntur? Per quos, dum sancta Ecclesia regitur, plerunque de quibusdam suis infirmis actibus etiam electi iudicantur: & sunt nonnulli, qui tanta Dei ac proximi dilectione pleni sunt, ut Cherubim iure nominentur; quia enim Cherubim plenitudo scientiæ dicitur, & Paulo dicente didicimus, quia plenitudo legis est caritas, omnes, qui Dei & proximi caritate cæteris amplius pleni sunt: meritorum suorum sortem inter Cherubim numeros perceperunt. Venit. 71.

Lectio 6.

ET sunt nonnulli; qui supernæ contemplationis facibus accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant, nihil iam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abijciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, amant, & ardent, atq; in ipso suo ardore requiescunt, amando ardent, loquendo & alios accendunt; quos uerbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt; quid ergo istos nisi Seraphim dixerim, quorum cor in igne conuersum lucet, & urit: quia & mentium oculos ad superna illuminant, & eos compungendo in fletibus uitiorum rubigine purgant? In tempore illo. 72.

In festo Nostro.

Lec. S. Eu. sec. Mat. Lect. 7.

IN illo tempore: Accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et reliqua.

Homilia S. Ambrosij Episc. *Ser. 20. to. 5.* Lect. 7.

SI diligẽter audistis Euãgelicam lectionem, intelligere potestis, quæ ministris

Digitized by Google

ſtris,ac ſacerdotibus Dei re uerentia debeatur: vel qua ipſos clericos inuicē humili tatis ſedulitate oporteat p̄ uenire. Ait enim Dominus percunctantibus diſcipulis, quis eorum in regno cælorum maior eſſet futurus,ſtatuto coram puerulo:quicūque humiliauerit ſe, ſicut puer iſte,hic maior erit in regno cælorum. Vnde intelligimus, quod humilitate peruenitur ad regnum: ſimplicitate penetratur ad cælum, quiſquis ergo cupit diuinitatis tenere faſtigia, humilitatis ima ſectetur.

℣. In conſpectu. 72. Lc.8.

QVod autem ait Euangelica lectio; qui ſcādalizauerit vnum de puſillis iſtis & cætera: puſillos hic non ætate pueros,ſed malitia paruulos dicit. Sicut Apoſtolus ait:malitia paruuli eſtote; vt ſenſibus perfecti ſitis,qui ſunt iſti, niſi clerici idonei,& monachi religioſi, vel laici? quiſquis igitur his irreuerens,aut contumelioſus extiterit,hac velut pœna plectetur, vt informi ſaxo religato illi ad collum,præcipitetur in mare.Sed videamus, cur ſcandalizantibus Chriſtianis iſta pœna data ſit: aut quid ſibi velit ipſa ſententia: puto enim illam aliquod myſterium continere. ℣. Michael. 73.

Lectio 9.

QVaſi vero non ſufficeret in mare homini demergendo ſaxum qualecunque non magnum, aut enorme,ſed molæ aſinariæ lapis ei religetur ad collum, vt cum perituro homine, pereat res vſui neceſſaria:ſed puto, hoc magis eſſe,quod in ſcripturis aſini figura populus gentilium nūcupatur: qui clauſis oculis circa ignorantiæ molam erroris ſui gyro pertrahitur: & in illa cūrſus directione veſtigijs ſæpe redeuntibus inuitus vſui laborat alieno. Hic ergo gentilis populus cum perſecutionem Chriſtiano intulerit,hac pœna plectitur, vt cum ſua ſacrilega mola iudicandi ſæculi fluctibus demergatur. Te Deum.

4. Octob.

4. *Octob. Sexta die.*

Fit de S. Francisco du. cum com. oct.

Die 5. *Octobris.*

SEPTIMA DIE.

In secundo Nocturno.

De Ser. S. Greg. Papæ. Le. 4.

FErtur vero Dionysius Areopagita, antiquus videlicet, & venerabilis Pater dicere, quod ex minorũ Angelorum agminibus foras ad explendum ministerium, vel visibiliter, vel inuisibiliter mittuntur, scilicet quia ad humana solatia, aut Angeli, aut Archangeli veniunt; nam superiora illa agmina ab intimis nunquã recedunt, quoniam ea, quæ præeminent, vsũ exterioris ministerij nequaquam habent. Huic autem sensui & illud creditur non inconuenienter opitulari, quod per Danielem dicitur: Millia millium ministrabant ei, & decies millia centena millia assistebant ei. ℟. Hic est. 71.

Lectio 5.

ALiud namque est ministrare, aliud assistere: quia hi administrant Deo, qui ad nos nuntiando exeũt; assistunt vero, qui sic contẽplatione intima perfruuntur, vt ad explenda foras opera minime mittantur. Sed hoc quoque de ipsis agminibus, quæ mittuntur, certũ tenemus: quia cum ad nos veniunt, sic exterius implẽt ministerium, vt tamen nunquam desint interius per contẽmplationem. Et mittuntur igitur, & assistunt: quia etsi circumscriptus est Angelicus spiritus, summus tamẽ spiritus ipse, qui Deus est, circumscriptus non est. Angeli itaque, & missi, & ante ipsum sunt: quia quolibet missi veniant, intra ipsũ currũt. ℟. Venit. 71. Le. 6.

SCiendum quoque est, quia plerũque ipsi beatorum spirituum ordines vicinorum sibi ordinum vocabula sortiuntur. Sed idcirco vno eodẽq; vocabulo cõmuniter nõ censentur, vt ille ordo vocari priuato vniuscuiusque rei nomine debeat, qui hanc in munere plenius accepit. Seraphim namque incendium diximus, & tamẽ amo-

amore conditoris simul omnes ardent. Cherubim vero plenitudinem scientiæ dicimus, & tamen quis ibi aliquid nesciat, vbi ipsum omnes simul fontem scientiæ Deum vident? Quæ ergo ex parte ab omnibus habentur, eius in priuato nomine data sunt, qui hæc in munere plenius acceperunt.

℟. In tempore illo. 72.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. sec. Matt. Lec. 7.

IN illo tempore: Accesserunt discipuli ad Iesũ dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et reliqua.

Homil. S. Bernardi Abbat. *Ser. 2. in fes. S. Mich.*

AVdistis Fratres Euangelicam lectionẽ, aduersus eos, qui pusillos scandalizant, satis terribiliter intonantem. Nemini blanditur veritas: neminem palpat, nullum seducit, aperte denuntians, quoniam vę homini illi, per quem scandalum venit. Perire siquidem necesse est hominem, qui caritatem non habet, etiam si tradiderit corpus suum ita, vt ardeat. Et hoc dixerim, fratres, vt in ea caritate, & vnanimitate, & pace, in qua statis in Domino, solliciti sitis perseuerare, & abundare magis. Quæ est enim spes nostra, & gaudium nostrum, & corona gloriæ? nonne vnitas, & vnanimitas vestra, ¿

℟. In conspectu. 72.

Lectio 8.

IN hoc enim cognoscunt omnes, etiam Angeli sancti, quod Christi estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem, nũquid enim Christi gratia diligemur ab Angelis, si de mutuæ dilectionis inopia cognouerint, nequaquam eius nos esse discipulos? nunquid diligemur ab eis propter nos ipsos, ideſt, spiritualis naturæ similitudine, si inuenimur non diligere humanæ naturæ nostræ consortes? Denique nunquid Angeli diligent nos propter se ipsos, & futuram de nobis ciuitatis suæ restaurationem, si (quod absit) vnum quo solo vniri, & coædificari eis pos-

su-

sumus, defuerit glutinum caritatis. ℟. Michael. 73.

9. Lec. de SS. Placido, & Soc.

Die 6. Octobris.

IN DIE OCTAVA.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *Ser. 1. in fest. S. Mich.* Lec. 4.

ANgelorum hodie memoria celebratur, & exigitis debitum pro tanta solemnitate sermonem. Credimus sane, & indubitata fide tenemus, diuina eos præsentia, & visione beatos sine fine lętari in bonis Domini; attamen, si multum est ad nos loqui de ea caritate & gloria, qua in semetipsis, imo in Deo suo Angeli Sancti nostris omnino supereminent cordibus: de ea loquamur, quam nobis exhibent, gratia & caritate: neque id cuiquam incredibile videatur, quandoquidem ipse quoque creator & rex Angelorum venit, non ministari, sed ministrare, & animam suam dare pro multis. ℟. Hic est. 71. Lec. 5.

HVius itaque tanti ministri gratia nihil mirum si dignanter nobis, imo & libenter Angeli sancti ministrent: ipsi enim amant nos, quia nos Christus amauit; & hæc dixerim, fratres, vt ampliorem erga beatos Angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiarius in omni necessitate uestra eorum inuocetis auxilia: sed & dignius in eorũ præsentia cõuersari, & magis ac magis eorum vobis conciliare gratiam, captare beneuolentiã, exorare clementiam studeatis. ℟. Vēnit Michael. 71.

Lectio 6.

CAuenda nobis eorum offensa, & in his maxime exercendum, quibus eos nouimus oblectari: sunt enim plurima, quæ eis placent, & quæ in nobis inuenire delectat, vt est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cælum gemitus, & orationes cũ lachrymis, & cordis intentione. Attamen super omnia hæc vnitatem & pacem à nobis exigũt Angeli pacis. Quidni maxime delectentur in his, quæ formam quandam ciuitatis

tatis ſuæ repræſentant in nobis, vt mirentur Ieruſalem nouam in terra?

℟. In tempore illo. 72.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Matt. Le. 7.

IN illo tempore: Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Quis putas maior eſt in regno cælorum? Et reliqua.

Homilia S. Io. Chryſoſtomi. *Ex ho. 60. in Matt.*

VIdete, ne contemnatis vnũ de paruulis iſtis. Paruulos hic non ætate, ſed multorum æſtimatione appellauit: pauperes, inquam, ignotos, cæteroſque huiuſmodi, quos multi contemnunt, qui re vera paruuli nõ ſunt, cum Creatoris omniũ amici ſint: quos ipſe multo magis venerabiliores facit, dicens: Quia Angeli eorum ſemper vidẽt faciem Patris mei, qui in cælis eſt. ℟. In conſpectu. 72.

Lectio 8.

HInc manifeſtum eſt, quia omnes ſancti Angelos habẽt. Apoſtolus etiã ait de muliere; quoniam velamen debeat habere in capite propter Angelos: & Moyſes, Statuit fines, inqt, gentium ſecundum numerũ Angelorum Dei. Hic vero non de Angelis ſimpliciter dicitur, ſed de Angelis excellentibus, atque ſupremis. Nihil enim aliud deſignatur, cum faciem, dicit, Patris mei aſpiciũt, quam ſumma fiducia eorum, & honor præcipuus. ℟. Michael Archang. 73. Lec. 9.

VIdes, quot, quibuſque rationibus ad modeſtiam, & ad curam tenuiorũ fratrum nos reuocat. Infantem in medio ſtatuit, & dixit: efficiamini ſicut paruuli: & quicunque talem ſuſceperit paruulũ, me ſuſcipiet: & quicumque hunc ſcandalizauerit, extrema luet ſupplicia: & ſcandalizantes homines, etiam ſi loco manuũ, atque oculorum nobis eſſent, abſcindere iuſſit; Angelorum quoque auctoritate, qui hos tenues fratres tutãtur, vt eos veneremur, impellit. Te Deum.

Die 8. Maÿ.

INFRA OCTAVAM

APPAR. S. MICH. ARCH.

9. Maÿ Secunda Die.

Fit de S. Gregorio Ep. conf. du. cum com. oct.

Die 10. Maÿ.

TERTIA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Gregorij Papæ.

Ex ho. 34. in Eu. ante med.

Lectio 4.

NOuem Angelorũ ordines esse, testante sacro eloquio scimus: Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atq; Seraphim. Namque Angelos, & Archangelos pene omnes sacri eloquij paginæ testantur: Cherubim vero atq; Seraphim sępe, vt notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: Supra omnem Principatũ, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem. Qui rursus ad Colossens scribens, ait: Siue Throni, sine Dominationes, siue Principatus, siue Potestates. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, coniunguntur Throni, quinque sunt ordines: quibus dum Angeli, Archangeli, Cherubim, atque Seraphim adiũcti sunt, procul dubio nouem esse Angelorum ordines inueniuntur. ℟. Hic est, cum reliquis vt supra in Dedicat. addito Alleluia. 71.

Lectio 5.

SCiendum quoque, quòd Angelorum vocabulũ nomen est officij, non naturæ. Nam sancti illi cælestis patriæ spiritus, semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt: quia tunc solum sunt Angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Vnde & in Psalmo dicitur: Qui facit Angelos suos spiritus. Ac si patẽter dicat: Qui eos, quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit, Angelos facit. Hi autem qui minima nuntiant, Angeli: qui uero summa, Archangeli vocantur. Hinc est enim quod

ad

ad Mariam virginem non quilibet Angelus, ſed Gabriel Archãgelus mittitur. Ad hoc quippe miniſteriũ, ſummum Angelum venire dignum fuerat, qui ſummũ omnium nuntiabat. Qui idcirco etiam priuatis nominibus cenſentur, vt ſignetur per vocabula, etiam in operatione quid valeant. Michael nãque, Quis vt Deus: Gabriel autem, Fortitudo Dei: Raphael vero dicitur Medicina Dei. ℟. Venit. 71

Lectio 6.

ET quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur; vt ex ipſo actu & nomine detur intelligi, quia nullus poteſt facere, quod facere prævalet Deus. Vnde & ille antiquus hoſtis, qui Deo eſſe per ſuperbiam ſimilis concupiuit, dicens: In cælum conſcendam ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo: dum in fine mundi in ſua virtute relinquetur extremo ſuppli cio perimendus, cum Michaele Archangelo pręliatu rus eſſe perhibetur, ſicut per Ioannem dicitur: Factum eſt prælium cum Michaele Archangelo. Ad Mariam quoque Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aereas poteſtates humilis apparere dignatus eſt. Raphael quoq; interpretatur, vt diximus medicina Dei: quia dũ Tobiæ oculos quaſi per officium curationis tetigit, cæcitatis illius tenebras terſit. ℟. In tẽpore. 72.

In tertio Nocturno.

Le. 7. & 8. Hom. S. Io. Chryſ. **Væ mũdo &c.** vt ſupra in 3. die inf. oct. Dedic. 72. & 9. lec. de SS. Gordiano, & Epimacho mar.

***Die* 11. *Maÿ*.**

QVARTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Tres lect. S. Gregorij. **Quia Angelorum, &c.** vt in 3. die inf. oct. Dedic.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. ſec. Mat. Le. 7.

IN illo tempore: Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſũ, dicentes; Quis putas maior

est in regno cælorum ? Et reliqua.

Homil. S. Hieronym. Presb. *Lib. 3. Comment. in Matth.*

POst inuentum staterem, post tributa reddita, quid sibi vult Apostolorum repetina interrogatio, Quis putas maior est in regno cælorũ? Quia viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati sunt Petrũ omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: ideo interrogant, quis maior sit in regno cælorum. Videnſque Iesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens, vult desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanare. ℟. In conspectu. 72.

Lectio 8.

SI autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, & proice abs te. Necesse est quidem venire scandala: væ tamen ei est homini, qui, quod necesse est vt fiat in mundo, vitio suo facit vt per se fiat. Igitur omnis truncatur affectus, & vniuersa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis vnusquisq; credẽtium scãdalis pateat. Si, inquit, ita est quis tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus, & est vtilis atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum, scandalum autem tibi facit, & propter dissonãtiam morum te pertrahit in gehennam: melius est, vt & propinquitate eius, & emolumentis carnalibus careas: quam, dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causam habeas ruinarum. ℟. Michael. 73.

Lectio 9.

DIco vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciẽ Patris mei. Supra dixerat, per manum & pedem & oculum omnes propinquitates & necessitudines, quæ scandalum facere possunt, amputandas: austeritatem itaque sententię, subiecto præcepto temperat, dicens: Videte ne contemnatis vnum ex pusillis istis. Sic inquit, præci-

pio

pio ſeueritatem, vt commiſceri clementiam doceam: quia Angeli eorum in cælis ſemper vidēt faciem Patris mei. Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Vnde legimus in Apocalypſi Ioannis: Angelo Epheſi, & reliquarum Eccleſiarum, ſcribe hæc. Apoſtolus quoque præcipit velari capita in Eccleſijs feminarum propter Angelos. Te Deum.

12. *Maij Quinta Die.*

Fit de SS. Nereo, &c. mart. ſc. cum com. oct.

Die 13. *Maij.*

SEXTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Tres lect. S. Gregorij. Sed quid, &c. vt ſup. in 4. die inf. oct. Dedic. 73.

In tertio Nocturno.

Tres lect. Homil. S. Ambroſij. Si diligenter, &c. vt ſup. in 5. die inf. oct. Ded. 76

Die 14. *Maij.*

SEPTIMA DIE.

Lec. 2. noc. Fertur vero, &c. vt in 7. die inf. oct. Dedi. 78

In tertio Nocturno.

Lec. 7. & 8. Audiſtis fratres, &c. vt in eadem 7. die. 79.

9. Lect. de S. Bonifacio mar.

Die 15. *Maij.*

IN DIE OCTAVA.

Lec. 2. noc. Angelorum, &c. vt in die oct. Dedic. 80.

Le. 3. noct. Videte, &c. vt in eadem die oct. 81.

INFRA OCTAVAS

SS. APOSTOLORVM.

Lectiones propriæ.

Die 30. *Nouembris,*

INFRA OCTAVAM

S. ANDREAE APOST.

Die 1. *Decembris.*

SECVNDA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Petri Chryſologi. *Ser.* 133. Lec. 4.

BEatus Andreas merito natus hodie creditur, quando non ad præſentem vitam materno eſt effuſus ex vtero, ſed cōceptu fidei, martyrij partu, cæleſtem noſcitur generatus ad gloriam; quando non eum materna cunabula ſuſcepere vagiētem, ſed ſuperna triūphantem ſecreta receperūt:

Digitized by Google

quãdo non infirmum lactis paſtum genitricis trahit ex pectore, ſed pro rege ſuo deuotiſſimus miles virtutis ſanguinem fudit. Viuit, quia mortem cæleſtis militiæ bellator occidit. ℟. Homo Dei ducebatur vt crucifigerent eum: populus autem clamabat voce magna, dicẽs: Innocens eius ſanguis ſine cauſa damnatur.

℣. Cumque ducerent eum vt crucifigeretur, factus eſt concurſus populorum clamantium & dicentium. Innocens. Lec. 5.

SEquitur hic moriendo Dominum æſtuans & anhelans: ac toto virtutis gradu dominicis incumbit hærere veſtigijs, ne eum curſus faciat diſparem fratri, quem natura ſimilem, vocatio ſocium, parem gratia ipſa perfecerat. Ad vnam vocem Domini, ſicut ille, patrem, patriam, cenſum reliquit, laboribus opprobriis, itineribus, contumelijs: vigilijs, Chriſti indefeſſe germani ſocietate donauit: ſolum eſt, quod tempore dominicæ paſſionis fugit; ſed neque hoc impar: quia fugit: negare autem ſi aliqua putatur culpa, non eſt grauius fugere, quam negare: ſed tacenda ſunt alia: æquauit fratres venia, quos ſic diſcreuerat culpa. ℟. O bona crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini ſuſcepiſti: accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo: Vt per te me recipiat, qui per te me redemit. ℣. Beatus Andreas expanſis manibus ad cælũ, orabat, dicens: Salua me bona crux. Vt per te. Lec. 6.

CRucem, quam refugerant, poſtea coniunctis viribus ardenter inuadunt, vt, vnde reatum ſumpſerãt, inde conſcenderent cælum inde præmium ſumerent, & coronam. Petrus namque Crucem, arborem conſcendit Andreas: ut qui Chriſto compati geſtiebãt in ſemetipſis figuram, formamque ipſius exprimerẽt paſſionis: & redẽpti ligno cõſummarentur ad palmam. Sic Andreas noſter, & ſi cedit ordini,

Digitized by Google

ni, præmio tamen non cedit, & labori. ℟. Expandi manus meas tota die in cruce ad populum non credẽtem, ſed contradicentem mihi: Qui ambulant vias non bonas, ſed poſt peccata ſua. ℣. Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberegit: exaltare qui iudicas terram, redde retributionẽ ſuperbis. Qui ambulant. Gloria Patri. Qui ambulãt.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. ſec. Matthæum. *cap.* 4. Lec. 7.

IN illo tempore: Ambulans Ieſus iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare. Et reliqua.

De Homilia S. Gregor. Pap.

MVltum dimiſit, qui cũ re poſſeſſa etiam cõcupiſcentijs renuntiauit. A ſequentibus tanta dimiſſa ſunt, quanta à non ſequentibus concupiſci potuerũt. Nemo igitur etiam cum quoſdam concupiſcit multa reliquiſſe, apud ſemetipſum dicat; imitari huius mundi contemptores volo, ſed, quod relinquam, nõ habeo. Multum, fratres, relinquitis, ſi deſiderijs terrenis renuntiatis. ℟. Orauit ſanctus Andreas, dum reſpiceret in cælum, & uoce magna clamauit & dixit: Tu es Deus meus quem uidi: ne me patiaris ab impio iudice deponi: Quia uirtutem ſanctæ crucis agnoui. ℣. Tu es magiſter meus Chriſtus, quem dilexi, quem cognoui, quem confeſſus ſum: tantũmodo in iſta uoce exaudi me. Quia. Lec. 8.

EXteriora etenim noſtra Domino quãlibet parua ſufficiunt: cor namque & non ſubſtantiam penſat, nec perpendit, quantum in eius ſacrificio, ſed ex quãto proferatur. Nam ſi exteriorem ſubſtantiam perpendamus, ecce ſancti negotiatores noſtri perpetuam Angelorum uitam datis retibus & naui mercati ſunt. Æſtimationẽ quippe pretij non habet, ſed tamen regnum Dei tantum valet, quantum habes.

Digitized by Google

℟. Videns crucem Andreas exclamauit, dicens: O crux admirabilis, ò crux desiderabilis, ò crux quæ per totum mundum rutilas: Suscipe discipulum Christi, ac per te me recipiat qui per te moriens me redemit. ℣. O bona crux quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti. Suscipe. Gloria. Suscipe. Lec.5.

VAluit nãque Zacchæo dimidium substantię, quia dimidiũ aliud ad hoc, quod iniuste abstulit restituendum in quadruplũ reseruauit. Valuit Petro, & Andreæ, dimissis retibus & naui. Valuit & uiduæ duobus minutis. Valuit alteri calicem aquæ frigidæ. Regnum itaque Dei, ut diximus, tantum ualet, quantum habes. Te Deum.

Die 2. Decembris.

TERTIA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *Serm.* 1. Lect.4.

CElebrantes hodie gloriosum Beati Andreæ triumphũ, in uerbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius exultauimus, & delectati sumus. Neque enim locus poterat esse tristitiæ, ubi tã uehementer lætabatur & ipse. Nemo ex nobis compassus est sic patienti, nemo ausus est plangere exultãtem. Alioquin & nobis ipse non incongrue dicere poterat, quod saluator crucem baiulans sequentibus se, & lugentibus ait: Filię Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.

℟. Homo Dei. 86. Lect.5.

DEnique cum duceretur ipse beatus Andreas ad crucem: populus, qui sanctum & iustum dolebat iniuste damnari, prohibere uoluit, ne puniretur: sed magis ipse instãtissima prece prohibuit eos, ne non coronaretur: imo ne nõ pateretur. Desiderabat siquidem dissolui, & cum Christo esse, sed in Cruce, quam semper amauerat. Desiderabat regnum intrare, sed per patibulum: quid enim dicit illi amatæ suæ? Per te, inquit, me

me recipiat, qui per te me redemit. ℟. O bona crux. 86.

Lectio 6.

VEruntamen, dum congratulamur ei, quod diu desideratæ crucis frui mereatur amplexu, mirum valde est, si non ipsum eius miramur gaudium, cui congratulamur. Dum enim noctis huius vigilias celebrantes, in verbis tãtæ exultationis cantando delectaremur, putas non fuit in nobis, qui secum cogitaret, & diceret: quid sibi vult hoc, aut vnde tam noua lætitia? certe & crux pretiosa est, & crux amari potest, & crux habet exultationem. Ita est fratres mei. ℟. Expandi. 87.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. sec. Matt. Lec. 7.

IN illo tempore: Ambulans Iesus iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare. Et reliqua.

De Hom. S. Greg. Papæ.

PEnsate igitur, fratres, quid vilius, cũ emitur? quid carius, cum possidetur? Sed fortasse nec calix aquæ frigidæ suppetit, qui indigenti præbeatur; etiam tunc securitatem nobis promittit sermo diuinus. Redemptore etenim nato cæli ciues ostẽsi sunt, qui clamarent: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. ℟. Orauit. 87. Le. 8.

ANte Dei oculos nunquam est vacua manus à munere, si arca cordis repleta est bona voluntate. Hinc etenim Psalmista dicit: In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi? Acsi aperte dicat: & si exterius offerenda munera non habeo, intra memetipsum tamen inuenio, quod in ara tuæ laudis impono: quia qui nostra datione non pasceris, oblatione cordis melius placaris. Nihil quippe offertur Deo ditius bona volũtate. ℟. Vidēs. 88

Lectio 9.

VOluntas autem bona est, sic aduersa alterius, sicut nostra, pertimescere: sic de prosperitate pro-

Digitized by Google

proximi, ſicut de noſtro profectu gratulari: aliena damna noſtra credere: aliena lucra noſtra putare: amicum non propter mundum, ſed propter Deum diligere: inimicum etiã amando tolerare: nulli, quod pati non vis, facere; nulli, quod tibi iuſte impẽdi deſideras, negare: neceſſitati proximi non ſolum iuxta vires concurrere: ſed prodeſſe etiam vltra vires velle. Te Deum.

Die 3. Decembris.

QVARTA DIE.

In ſecundo Nocturno

De ſerm. S. Bernardi Abb.

Lectio 4.

PRorſus ſublime volat, quiſquis ille eſt, quem non modo futurorum expectatio bonorum, ſed præſentium quoq; malorum exhibitio ipſa delectat, ita vt in eo etiam glorietur. Talem inuenimus hunc beatum Apoſtolum, talẽ miramur, talem merito prædicamus. Vnde & triplicem hìc licet conſiderare gradum, incipiẽtium, proficientium, perfectorum: Initium ſapientiæ timor Domini; mediũ ſpes; caritas plenitudo. Denique Apoſtolum audi, quia plenitudo legis eſt caritas. Qui initiatur à timore, crucem Chriſti ſuſtinet patienter; qui proficit in ſpe, portat libẽter; qui vero conſummatur in caritate, amplectitur iam ardenter. ℟. Homo Dei. 86. Lect. 5.

SOlus enim iſte eſt, qui dicere poſſit, quia amator tuus ſemper fui, & deſideraui amplecti te. Fortis quippe eſt, vt mors, non patiẽtia, aut ſpes, ſed dilectio, Non timor, aut ratio, ſed ſpiritus fortitudinis eſt. Dicit patientia, ſic oportet fieri: quia timore vrgetur. Dicit voluntas bona; ſic expedit, & ſic agendum eſt: quia ſpei attrahitur ratione. Caritas vero, quæ inflammatur à ſpiritu; neque ſic oportet, dicit, neque ſic expedit: ſed, ſic volo, inquit, ſic cupio, ſic deſidero vehementer. Felix anima, quæ ad hunc caritatis peruenerit ſtatum. ℟. O bona crux. 86.

Lectio 6.

Nec

NEc desperandum nobis est, quãdoquidem eius, qui ad hunc peruenit gradum, ob hoc maxime memoria celebratur, vt ipsius & inuocemus auxilium, & prouocemur exemplo. Plus dico, & ex nobis nonnullos videre mihi videor in hoc gradu. Si dicis beatũ Andream Apostolum esse, nec posse te, qui pusillus es, eius sequi vestigia, pudeat vel eos, qui tecum sunt, non imitari. Nemo repente fit summus: ascendendo, non volando apprehenditur summitas scalæ. ℟. Expandi 87.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. sec. Matth. Le. 7.

IN illo tempore: Ambulans Iesus iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare. Et reliqua.

De Homil. S. Greg. Papæ.

QVid isto holocausto locupletius, quando per hoc, quod Deo immolat, in ara cordis anima semetipsam mactat? sed hoc bonæ voluntatis sacrificium Deo nunquam plene persoluitur, nisi mundi huius cupiditas perfecte deseratur. Nam quicquid in eo concupiscimus, hoc proculdubio proximis inuidemus. videtur enim, quia nobis hoc desit, quod alter assequitur: & quia semper inuidia à bona voluntate discordat, mox vt hæc mentem ceperit, illa discedit. ℟. Orauit. 87. Lec. 8.

VNde Prædicatores sancti, vt possent proximos perfecte diligere, studuerunt in hoc sæculo nihil amare, nihil vnquam appetere, nihil etiam cum appetitu possidere, quos bene Isaias intuens ait: Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Videt eos terrena despicere, mente cælestibus propinquare, verbis pluere, miraculis coruscare; & hos volantes, & nubes appellat. Fenestræ autem nostri sunt oculi, quia per ipsos anima respicit, quod exterius concupiscit. ℟. Videns. 88.

Le-

Digitized by Google

Lectio 9.

COlumba vero ſimplex animal eſt, atq; à malitia fellis alienum, quaſi columbæ ergo ad feneſtras ſuas ſunt, qui nihil in hoc mundo concupiſcunt, qui omnia ſimpliciter aſpiciũt, & in ijs, quæ vident, rapacitatis ſtudio non trahuntur. Quia ergo, fratres cariſſimi, beati Andreæ Apoſtoli natalitia celebramus, debemus imitari, quod colimus. Oſtẽdat noſtræ obſequium deuotionis immutatæ ſolemnitas mentis. Deſpiciamus, quæ terrena ſunt: relictis temporalibus mercemur æterna. Si autem necdũ poſſumus relinquere propria, ſaltem non concupiſcamus aliena. Te Deum.

Die 4. Decembris.

QVINTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

De ſerm. S. Bernardi Abb.

Lectio 4.

BEati Andreæ Apoſtoli ſolemnitas hodie celebratur: quam ſi pia ſollicitudine perſcrutemur, multa inueniemus in ea, quæ ædificent animas noſtras. In ipſo ſiquidem conuerſionis ſuæ initio magnum nobis perfectę obedientiæ præſtat exemplum, quod quidem Chriſtianis omnibus neceſſarium. Vis audire perfectæ obedientiæ formam? Vidit Dominus Petrum & Andream mittẽtes rete in mare & ait illis: Venite poſt me: faciam de piſcatoribus piſcatores: imo prædicatores. At illi continuo, nihil diiudicantes, aut hæſitãtes, nihil interrogantes, ſine omni mora relictis retibus & naui ſecuti ſunt eum.

℣. Homo. 86. Lect. 5.

AGnoſcite fratres, quoniam propter vos ſcripta ſunt hæc, propter vos ſingulis annis in Eccleſia recitantur; vt diſcentes veræ obedientiæ formam; caſtigetis corda veſtra in obedientia caritatis. Sola eſt caritas, quæ obedientiam gratam facit, & acceptabilem Deo. Hilarem quippe datorem diligit Deus: & item ſi tradidero, inquit, corpus meum, ita vt ardeam caritatem

tem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. ℟. O bona crux. 86. Lect. 6.

VVltis, vt de ipſa quoque beati huius Apoſtoli paſſione, quam nimirũ hodie celebramus, loquamur aliquid ad laudem Chriſti, & ædificationem veſtrã? Audiſtis certe cum peruenisſet beatus Andreas ad locum, vbi crux parata erat quomodo confortatus ſit in Domino & per ſpiritum, quem vna cum cęteris Apoſtolis in igneis linguis acceperat, verba vere ignea loquęretur. Vidēs ergo paratã eminus crucem, nequaquã (vt exigere videtur mortalis infirmitas) facies eius expalluit: non contremuit corpus, nec mens turbata eſt, non receſſit, vt aſſolet, intellectus. ℟. Expandi. 87.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Mat. Lec. 7.

IN illo tempore: Ambulans Ieſus iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare. Et reliqua.

Homilia S. Ioan. Chryſoſt. *Ex Homil. 14. in Matth.*

ET Ioannes quidem aliter dixit eos vocatos; vnde manifeſtum eſt, ſecundam hanc vocationem fuiſſe idque ex multis rebus oſtenditur. Nam, ibi quidem dicit, quod ad Chriſtum, antequam Ioannes in carcerem duceretur acceſſerint; hic vero, poſtquam ille inciderit in vincula: & ibi quidem, quod Andreas Petrũ; hic vero, quod Ieſus ambos vocet; & Ioannes quidem ait, quod Ieſus venientem ad ſe Petrum videns, dicit: Tu es Simon filius Ioanna, tu vocaberis Cephas; Matthæus vero aſſerit, quod iſto iam nomine uocaretur.

℟. Orauit. 87. Lec. 8.

SEd à loco etiam, quo vocati ſunt aliiſque multis id ſcire poſſibile eſt, & ab eo, quod facile obedierũt vocati, ſuaque omnia reliquerunt. Erant quippe ſufficienter iam ante prædocti, & ibi quidem Andreas, in domum veniens, multaque

à Chri-

à Christo audiens inuenitur: hoc vero vnum audientes, nudumque verbum, confestim sequũtur. Videtur quippe fuisse cõsequens, vt prius quidem audierint & secuti sint: postea vero cum & Ioãnem in carcere ligatum, & ipsum secessisse vidissent, reliquisse eos magistrum, atque ad artem propriam reuertisse. Sic denique piscãtes eos rursus inuenit.

℟. Videns. 88. Lect. 9.

PErpende vero & fidem & obedientiam vocatorum, & cognosces, quam dulcis sit piscatio: siquidem in medio ipsius operis constituti: cum illum audissent iubentem, nihil distulerunt, nihil omnino cunctati sunt: non dixerunt, reuertemur domum, loquemur propinquis, sed cuncta illico relinquentes fecerunt, quod Eliseus quoque sub Elia legitur impleſſe. Talem quippe à nobis obedientiam Christus efflagitat, vt neque punctum temporis differamus, etiam si nos aliquid necessarium vrgere videatur. Te Deum.

Die 5. Decembris.

SEXTA DIE.

In secundo Nocturno

De serm. S. Bernardi Abb.

Lectio 4.

OBsecro, fratres, homo est, qui loquitur hæc, an non est homo, sed Angelus, aut noua creatura? Homo plane similis nobis passibilis; nam passibilem eum passio ipsa testatur, qua appropinquante tam lætabundus exultat; Vnde ergo in homine noua hęc exultatio, & lætitia hactenus inaudita? vnde in tanta fragilitate tanta constantia. Vnde in homine tã spiritualis mens; tam feruens caritas, animus tam robustus? Absit vt à seipso tantam ei credamus inesse virtutem. Donum perfectum est, descendens à patre luminum, ab eo vtique qui facit mirabilia magna solus. ℟. Homo Dei. 86.

Lectio 5.

PLane spiritus erat, dilectissimi, qui adiuuabat infirmitatem, per quem diffundebatur in corde ipsius for

fortis caritas, ut mors, imo & fortior morte. Cuius ò si & nos participes inueniamur. Ipse enim si adesset, adiuuaret sine dubio infirmitatem nostram. Et sicut beato Andreæ crucem & mortem ipsam, sic nobis quoque laborem & pænitẽtiam nostram faceret non solum non molestam, sed etiam desiderabilem, atque omnino delectabilem esse. spiritus enim meus, ait Dominus, super mel dulcis, ita vt ne ipsa quidem dulcedini eius prævalere queat amarissima licet mortis amaritudo. & O bona. 87. Lec. 6.

FElix anima, quæ in cruce gloriatur, & triumphat; tantum vt perseueret in ea, & nullis valeat tentationibus deijci. Orat quisquis in cruce est, oret cum beato Andrea Dominum, & magistrum suum, ne patiatur eum de cruce deponi: quid enim malignus ille nõ audeat, quid non præsumat impius attentare. Quod Ægeæ manibus de discipulo, hoc Iudæorum linguis facere cogitauerat & de magistro. In utroque tamen sera pœnitentia ductus, victus & confusus abscessit. Vtinam abeat similiter & à nobis, eo vincente, qui & in se & in discipulo triumphauit. &. Expandi. 87.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. sec. Matt. Lec. 7

IN illo tempore: Ambulans Iesus iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare. Et reliqua.

Hom. Venerab. Bedę Presb. *Ex comm. in Marc. l. 1. c. 6.*

ISti primi uocati sunt, ut dominum sequerentur. Piscatores & illitterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium non in uirtute Dei, sed eloquentia atque doctrina putaretur. Quæri autem potest; quomodo binos uocauerit de nauiculis piscatores, primo Petrum, & Andream, deinde progressus paululum alios duos filios Zebedæi, sicut narrant Matthæus & Marcus,

cus, cum Lucas dicat, ambas eorum nauiculas impletas magna illa captura piſcium, ſocioſque Petri commemoret Iacobum & Ioannem filios Zebedæi uocatos ad adiuuandum cum retia plena extrahere nõ poſſent. ℟. Orauit. 87. Lect.8.

VNde & intelligendum eſt, hoc primo eſſe factũ quod Lucas inſinuat, nec tunc eos à Domino uocatos, ſed tantum Petro fuiſſe prædictum, quod homines eſſet capturus, quod nõ ita dictum eſt, quaſi iam piſces nunquam eſſet capturus. Nam & poſt reſurrectionem Domini legimus eſſe piſcatos. Dictum eſt ergo quod deinceps capturus eſſet homines: non dictum eſt, quod iam non eſſet capturus piſces. ℟. Videns.88

Lectio 9.

VNde ſecũdum Lucam datur intelligi, eos ad capturam piſcium ex more remeaſſe, ut poſtea fieret, quod Matthæus, & Marcus narrant, quando eos binos uocauit, & ipſe iuſſit, ut eum ſequerentur, primo duobus Petro & Andreæ, deinde duobus Zebedæi filijs. Tunc enim ſubductis ad terram nauibus tanquam cura redeundi, ſed ita eum ſecuti ſunt, tanquam uocantem & iubentem, ut ſequerentur. Te Deum.

6. Dec. Septima die.

Fit de S. Nicolao Epiſcop. & Conf. ſem. cum com. oct.

Die 7. Decembris.

IN DIE OCTAVA.

In ſecundo Nocturno.

De ſermone S. Bernardi Ab.

In Vigil. S. Andr. in med.

Lectio 4.

QVanta exultatione uniuerſæ terræ celebrandum tantæ nouitatis miraculum, tam magnificum opus diuinæ uirtutis? Andreas homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & tam uehementi ardore ſpiritus crucem ſitiebat, tam inaudito à ſæculis gaudio tripudiabat, cum paratum ſibi eminus patibulum conſpexiſſet. O crux, inquit, diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata, ſecurus & gau-

gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans ſuſcipias me. Videtis, quia non ſe capit præ magnitudine gaudij ita, inquit, vt & tu exultans.

℟. Homo. 86. Lect. 5.

ERgo ne tãta eſt exultatio, vt exultet & ipſa crux, nec lethi quicquã habeat, ſed totũ lætitiæ ſit? Aut quis dicat minus, cõtra cõſuetudinem, ſupra rationẽ, vltra naturam; crucifixum exultare, quam crucem? illi ſenſum lætitiæ natura negauit, huic, ſi quid præualet, gaudium omne exterminat, ingeritque dolorem. Fratres, ignis vibrans eſt, non lingua loquens, & ſi lingua, certe ignea eſt. Carbones ſunt ignis illius, quem de excelſo Chriſtus miſerat in oſſibus eius. Atque vtinam deſolatorij nobis ſint, conſumentes, & exurentes quicquid in nobis eſt carnalis affectionis. ℟. O bona crux 86. Lect. 6.

PLane, beate Andrea, granum ſinapis eſt fides tua, quæ tam inſperatum, vbi teri cœpit, cœpit ex ſe proferre feruorem: quid ſi paulo amplius tereretur? Quis feruorem illum animus, quis verba illa ſuſtinere poſſet auditus? Terendum eum putat Aegeas crucis ſupplicium minitans: ſed non eſt ita. Accenditur magis in verbo hoc, & libere clamat: Ego ſi patibulũ crucis expaueſcerem, crucis gloriam non prædicarem. Merito proinde crucis amatorem venerantur quicunque ſunt ſerui crucis: ſed ab his ampliorem iure deuotionem exigit, qui ſpecialius propoſuerunt tollere crucem ſuam. ℟. Expãdi. 87

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Ambulans Ieſus iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare. Et reliqua.

De Hom. Ven. Bedæ Presb.

Circa med.

COngrue de piſcatoribus piſcium, piſcatores

res hominum facere voluit, quia ſicut officium eſt piſcatoris nauem aſcendere, retia manibus tenere, & de profundis gurgitibus piſces ad littus trahere: ſic iſti in gremio Eccleſiæ recepti nauem fidei aſcendentes, retia prædicationis in verbo & opere habentes de amariſſimis & tenebroſis mundi gurgitibus multos homines ad veram lucem traxerunt. Vide Beatum Andream in Achaia retia in manibus tenentem, & multos piſces ſpiritaliter capientem. Non ſolum enim tota ciuitas, ſed etiam tota regio credidiſſe legitur, ſicut ipſe ait: Chriſtus me miſit ad iſtam prouinciam, vbi non paruum populum acquiſiuit.

℟. Orauit. 87. Lect. 8.

SEd libet intueri, quod non fruſtra Dominus in prima ſua vocatione quatuor diſcipulos elegit, quaternarius enim numerus perfectus eſt, & in ſuis partibus diuiſus, perfectionem ſignificat: vel certe propter quatuor principales virtutes, nempe prudentiam, temperantiam, fortitudinem, & iuſtitiam. Has virtutes non ſolũ in numero, ſed etiam in nominibus iſti diſcipuli ſignificãt. Petrus enim, qui à quibuſdam agnoſcens interpretatur, prudentiam ſignificat. Andreas, qui virilis interpretatur, fortitudinem ſignificat: quam virtutem non ſolum in nomine, ſed etiam in opere habuit, quia in fide recta vſque ad paſſionem viriliter perſeuerauit, in tantum, vt etiam, cum duceretur ad crucifigendum, vidẽs crucem cum gaudio diceret; Salue crux pretioſa.

℟. Videns. 88. Lect. 9.

PEr Iacobum, qui interpretatur ſupplantator, iuſtitia deſignatur, quæ iniquitatem ſupplantare, & æquitatem nouit diligere, & Ioannes, qui interpretatur gratia Dei, vel in quo eſt gratia, temperantiam deſignat, quæ alio nomine diſcretio vocatur, & eſt mater omnium virtutum. Cum ergo Dominus in prima ſua vocatione quatuor diſcipulos

los suos elegit, in ipso nume ro nobis innotuit; quia si eius discipuli esse volumus, has quatuor virtutes habere debemus. Te Deum.

Die 21. Decembris.

INFRA OCTAVAM

S. THOMAE APOST.

Lect. & Resp. 2. Noct. sumuntur de communi octaua Apost. infra 1. Resp. 3. Noct. ex eodem communi 10.

Die 22. Decembris.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Le. S. Eu. sec. Io. c. 20. Le. 7.

IN illo tempore. Thomas vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Et reliqua.

Homilia S. Io. Chrysost.

Ex hom. 86. in Ioan.

QVomodo alijs omnibus congregatis, ipse solus abfuit? credibile est ex fuga nondum redijsse. Tu autem cum discipulum non credentem videas, confidera Domini clementiam, quomodo pro vna etiam anima vulnera sua ostendit, & vt vnum saluum faceret, apparuit: & cũ crassioris esset ingenij à crassissimo sẽsuum fidem sibi quærit: neque enim oculis credebat quippe qui non tantum dixit, nisi videro; sed nisi manum mittam, ne imaginatio putaretur. Atqui discipuli ista annuntiantes tũc fide digni erant, atque etiam ipse, qui se resurrecturum pollicitus fuerat. Veruntamen, cum amplius quæreret, neque his eum priuauit Christus. ℟. Isti sunt, qui infra 10. Lect. 8.

ET qua gratia ei continuo non apparuit, sed post dies octo? vt interea à discipulis edoctum, ijsdem auditis, in maius traheretur desiderium, & magis in fide confirmaretur. Vnde autem intellexerat latus perforatum? ex discipulis. Cur alterum credidit, alterum non credidit? quia hoc mirabilius erat. Astitit ergo iterũ Iesus, neque ab illo rogari expectat, neque quicquam tale audire: sed nihil eo dicente, ipse Iesus primum eius satisfecit desiderio, o-

dere Dominum Thomas cupit, sed clauorum signa quærit, & fixuras, quæ in carne fuerant; sic enim tandem se crediturum asserit, quia Christus vere reuixerit: reuixit autem secundum carnem. ℟. Isti sunt. 10.

Lectio 8.

ET post dies octo iterum erant &c. Diem octauam Dominicum diem esse necesse est. Nam vna sabbatorum cæteris apparuit, id est, die Dominico. Die postea deinceps octauo, vtrisque cõnumeratis extremis, congregati rursus discipuli, Thoma præsente, simili modo Dominum vident. Iure igitur sanctæ Congregationes die octaua in Ecclesijs fiunt; & foribus sublimiore modo clausis, visibiliter simul, atq; inuisibiliter Christus omnibus apparet, inuisibiliter quidem vt Deus, visibiliter autem in corpore. Præbet enim nobis carnem suam tangendam, vt firmiter credamus, quia tẽplum vere suum suscitauit. Fugiamus igitur infidelitatem post tactum Christi, & firmi atque stabiles ab omni longe ambiguitate inueniamur. ℟. Isti sunt. 11.

Lectio 9.

REcordentur autem studiosi, Magdalenam quidem à tactu Christi prohibitam. Noli enim me tangere, inquit, quoniam nõdũ ascendi ad patrẽ; Thomã autem hortatur, vt & latus, & clauorum fixuras diligentius tangendo, & manum aut digitũ immittendo perquirat. Quare sicñilli enim nõdum gratia Spiritus sanctificatę tãgere non licebat; nam, antequam Dominus in cælum ascendisset, descensus Spiritus in omnes non fuit: Tomæ autem hoc licebat, quia vna cum alijs Spiritum fuit consecutus; ad vniuersum namque discipulorum consortium liberalitate dantis vox illa transiuit: Accipite Spiritum sanctum. Te Deum.

Die 24. Decembris.

Nihil amplius ut de oct. vt in Rubricis supra num. 1.

Digitized by Google

Die 25. Ianuarij.

INFRA OCTAVAM

CONVERS. S. PAVLI AP.

26. Ian. Secunda Die.

Fit de S. Polycarpo Epis. m. sem. cum com. oct.

27. Ian. Tertia Die.

De S. Io. Chrysost. Ep. Cõf. du. cum com. oct.

Die 28. Ianuarij.

QVARTA DIE.

In secundo Nocturno.

De sermone S. Augustin. Epis. *Ex serm. 14. de SS.* Lect. 4.

QVid ergo prostratus audit? Saule, Saule, quid me persequeris? Membris adhuc positis in terra, caput clamabat in cælo, & non dicebat, quid persequeris fideles meos? sed, quid me persequeris? ille: Quid me iubes facere? Iã parat se ad obediendum, qui prius sæuiebat ad persequendum. Iam formatur ex persecutore prædicator, ex lupo ouis; ex hoste miles: ouis audiat, quid facere debeat. Cæcus sane factus, vt interiore luce fulgeret cor eius. ℟. Tu es vas electionis sancte Paule Apostole, prædicator veritatis in vniuerso mundo: Per quẽ omnes gentes cognouerũt gratiam Dei. ℣. Intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit. Per quem.

Lectio 5.

ADductus est ad Ananiã, & Ananias interpretatur ouis. Ecce lupus rapax adducitur ad ouem sequendam, non rapiendam: & ne rapientem ouis expauesceret lupum, ipse pastor de cęlo, qui omnia faciebat, nũtiauit lupum venturum oui, sed nõ sæuiturum; & tamen tam immanis fama lupum illum præcesserat, vt non posset ouis audito eius nomine non conturbari. Mira & magna res geritur. Lupo sæuitia interdicitur. Lupus ad ouem captiuus ducitur. Tanta autem præcesserat fama lupi raptoris, vt timeret ouis etiam sub manu pastoris. ℟. Gratia Dei sum id quod sum: Et gratia eius in me vacua non fuit, sed semper in me manet. ℣. Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est &

mi-

mihi inter gẽtes. Et gratia. Dei. A Deo. Gloria. A Deo. In tertio noct. lect. 7. & 8. leguntur ex 4. die de communi. & Abb. Homil. S. Io. Chryſ. Si centuplum, &c. in Euangel. Ecce nos reliquimus, &c. infra 255. cum ſequentibus reſponſ. & 9. lect. de S. Agnete ſecundo.

℟. Sanctæ Paule Apoſtole prædicator veritatis, & doctor gentium, Intercede pro nobis ad Deum qui te elegit, vt digni efficiamur gratia Dei. ℣. Tu es vas electionis ſancte Paule Apoſtole, prædicator veritatis. Intercede.

℟. 8. Damaſci prępoſitus gẽtis Aretæ regis voluit me comprehendere: Et à fratribus per murum demiſſus sũ in ſporta, Et ſic euaſi manus eius, in nomine Domini. ℣. Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ſcit quia non mentior. Et à fratribus. Gloria. Et ſic.

Die 29. Ianuarij.

QVINTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

De ſerm. S. Auguſtini Epiſc. *Ser. 9. de Ver. Ap. poſt med.*

Digitized by Google

Lectio 4.

FIdelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere quorum primus ego sum. Quomodo erat primus? ante illum non fuerunt peccatores tot Iudæi? Ante illum non fuerant peccatores in genere humano? quid est, quorũ primus ego sum? Ad quos venit, primus ego sũ? Sed nec hoc verum est: primus electus est Petrus, primus Andreas, primi alij Apostoli, tu Apostolus es nouissimus; quomodo dicis: quorum primus ego sum? quia omnibus peior sum? ergo peiorem voluit intelligi primum. ℟. Tu es vas. 102.

Lectio 5.

REcolite Saulum, & inuenietis: nonne ille est, cui ad lapidandum Stephanum manus vna non sufficiebat, & aliorum vestimẽta seruabat? nonne ipse est, qui Ecclesiam vbique persequebatur? Ipse est ergo, qui primus erat persecutor, illo peior non fuit. Saulus vnde vocaretur, credo quia recoliris, & propter eos, qui non recolunt, commemorem: Saul erat ille persecutor Dauid: in Dauid Christus erat, in Dauid Christus præfigurabatur, in Saule Saulus præfiguratur, tanquam à Dauid Sauli dictum est de cælo: Saule, Saule, quid me persequeris? ℟. Gratia Dei, 102. Lec. 6.

QVomodo ergo ipse Saulus, postea Paulus gratulatur se ad Dei peruenisse misericordiam, quia primus, hoc est, excellens in peccatis inuentus est? & tamen misericordiam consecutus sum, vt in me ostenderet Christus Iesus omnem lõganimitatem, propter eos, qui crediturí sunt illi in vitam æternam: ut dicant sibi omnes: si Paulus sanatus est, ego quare despero? si tãto medico tam desperatus ęger sanatus est, ego cur vulneribus meis illas manus non aptabo, ad illas manus non festinabo? Vt hoc dicerent homines: ideo Saulus factus est ex

per-

perſecutore Apoſtolus.

℟. Saulus. 103.

Lect. 3. noct. vt in 5. die de comm. oct. Abbat. Hom. S. Amb Ecce nos omnia, &c. infra 256.

Die 30 Ianuarij.

SEXTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

De ſermone S. Auguſt. Epiſ. *Homil.* 17. 50. *Homil.*

Lectio 4.

APoſtolus dicit: Miſericordiam conſecutus ſum. O confeſſio, non ait, miſericordiam conſecutus ſum, quia fidelis eram; ſed vt fidelis eſſem. Videamus Saulum ſæuientẽ, ſpectemus furentem, ſpectemus odia anhelantem: ſanguinemque ſitientem. Ecce poſt Stephani necem, poſt effuſum teſtis Dei lapidibus ſanguinem, tunc diſperſi ſunt fratres, qui erant Ieroſolymis congregati, & ille ſæuiens accepit litteras, vt iret in Damaſcum; & ibat. Hæc Pauli via erat; cuius via nondum erat Chriſtus, adhuc Sauli nondũ Pauli: quid habebat in corde, quid niſi malum? ſi merita quæris, damnationis ſunt, nõ liberationis. ℟. Tu es. 102.

Lectio 5.

ERat infidelis, parum eſt, erat in ipſa infidelitate crudelis, ſed miſericordiam conſecutus eſt, vt fidelis eſſet. Quid putamus fratres? Saulus antequam crederet, orabant pro illo, qui crediderãt, an non orabant? Dicatur mihi, ſi non pro illo orabant, quare dixit Stephanus: Domine, ne ſtatuas illis hoc delictum? orabatur & pro illo; ergo Chriſtus fecit, vt Saulus depoſita tunica veteris peccati pannoſa, cædibus ſanguinea, acciperet tunicam humilitatis, & fieret de Saulo Paulus. Quid eſt Paulus? Minimus: ego enim ſum minimus Apoſtolorum. Paulum enim latine modicum eſt; quid eſt Paulus? quia modicus; modicus, quia nouiſſimus. ℟. Gratia. 102.

Lectio 6.

EGo enim ſum, inquit, nouiſſimus Apoſtolorum qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus

ſum.

Digitized by Google

ſum Eccleſiam Dei. Bene dicis: vnde debuiſti damnari, ab eo accepiſti, vnde debeas coronari. A quo accepit, vultis audire? Non ſum, inquit, dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Sed gratia Dei ſum id, quod sũ. Ergo quod eras, iniquitate tua eras: quod es, gratia Dei es; & gratia eius, inquit, in me vacua non fuit. Ecce Euangelizat fidem, quam aliquando vaſtabat. Ergo donum Dei eſt fides. Qui gloriatur, in Domino glorietur. ℟. Saulus. 103.

In 3. Noct. lect. vt in 6. die de communi oct. Abbatum.

Homil. S. Hilarij Apoſtoli dictis, &c. infrà 257.

Die 31. Ianuarij.

SEPTIMA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *Ex ſer. 1. initio.* Lect. 4.

MErito quidẽ dilectiſſimi, conuerſio Doctoris gentium ab vniuerſitate gentium feſtiuis gaudijs celebratur multos enim ab hac radice ramos prodijſſe videmus. Conuerſus Paulus conuerſionis miniſter factus eſt vniuerſo mundo; & multos quidem olim in carne adhuc, ſed non iam ſecundum carnem ambulans, prædicationis officio conuertit ad Deum: nunc quoque in ipſo felicius viuens, & apud ipſum ne adhuc quidem ceſſat ab hominum conuerſione; dico autem, exemplo, oratione, doctrina. Propterea denique conuerſionis eius memoria frequentatur, quod & ipſa quoque memorantibus vtilis inueniatur. ℟. Tu es. 102

Lectio 5.

HOdie ergo conuerſus eſt Paulus, hodie deſijt eſſe Saulus. Hodie factus eſt humilis & mitis corde. Probat oris confeſſio cordis humiliationem, dum clamat: Domine, quid me vis facere? magis autem probat ipſa collatæ gratiæ magnitudo, quæ nimirum tam multa, niſi multum humili, data non fuit. Cęterum manſuetudo, quoniam exterior quædam paruitas, & ob hoc ma-

manifeſtior eſt, tripliciter nobis in conuerſione hac cõmendatur: triplici quidem velut ariete manſuetudo noſtra pulſatur, verborum iniurijs, damnis rerum, corporis læſione. Probata eſt illa virtus, quam nihil horum videtur cõcurrere potuiſſe.

℟. Gratia. 102. Lect. 6.

COnſiderare libet, quẽadmodum Paulus ſuper his omnibus in ipſam ſtatim ſua conuerſione tentatus vere iam Paulus inuẽtus ſit in hac parte vere mitis, & patiens. Saule, Saule, quid me perſequeris? Durũ equidem verbum increpatorium, plenum comminatione. Sane quod ad corpus pertinuit, concuſſus eſt, & proſtratus in terram. An vero & damno quoque probatus eſt? & valde, ſiquidem ipſum ei lumen ademptum eſt oculorum. Sed veſtræ in hoc induſtriæ relinquimus veſtigandum. Sufficit nos monere formam ueræ conuerſionis, magna ex parte in hac manſuetudine conſtitutam, vt pudeat eos, qui conuerſi eſſe debuerant, vel in corporum læſione, vel in damno rerum, vel, quod magis indignum eſt, in verborum iniurijs inueniri peruerſos penitus & auerſos.

℟. Saulus 103.

In 3. Noct. vt in die 7. de communi oct. Abbat. Homil. S. Bernardi. Arbitror verba, &c. infra 250.

Die 1. *Februarij.*

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Sermo S. Io. Chryſoſtomi. De *laud. Pauli hom.* 9.

Lectio 4.

SAulus autem adhuc ſpirans minas, & cædem in diſcipulos domini. Atqui in epiſtolis Paulus vocatur: quare ergo nomen mutauit Spiritus ſanctus? quemadmodum Dominus, qui ſeruum mercatus eſt, oſtendere volens ſe dominum ſerui nomen illius immutat; ita & Spiritus ſanctus fecit, vbi Paulum captiuum accepit, vocabulum eius mutauit, vt etiam inde diſceret Paulus, ſe habere Dominum: nominum enim impoſitio domi-

Digitized by Google

nij ſignum eſt, & præcipuum. Volens enim Dominus docere Adamum, quod eum principem & dominum omnium feciſſet, adduxit ad eum omnia animalia, vt videret, quid vocaret ea. ℟. Tu es vas. 102.

Lectio 5.

VErum quã ob cauſam Spiritus ſanctus non ſtatim mutauit nomen Pauli, ſed expectauit ad tantum tempus? ſi ſtatim conuerſo Paulo mutatum fuiſſet & nomen eius, tunc minus manifeſta fuiſſet eius cõuerſio, & ad fidem translatio; nam ſicut in famulis vſu euenire ſolet, quod obſcuri fiant, ſi quamprimum fugam inierunt, ſua nomina mutarent; ita & in Paulo contigiſſet, ſi mox vt relictis Iudæis ad nos venit, aliud nomẽ ſortitus fuiſſet: nemo.n.ſciuiſſet, quod perſecutor ille eſſet Euangeliſta. Hinc enim omnes diſcebant; quod ille ipſe eſſet, qui prius fuerat Eccleſiam perſecutus. ℟. Gratia. 102.

Lectio 6.

AGgrediuntur hic nos quidam dicentes: Et quid mirum, quod Paulus ad fidem peruenit, cũ Deus vocem illam, quaſi funem ceruici eius iniecerit, vique ipſum ad ſe duxerit? Attendite diligenter. Qualis illa vis, & neceſſitas? dic, ò homo. Vocauit eum ſuperne; igitur & te hodie vocat per illam vocem, cur & tu non obedis? Vides non eſſe neceſſitatis negotium; nam ſi neceſſitas quædã foret, oportebat & te obedire: cum autem & tu non obedis, manifeſtum quod ille volũtarius obediuit. Multum quidem fecit ad ſalutem Pauli, vocatio: non tamen deſtituit eum à ſuis operibus, & ſuæ propriæ voluntatis laude, neque nocuit eius libero arbitrio: ſed voluntarius aduenit ipſe, atque ſua bona voluntate. ℟. Saulus. 103.

In 3. noct. vt in die feſto de communi oct. Abb. Homil. S. Hier Grandis fiducia, &c. infra 251.

Die 24. *Februarij*.

IN-

INFRA OCTAVAM

S. MATTHIAE APOST.

Si hoc festum venerit ante Quadragesimam, fit de illo octaua vsque ad fer. 4. cinerum exclusiue. Lect. & Resp. 2. noct. de comm. oct. Apost. infra, 1.

Lect. 3. noc. Homil. in Euan. Confiteor tibi Pater, &c. de communi plur. mar. 150. cum Resp. de communi oct. Apost. 10.

Die 1. Maij.

INFRA OCTAVAM

SS. PHILIPPI, ET IACOBI.

Apostolorum.

Lect. 2. noct. de communi oct. Apost. vt infra 1. Resp. Lux perpetua, cum reliquis, vt in eodem cõmuni temp. pasch. 2.

2. *Maij Secunda Die.*

Fit de S. Athanasio ep. com. cum com. oct.

3. *Maij Tertia Die.*

De Inuent. S. Crucis du.

Die 4. Martij.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. sec. Ioannem. cap. 14.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nõ turbetur cor vestrum: creditis in Deum, & in me credite: in domo Patris mei mansiones multæ sunt. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Episcopi Alexandrini.

Lib. 9. in Ioan. cap. 36.

STudiosus quidem Philippus fuit, sed nõ adeo acutus, vt commode, atque apte, quæ sit visio Dei posset intelligere; propterea putabat oculis huius corporis diuinã posse videre naturam; sed manifeste à Deo dicitur: Nemo videbit faciẽ meam, & viuet; nam etsi visus à multis sanctis à scriptura dicatur; nullus tamen recte intelligens, suspicabitur ipsam Dei naturam visã fuisse: propterea & aliter alius vidit: aliter enim Isaias, aliter Ezechiel, aliter alij viderunt: vnde oportebat intellexisse Philippum, impossibile omnino homini oculis corporis substãtiam Dei aspicere: nec valde pru

den-

Digitized by Google

denter cum imago, & character Patris verus adeſſet, primitiuum quaſi non adeſſet deſiderare. ℟. Ego ſum vitis. 10.

Lectio 8.

NOn tamen laude ſua priuandus eſt: admiratione namque commotũ dixiſſe arbitror: Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis, ac ſi diceret; omnes nos gaudii plenos profitebimur, nec deeſſe ad beatitudinem quicquam nobis arbitrabimur, ſi, quod maxime optamus, Deum Patrem videbimus. Laudandus ergo eſt, qui viſionem Patris cæteris omnibus rebus antepoſuit. Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis: multis, inquit modis, ò Domine, ad fidem tuam nos attraxiſti, innumeriſq; ſignis Iudæorum impudẽtia repelli poteſt: ſed nihil omnino deerit, ſi etiam ipſe Deum Patrem nobis oſtendes, hoc enim maxime fauet, vt Iudæorum ora conſuere poſſimus: non arbitror longe à mente Philippi occultiore hoc ſenſu nos aberrare. Ipſe certe ad hæc excogitanda nos inuitat. ℟. Candidi. 11.

Lectio 9. de S. Monica.

Die 5. Maij.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. ſec. Ioannem.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nõ turbetur cor veſtrum: creditis in Deum, & in me credite: in domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſc.

Tract. 68. in Io.

QVomodo vadit, & parat locum, ſi iam multæ manſiones ſunt? aut, ſi adhuc parandus eſt, cur non merito dixiſſet, vado parare? An iſtæ mãſiones & ſunt, & parandæ ſunt? ſi quo minus enim eſſent, dixiſſet, vado parare; & tamen quia ita ſunt, vt parandæ ſint nõ eas vadit parare, ſicut ſunt: ſed ſi abierit, & parauerit, ſicut futuræ ſunt, iterum veniens accipiet ſuos ad ſeipſum,

Digitized by Google

ſum, vt vbi eſt ipſe, ſint & ipſi: quomodo ergo manſiones in domo Patris non aliæ, ſed ipſæ, & ſine dubio iam ſunt, ſicut parandæ non ſunt; & nondum ſunt, ſicut parandæ ſunt? ℟. Ego ſum. 10.

Lectio 8.

QVomodo ergo putamus, niſi quomodo etiam Propheta prædicat Deum, quia fecit, quæ futura ſunt? non enim ait, qui facturus eſt, quæ futura ſunt: ſed qui fecit, quæ futura ſunt: ergo & fecit ea, & facturus eſt ea: nam neque facta ſunt, ſi ipſe non fecit: neque futura ſunt, ſi ipſe nõ fecerit. Fecit ergo ea prædeſtinando, facturus eſt operãdo: ſicut diſcipulos quando elegerit, ſatis indicat Euangelium, tunc vtique quando eos vocauit: & tamẽ ait Apoſtolus, elegit nos ante mũdi conſtitutionem: prædeſtinãdo vtique nõ uocando, quos autem prædeſtinauit, illos & vocauit, ſic & manſiones præparauit, & præparat, nec alias; ſed quas præparauit, has præparat, qui fecit, quæ futura ſunt: quas præparauit prædeſtinando, præparat operãdo. ℟. Candidi. 11

Lectio 9.

SEd quid eſt, quod vt præpararet abijt, cum profecto nos ipſos præparet, quod nõ faciet, ſi reliquerit? agnoſco Domine, vt poſſum; nimirum illud ſignificas, quia vt parentur iſtæ manſiones, viuere debet iuſtus ex fide: qui enim à Domino peregrinantur, opus habent ex fide viuere, quia per hanc ad ſpeciem cõtemplandam parantur. Eat ergo Dominus, & paret locum; eat ne videatur, lateat vt credatur; tunc enim locus paratur, ſi ex fide viuatur, creditus deſideretur, vt deſideratus habeatur: Deſiderium dilectionis præparatio eſt manſionis: ita Domine, para quod paras; non enim tibi paras, & te nobis paras: quoniam locum paras, & tibi in nobis, & in te nobis: tu enim dixiſti: Manete in me, & ego in vobis. Te Deum.

6. Maÿ 6. Die.

[illegible] part. latidu-

du. cum com. oct.

7. *Maÿ* 7. *Die*.

In S. Stanislao ep. m. ferie. cum com. oct.

Die 8. *Maÿ*.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Ioannem.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nō turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite: in domo Patris mei mansiones multæ sunt. Et reliqua.

De Hom. S. Augustī. Episc. *Tr.* 70. *in Io.*

PHilippus vnus ex Apostolis, qui audierat: Domine, inquit, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis; cui Dominus: Tanto, inquit, tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Ecce increpat, q̄ tāto tempore cum ipsis erat, & non cognoscebatur; nōne ipse dixerat: & quo ego vado scitis, & viā scitis? & se nescire dicentes, eos hoc scire conuicerat, addendo, atque dicendo: ego sum via, veritas, & vita: quomodo nunc dicit; & non cognouistis me? cum profecto, & quo iret, & viam scirent, non ob aliud, nisi quod ipsum vtique scirent? Ego sum. 10.

Lectio 8.

SEd facile ista soluitur quæstio, si dicamus, q̄ eum aliqui eorum sciebant, aliqui nesciebant; atque in his, qui nesciebant, & Philippus erat. Sed ideo magister discipulum arguebat, quoniam cor postulantis videbat: tanquam enim melior esset Pater, quā Filius, ita Philippus Patrem nosse cupiebat; & ideo nec filium sciebat, quo melius esse aliquid credebat. Ad hunc sensum corrigendum dictum est; Qui videt me, videt & Patrem; quomodo tu dicis: ostende nobis Patrem? Video quomodo tu dicas, non alterum quæris videre similem, sed illum putas esse meliorem: non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est? cur in similibus distantiam cu-

cupis cernere? cur inſeparabile ſeparatim deſideras noſſe? &. Candidi. 11.

Lectio 9.

QVi credit in me opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Quid eſt hoc? qui faceret opera, quæ Chriſtus fecit, non inueniebamus; qui etiam maiora faciet, inuenturi ſumus? Denique & hic id, quod de hac re poterat nos mouere, mox abſtulit: cum enim dixiſſet, maiora horum faciet: continuo ſecutus adiunxit: quia ego ad patrem vado, & quæcunque petieritis in nomine meo, hæc faciam: qui dixerat, faciet; poſt ait, faciam: non enim poterit eſſe maior me, qui credit in me, ſed ego facturus ſum & tunc maiora per eum, qui credit in me, quam præter eum per me; ego tamen ipſe præter eum, ego ipſe per eũ: ſed quando præter eum, nõ faciet ipſe; quando autem per eum, quamuis non per ſemetipſum, faciet & ipſe. Porro autem maiora facere per eum, quam præter eum, non eſt defectio, ſed dignatio. Te Deum.

Die 6. Maÿ.

INFRA OCTAVAM

S. IO. ANTE PORT. LAT.

Lect. 1. noc. de com. octau. Apoſt. infra 1. Reſp. Lux perpetua cum reliqu. de eodem com. minus ſolemniter. Paſch. 2.

7. Maÿ Secunda Die.

Fit de S. Stanislao ep. m. ſemiduplex cum oct.

8. Maÿ Tertia Die.

De Apparit. S. Michael. Archang. ſemiduplex com. oct.

9. Maÿ Quarta Die.

De S. Gregorio ep. conf. duplex cum com. oct.

Die 10. Maÿ.

QVINTA DIE.

In 3. noct. lect. 7. & 8. Hom. Venerandæ. Credẽdũ, &c. vt in Feſto S. Iacobi infra 122. lect. 9. de ſs. Gordiano et Epimach.

Die 11. Maÿ.

SEXTA DIE.

In 3. noct. duo lect. de Euang. Sanctor. Conſiderandũ, &c. vſque ad 7. die mẽſis. S. Ioan. 123.

12. *Maij Septima Die.*

Vit. & SS. Nerei, &c. mar. ſem. cum 8. n. o. ſ.

Die 13. Maij.

IN DIE OCTAVA.

In Nocturno.

Le. S. Euſe. Mat. c. 20. Lec. 7

IN illo tempore: Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis adorans & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Hom. S. Io. Chryſoſtomi.

Homil. 66. in Matth.

NOn turbetur quiſquã, ſi adeo imperfectos dicimus Apoſtolos fuiſſe: nondum enim myſterium crucis erat conſummatum, nondum gratia Spiritus in corda ipſorũ infuſa. Quod ſi uirtutem ipſorum diſcere cupis, quales poſt datam gratiam Spiritus fuerint, cõſidera, & videbis omnem ab illis peruerſam affectionem fuiſſe ſuperatam. Hac enim de cauſa eorum modo imperfectio reuelatur, ut aperte percipere poſſis, quales ſubito per gratiam effecti fuerunt. Quod igitur nihil ſpiritale petebant, nec de cæleſti regno quidquam cogitabant, perſpicuum eſt. Sed tamen inſpiciamus etiã quomodo accedant, & quid dicant. Volumus, inquiunt, vt quodcumque petierimus, facias nobis. Ad quod Chriſtus, Quid vultis? reſpondit: non ignorans certe, ſed vt eos reſpondere cogat, & vlcus detegat, & ita medicamentum apponat. Ego ſum vitis. 10. Lect. 8.

ILli vero cum erubeſcerent, & verecundia prohiberentur, quoniam humano affectu eo deuenerant, ſeorſum ab alijs diſcipulis Chriſtum accipiẽtes, interrogauerunt. Progreſſi ſunt enim, inquit, ne illis manifeſti fierent: & ita demum ea quæ volebant, dixerunt. Volebant autem, vt ego conijcio, quoniam ſuper duodecim ſedes ſeſſuros diſcipulos audierunt, primatum huius conſeſſus impetrare: & præponi quidem ſe ceteris ſciebant; Petrum vero ſibi præferri formidãtes, dicere auſi ſunt: Dic vt vnus a dextris, alter à ſiniſtris ſedeat.

Et

Et vrgẽt dicentes: Dic. Quid igitur ipſe? Vt ſignificaret eos nihil petere ſpiritale, ſed nec ſcire quidem quid poſtulent: non enim petere auderẽt, ſi ſcirent: Neſcitis, ait, quid petatis: neſcitis quã magnum hoc ſit, quam mirabile, ac ipſas ſuperiores excedens virtutes. Can. Candidi. 11. Lect. 9.

LEt adiecit: Poteſtis bibere calicem, quẽ ego bibiturus ſum: & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari? Perpendis, quomodo ſtatim ab hac opinione ipſos remouit, contraria eis diſſerens. Nam vos, inquit, de honoribus & de coronis mecum agitis: ego vero de luctamine atque ſudore diſſero. Non præmiorum hoc tẽpus eſt, nec illa gloria mea modo apparebit: ſed cædis ac periculorum tempus præſens eſt. Perſpice autem, qualiter ipſo interrogationis modo & hortatur & allicit. Non enim dixit: Poteſtisne cædem ſubire, poteſtisne veſtrum effundere ſanguinem? ſed, Quonam pacto poteſtis bibere calicem? Deinde alliciens, inquit, Quem ego bibiturus ſum: vt ipſa cum eo communicatione laborũ promptiores rederentur. Te Deum.

Die 11. *Iunij.*

INFRA OCTAVAM

S. BARNABAE APOST.

Lect. & Resp. 2. Doc. de communi Ap. poſt. vt infra 1.

Die 12. *Iunij.*

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Et reliqua.

Homil. S. Io. Chryſoſtomi. *Hom. 34. in Matt. longe poſt initium.*

SIc dicere videtur: Nolite turbari, ſi cum vos inter lupos mitto, tanquam oues & colũbas eſſe iubeo. Nam etſi poſſum contrariã quoque præſtare, & nõ permittere vt graue aliquid patiamini, nec lupis tamquam

Digitized by Google

oues ſubiecti ſitis, ſed efficere vt leonibus terribiliores euadatis: tamen ſic expedit fieri: hoc & vos quoque illuſtriores faciet, & meam declarabit virtutẽ. Sic enim poſtea dixit Paulo: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus mea in infirmitate perficitur. Ipſe igitur vos vt tales eſſetis feci. ℟. Iſti ſunt qui infra 10. Lect. 8.

SEd inſpiciamus quam prudentiam exigit: ſerpentis certe. Nam quemadmodum ſerpens totum ſeipſum tradit, nec minimum curat, ſi ipſum quoque corpus incidi neceſſe ſit, dummodo caput ſuum integrũ ſeruet: eodem tu quoque modo, præter fidem cetera perdere non cures, ſiue pecunias, ſiue corpus, ſiue etiã vitam ipſam profundere neceſſe ſit. Fides enim caput eſt & radix, qua ſeruata, etiã ſi omnia perdas, omnia tamen rurſus maiore cum gloria recuperabis. Idcirco nec ſimplices ſolum iuſſit eſſe: nec prudẽtes ſolum: ſed ambo hæc in vnum miſcuit, vt ea in virtute conuertantur. ℟. Iſti ſunt viri [illegible] 11. 9. Lec. de [illegible] B. Filide, &c. m.

13. *Iunij Tertia Die.*

[illegible] de S. Antonio cum lem. cum com. oct.

14. *Iun. Quarta Die.*

De S. Bas. ep. cõf. 3u. cum com. oct.

Die 15. *Iunij.*

QVINTA DIE.

In vertio Notarum.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Epiſcop. *Can.* 10. *in Matth. circa medium.*

INſtructos nos ſerpentis prudentia monet eſſe oportere. Hunc antequam Adam traduceret, iam ſapientem Geneſis nuncupauit, & prudentiam eius malignantis conſilii ordine docuit. Primum enim animam ſexus mollioris aggreſſus eſt, ſpe deinde illexit, & communionem immortalitatis ſpo-

Digitized by Google

ſpopondit: & per hæc tanta præmia, opus conſilij & voluntatis ſuæ geſſit. Pari igitur opportunitate introſpecta, vniuſcuiuſque & natura & voluntate, uerborum adhibenda prudentia eſt: ſpes bonorum futurorum reuelanda, & cæleſtia perfectæ fidei præmia proferenda. ℟. Iſti ſunt qui. 10.

Lectio 8.

ET quod ille mentitus eſt, nos prædicemus ex vero, ſecundum ſponſionem Dei, Angelis ſimiles futuros eſſe qui credent: vt mentes plebium faciles, & abſolutas circumſæuientibus licet lupis, & hæreticis, promiſſis regnorum cæleſtium occupemus, & rerum fidem ſerpentis prudentia, columbæ ſimplicitate tradamus. Monet etiã traditis abeſſe oportere curam reſponſionis, ſed expectãndum potius quid ſpiritus Dei ſuggerat. Quia fides noſtra omnibus præceptis diuinæ voluntatis intẽta, ad reſponſionem ſcientię inſtruetur: in exemplo habentes Abraham, cui poſtulato ad hoſtiam Iſaac non defuit aries ad victimam. ℟. Iſti ſunt viri. 11.

Lect. 9. de SS. Vito, &c. mar.

Die 16. Iunij.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſc. *Serm.* 119. *de Diuerſ.*

AVdiſtis, fratres, cum ſanctum Euangelium legeretur, quemadmodum Dominus noſter Ieſus Chriſtus diſciplina ſua ſuos corroborauerit, dicens: Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum. Conſiderate, fratres mei quid faciat, ſi vnus lupus inter multas oues veniat, quantacunque ſint ouium millia, vno lupo in medio, turbabuntur, & ſi non omnes laniantur omnes tamen terrentur. Qualis ergo erat iſta ratio, quale conſilium, qualis poteſtas,

Digitized by Google

nec lupum ad oues admittere: ſed in lupos oues mittere? mitto, inquit, vos ſicut oues in medio luporum: nõ ad limites luporum, ſed in medio luporum. ℣. Iſti ſunt qui. 10. Lect. 8.

ERat ergo luporum agmen oues paucæ. Cum enim multi lupi occiderũt paucas oues; conuerſi ſunt lupi, & facti ſunt oues. Audiuimus ergo, quod monuit, qui coronas promiſit; & agonem præmiſit & quia expectat certantes, adiuuat laborantes: cuiuſmodi certamẽ indixit? Eſtote, inquit, aſtuti, vt ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ. Hoc qui intellexerit & tenuerit, ſecurus moritur: quis autẽ ſecurus moritur, niſi qui ſic nouerit moriturum ut mors in illo moriatur, vita coronetur? ℣. Iſti ſunt viri. 11. Lec. 9.

QVapropter, cariſſimi exponendum eſt nobis quãuis hinc iam ſæpius dixerimus, quid ſit, ſimplices eſſe vt columbæ, aſtuti vt ſerpentes. Si iã ſimplicitas columbarum indicta eſt nobis, aſtutia ſerpentis quid facit in columbæ ſimplicitate? Amo in columba, quod fel non habet: timeo in ſerpente, quod uenenum habet. Noli ex omni parte horrere ſerpentem: habet, quod oderis, habet quod imiteris. Serpens enim cum fuerit ſenectute prægrauatus, & ſenſerit põdus uetuſtatis, coarctat ſuper cauernam, & ponit tunicam ueterem, ut nouus exultet: Imitare illum Chriſtiane, qui audis Chriſtum dicentem: Intrate per anguſtam portam; & Paulus Apoſtolus tibi dicit: exuite uetere hominem cum actibus ſuis, & induite nouum. Te Deũ.

Die 17. Iunij.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth. Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ecce ego mitto uos ſicut oues in medio luporum. Et reliqua.

De Homil. S. Auguſt. Epiſc.

Habes

HAbes ergo, quod imiteris in ſerpente: noli mori pro uetuſtate, ſed pro ueritate; qui moritur pro commodo temporali, pro uetuſtate moritur; cum autem exutus fueris omni iſta uetuſtate, imitatus es aſtutiam ſerpentis: imitare & illum in hoc: ſerua caput tuum, tene apud te Chriſtū. Si forte aliquis ueſtrum aduertit aliquando, cum uoluerit colubrum occidere, quomodo pro capite ſuo totum corpus obijcit ictibus ferientis; illud in ſe feriri non uult, ubi ſe nouit uitam habere, & Chriſtus uita noſtra eſt: ipſe enim dixit: Ego ſum uia, ueritas, & uita. Audi & Apoſtolum: Caput uiri Chriſtus eſt: qui ergo Chriſtum ſeruat in ſe, caput ſuū ſeruat pro ſe. Iſti ſunt qui. 10.

IAm uero quid opus eſt commendare multis uerbis ſimplicitatem columbarum? cauenda enim erant uenena ſerpentis: ibi imitatio periclitabatur, ibi erat q̄ timeretur. Columbam uero ſecurus imitare, attende columbas in ſocietate gaudere; ubique ſimul uolāt, ſimul paſcuntur, nolunt eſſe ſolæ, communione gaudent, caritatē ſerāut, gemitibus amoris murmurant oſculis filios generant: nam, quando columbæ, quod plerumque aduertimus, rixantur de cellulis ſuis, quodammodo pacata cōtentio eſt. Numquid quia rixantur, ſeparantur? ſimul uolant, ſimul paſcuntur, & ipſa inter ſe pacata eſt rixa. Iſti ſunt uiri. 11.

VIde rixam columbarum: Apoſtolus dicit: ſi quis uerbo noſtro non obaudit per epiſtolam, hunc notate, & nolite commiſcere cum eo. Ecce rixa; ſed attende, quoniam columbarū eſt rixa, non luporum: continuo ſubiecit: & non ut inimicum exiſtimetis, ſed corripite ut fratrem: columba amat, & quando rixatur: lupus odit, & quando blanditur. Columbarum ergo ſimplicitatem habentes, aſtutiā ſeruate ſerpētum. Te Deū.

Die 18. *Iunij.*

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Et reliqua.

Hom. S. Io. Chrysostomi. *Ex ho.* 34. *in Mat. post init.*

DIligenter considera, qui sunt, qui hæc ardua, & laborioſa adeunt, formidolosi videlicet, & indocti, illitterati, rudes, obscuri quidem homines, & ignoti, qui nunquam philosophorũ perceperunt instituta, nunquam in forũ descenderunt, piscatores, & publicani multis repleti rebus, quæ iure animos eorum possent deijcere. Nam si magnos, & claros viros tanta difficultas rerum potuisset commouere, quomodo non potuisset imperitos homines, quibus nullius rei magni aliquid venit in mentem? sed non deiecit, neque turbauit: nec id iniuria, dicet quispiã; cum se intelligerent posse leprosos mundare, dęmonia eijcere. ℟. Isti sunt qui. 10.

Lectio 8.

EGo autem dicere non dubitarim, quia videlicet idipsum iure debebat ipsos conturbare; quoniam, qui tantam potestatem haberent, vt defunctos etiam à morte possent excitare, hi tanta pericula essent subituri, tanta bella gesturi, ad iudices vincti deducendi, communis denique totius orbis admonitio futuri: quæ igitur in omnibus his erat cõsolatio? sola mittentis virtus; quo circa ita signanter incepit: Ecce ego mitto vos: sufficiat hoc vobis ad omnẽ consolationem, satis sit ad confitendum. Vides, quanta eius est auctoritas; intelligis, quoniam maxima sit potestas; percipis inexpugnabilẽ eius esse virtutem? ℟. Isti sunt uiri. 11.

Le. 9. de SS. Marco, &c. mar.

Die 25. *Iulij.*

INFRA OCTAVAM

S. IACOBI APOST.

Lect.

Lect. & Resp. 2. noc. de com. oct. Apost. vt infra 1.

26. Iul. Secunda Die.

Fit de S. Anna dup. cum cõmem. oct.

Die 27. Iulij.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Matt. c. 20.

Lectio 7.

IN illo tempore: Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Episcopi.

Can. 20.

NOn sine aliquo momẽto rerum ita effectũ fuisse existimandum est, ut mater filiorum Zebedæi Dominum deprecaretur: nunquid & filijs petẽdi familiaritas non erat? sed erat gestorum effectibus prophetandum. Itaque in matre filiorum Zebedæi lex intelligitur: quæ confidentia priuilegij sui pro credentibus ex se populis deprecatur; quæ quia superius audierat primos nouissimos, & nouissimos primos futuros; deferri filijs suis orat, vt in Domini regno vnus ad dexteram eius sedeat, alter ad sinistram. Cui Dominus respondit, nescire eam, quid oret. Nihil quidem de gloria Apostolorum ambigebatur, & iudicaturos eos sermo superior expossuit.

℟. Isti sunt qui. 10.

Lectio 8.

DEnique in medio sermone, an calicem suũ possent bibere interrogat. At illi, qui iam martyrij libertatem constantiamque retinebant, bibituros se pollicentur. Dominus collaudans eorum fidem, ait, martyrio quidem eos secum compati posse: sed læue eius ac dexteræ assidere, alijs à Deo Patre fuisse depositum. Et quidem, quantum arbitramur, ita honor iste aliis est reseruatus, quod tamen nec Apostoli ab eo erunt alieni: qui in duodecim patriarcharum sede considentes Israelem iudicabunt. Cæterum, vt ratio spiritualis intelligentiæ plena esset, pro duobus Dominum mater

Digitized by Google

ter orauit. Duæ enim ſunt vocationes ex Iſrael: vna diſcipulorum Ioannis, altera Apoſtolorum & Phariſæorum; ideo igitur pro duobus oratur, quia Euãgelio Chriſti hæ vocationes geminæ crediderunt. ℟. Iſti ſunt viri. 11.

9. Lect. de S. Pantaleone m.

28. *Iul. Quarta Die.*

Fit de SS. Nazario &c. mart. ſem. cum com. oct.

29. *Iul. Quinta Die.*

De S. Martha v. ſem. cum com. oct.

Die 30. *Iulij.*

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zabedæi cum filijs ſuis adorãs, & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Hom. Venerab. Bedæ Presb.

Poſt initium.

CReden dum eſt, quod illa maxime cauſa, vel muliebrem matris affectũ, vel carnales adhuc diſcipulorum animos ad hæc poſtulanda concitauerit, quia meminiſſent ſermonis Domini, cum ait: Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim; noſſentque ſe inter diſcipulos ſpecialius à Domino diligi, ſe ſpecialius cum beato Petro conſcios ſæpe factos arcanorum, quæ ignorarent cæteri, quod frequens ſancti Euangelii textus indicat. Hinc eſt enim, quod ipſis quoque quomodo Petro, nouum ab illo nomen impo nitur; vt ſicut ille, qui prius Simon dicebatur, per fortitudinem ac ſtabilitatem fidei impugnabilis, vocabulum Petri meruit; ita & iſti Boanerges, hoc eſt; filij tonitrui vocarentur: quia videlicet & vocem patris ſuper Dominum in monte clarificatum vna cum Petro audirent, & plura alijs diſcipulis myſteriorum ſecreta cognoſcerent. ℟. Iſti ſunt qui 10.

Lectio 8.

QVia vero ijdem filij Zebedæi promptum gerebant animum ad

ad bibendum calicem Domini, constat eos cum cæteris Apostolis dignitatem sedium, quam quærebant, accepisse; non tamen ea distinctione, qua petebant, sed ambo prius ad sinistram eius ad tempus, ambo nunc ad dexteram eius sedere perpetuo meruerunt. A sinistris quippe Christi sedebant, cū regēdis in hac vita fidelium populis apostolico iure præsiderent, illo nimirum in regno de quo ipse ait: Regnum Dei intra vos est. Sedent à dextris nunc in illa, quæ mortem nescit, vita, iudices mundi cum illo, vtrāque hanc sedem illis ipso filio cum patre parante.

℣. Isti sunt viri. 11.

℟. Le. de ss. Abdon, & Senen.

Die 31. *Iulij*.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Matt. Le. 7.

IN illo tempore: Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis adorās, & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homil. S. Ambrosij Episc. *Lib. 5. de fid. ad Gratia. c. 3.*

COnsiderādum est, quæ mater filiorum Zebedæi cum filijs & pro filijs petat. Mater est vtique, cui pro filiorum honore sollicitę, immoderatior quidem, sed tamen ignoscenda mensura votorum est atque mater ætate longæua, studio religiosa, solatio destituta, quæ tunc temporis, quando vel iuuanda, vel alenda foret validæ prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur & voluptati suæ mercedem sequentium Christum prætulerat filiorum; qui prima voce vocati à Domino, vt legimus relictis retibus & patre secuti sunt eum.

℣. Isti sunt qui. 10. Le. 7.

HAec igitur studio maternæ sedulitatis indulgentior obsecrabat Saluatorem, dicens: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram in regno tuo. Etsi error, pietatis tamen error est. Nesciunt enim materna viscera patientiam. Etsi voti auara, tamen venia

ter orauit. Duæ enim ſunt vocationes ex Iſrael: vna diſcipulorum Ioannis, altera Apoſtolorum & Phariſæorum; ideo igitur pro duobus oratur, quia Euãgelio Chriſti hæ vocationes geminæ crediderunt. ℣. Iſti ſunt viri. 11.

9. Lect. de S. Paulalcone m.

28. *Iul. Quarta Die.*

Fit de SS. Nazario &c. mart. ſem. cum com. oct.

29. *Iul. Quinta Die.*

De S. Martha v. ſem. cum com. oct.

Die 30. *Iulij.*

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. ſec. Matth. Lectio 7.

IN illo tempore: Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zabedæi cum filijs ſuis adorãs, & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Hom. Venerab. Bedæ Presb. *Poſt initium.*

CReden dum eſt, quod illa maxime cauſa, vel muliebrem matris affectũ, vel carnales adhuc diſcipulorum animos ad hæc poſtulanda concitauerit, quia meminiſſent ſermonis Domini, cum ait: Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim; noſſentque ſe inter diſcipulos ſpecialius à Domino diligi, ſe ſpecialius cum beato Petro conſcios ſæpe factos arcanorum, quæ ignorarent cæteri, quod frequens ſancti Euangelii textus indicat. Hinc eſt enim, quod ipſis quoque quomodo Petro, nouum ab illo nomen impo nitur; vt ſicut ille, qui prius Simon dicebatur, per fortitudinem ac ſtabilitatem fidei impugnabilis, vocabulum Petri meruit; ita & iſti Boanerges, hoc eſt; filij tonitrui vocarentur: quia videlicet & vocem patris ſuper Dominum in monte clarificatum vna cum Petro audirent, & plura alijs diſcipulis myſteriorum ſecreta cognoſcerent. ℣. Iſti ſunt qui 10.

Lectio 8.

QVia vero ijdem filij Zebedæi promptum gerebant animum ad

ad bibendum calicem Domini, conſtat eos cum cæteris Apoſtolis dignitatem ſedium, quam quærebant, accepiſſe; non tamen ea diſtinctione, qua petebant, ſed ambo prius ad ſiniſtram eius ad tempus, ambo nunc ad dexteram eius ſedere perpetuo meruerunt. A ſiniſtris quippe Chriſti ſedebant, cū regēdis in hac vita fidelium populis apoſtolico iure præſiderent, illo nimirum in regno de quo ipſe ait: Regnum Dei intra vos eſt. Sedent à dextris nunc in illa, quæ mortem neſcit, vita, iudices mundi cum illo, vtrā que hanc ſedem illis ipſo filio cum patre parante.

℣. Iſti ſunt viri. 11.

9. Le. de Ss. Abcon. & Scnen.

Die 31. *Iulij*.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. ſec. Matt. Le. 7.

IN illo tempore: Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis adorās, & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homil. S. Ambroſij Epiſc. *Lib. 5. de fid. ad Gratia. c. 3.*

COnſiderādum eſt, quæ mater filiorum Zebedæi cum filijs & pro filijs petat. Mater eſt vtique, cui pro filiorum honore ſollicitę, immoderatior quidem, ſed tamen ignoſcenda menſura votorum eſt atque mater ætate longæua, ſtudio religioſa, ſolatio deſtituta, quæ tunc temporis, quando vel iuuanda, vel alenda foret validæ prolis auxilio, abeſſe ſibi liberos patiebatur & voluptati ſuæ mercedem ſequentium Chriſtum prætulerat filiorum; qui prima voce vocati à Domino, vt legimus relictis retibus & patre ſecuti ſunt eum.

℣. Iſti ſunt qui. 10. Le. 7.

HAec igitur ſtudio maternæ ſedulitatis indulgentior obſecrabat Saluatorem, dicens: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram in regno tuo. Etſi error, pietatis tamen error eſt. Neſciunt enim materna viſcera patientiam. Etſi voti auara, tamen venia,

Digitized by Google

niabilis cupiditas, quæ non eſt auida pecuniæ, ſed gratiæ: nec inuerecũda petitio, quæ non ſibi, ſed liberis conſulebat. Matrem conſiderate, matrem cogitate.

Iſti ſunt viri. 11.

Onſiderate enim matris dilectionem, quæ filiorum mercede grandæuam ſolabatur ſenectam: & deſiderijs licet feſſa, maternis, cariſſimorum pignorũ tolerabat abſentiam. Conſiderate etiam feminam, hoc eſt, ſexum fragiliorem, quẽ Dominus propria nondum confirmauerat paſſione. Conſiderate, inquam, Euæ illius primæ mulieris heredem, transfuſa in omnes immoderatæ cupiditatis ſucceſſione labentem: quam Dominus adhuc proprio ſanguine non redemerat: nondum inolitam affectibus omnium immodici cõtra fas honoris appetẽtiam ſuo Chriſtus cruore diluerat. Hereditario igitur mulier delinquebat errore. Te Deum.

Die 1. Auguſti.

IN DIE OCTAVA.

Lectio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis adorans, & petẽs aliquid ab eo. Et reliqua.

Homi. S. Hieronymi Presb. *Lib. 3. Comme. in Mat. c. 20.*

Nde opinionem regni habet mater filiorum Zebedæi, vt cum Dominus dixerit: Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum & Scribis, & condẽnabunt eum morte, & tradent gentibus ad illudendũ & flagellandum & crucifigendum: & ignominiam paſſionis timentibus diſcipulis nuntiaret; illa gloriam poſtulet triumphãtis? Hac, vt reor, ex cauſa, quia poſt omnia dixerat Dominus: Et tertia die reſurget; putauit eum mulier poſt reſurrectionẽ illico regnaturum, & hoc quod in ſecundo aduentu promittitur, in primo eſſe complendum: & auiditate feminea præſentia cupit,

Digitized by Google

pit, immemor futurorum. ℣. Isti sunt qui. 10.

Lect. 6.

MAter postulat, sed Dominus discipulis loquitur: intelligens preces eius ex filiorum descendere voluntate. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Calicē in scripturis diuinis intelligimus passionem, iuxta illud: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Et in Psalmo: Quid retribuam Domino ꝓ omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Statimque infert quis iste sit calix: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. ℟. Isti sūt viri. 11.

℣. Lec. de SS. Machab. mar.

Die 1. *Augusti.*

IN FERIA OCTAVAM

S. PETRI AD VINCVLA.

Lect. 1. noct. de comm. oct. apost. vt infra 1. cū sequentibus Respons.

℟. 4. Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas. Et extendens manum apprehendit eum, & dixit Iesus: Modicæ fidei, quare dubitasti? ℣. Cumque vidisset ventum validum venientem, timuit: & cum cæpisset mergi, clamauit, dicens: Domine saluum me fac. Et extendens.

℟. 5. Surge Petre, & indue te vestimentis tuis, accipe fortitudinem ad saluandas gentes: Quia ceciderunt catenæ de manibus tuis.

℣. Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris, percussoque latere Petri excitauit eum, dicēs: Surge velociter. Quia.

℟. 6. Tu es pastor ouium, princeps Apostolorum: tibi tradidit Deus omnia regna mundi: Et ideo tibi traditæ sunt claues regni cælorum.

℣. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Et ideo. Gloria. Et ideo,

Die 2. *Augusti.*

SECVNDA DIE.

In

Tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Matt. c. 16.

Lectio 7.

IN illo tempore: Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Episc. *Comment. in Matt. c. 16.*

DOminus à discipulis requirit, quem se homines esse dicerent: & adiecit, Filium hominis. Hæc enim confessionis tenenda ratio est, vt sicut Dei filium, ita & filium hominis meminerimus; quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem. Editis itaque, quæ diuersæ de eo erant, hominum opinionibus, quid de se ipsi sentiant quærit. Petrus respondit: Tu es Christus Filius Dei viui. Sed Petrus conditiones propositionis expenderit. Dominus enim dixerat: Quem me homines esse dicunt, filium hominis? Et certe filium hominis, contemplatio corporis præferebat. Sed addendo, Quem me esse dicunt; significauit præter id quod in se videbatur, esse aliud sentiendum; erat enim hominis filius. Quod igitur de se opinandi iudicium desiderabat? Non illud arbitramur, quod de se ipse confessus est: sed occultum erat de quo quærebatur, in quod se credẽdum fides debebat extendere.

℣. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: Et tu aliquando conuersus cõfirma fratres tuos. ℟. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. Et tu.

Lectio 8.

ET dignum plane confessio Petri præmium consecuta est; quia Dei Filium in homine vidisset. Beatus hic est, qui vltra humanum oculos intendisse & vidisse laudatus est: non id quod ex carne & sanguine erat contuens, sed Dei Filium cælestis Patris reuelatione conspiciẽs: dignusq; iudicatus, qui quod in Christo Dei esset, primus agnosceret. O in nuncupatione no-

noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum: dignaque ædificatione illius petra: quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clausira dissolueret. O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus tradũtur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cælo: vt quę in terris aut ligata sint aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cælo. Quem dicunt homines esse Filium hominis? dixit Iesus discipulis suis. Respondens Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei viui. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Beatus es Simõ Bar-iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. Et ego. Gloria. Et ego.

Lect. S. Stephani pa. mar.

3. Augusti Tertia Die.

De Inuent. S. Stephani [illegible] cum com. oct.

4. Aug. Quarta Die.

De S. Dominico conf. duc. cũ com. oct.

5. Aug. Quinta Die.

De Dedic. S. Mariæ ad Niues duc. cum com. oct.

6. Augusti Sexta Die.

De Transfig. Domini duc. cũ com. oct.

Die 7. Augusti.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euangel. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi: & interrogabat discipulos suos, dicens: Quẽ dicunt homines esse Filium hominis? Et reliqua.

Homi. S. Leonis Papæ.

Serm. 3. in anniuers. assumptionis suæ.

A Postolos Dominus, quid de se homines opinentur, interrogat: & tamdiu sermo respondentiũ communis est, quamdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At vbi quid habeat sensus discipulorum exigitur, primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate, Qui cum dixisset:

Tu

Tu es Christus Filius Dei viui: respondit ei Iesus: Beatus es Simon Bar-iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Id est, ideo beatus es, quia Pater meus te docuit: nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio cælestis instruxit: & non caro & sanguis, sed ille me tibi, cuius sum vnigenitus filius, indicauit. ℣. Ego pro te. 126.

Lectio 8.

ET ego, inquit, dico tibi: hoc est, sicut meus Pater tibi manifestauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuã, quia tu es Petrus: id est, cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternũ extruam templum: & Ecclesiæ meæ cælo inferenda sublimitas, in huius fidei firmitate consurget. ℣. Quem dicunt. 127.

9. Lect. de S. Donato ep. a.

Die 8. *Augusti*.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Et reliqua.

Homilia S. Hieronym. Presb. *Lib. 3. comm. in Matt. c. 16.*

℣) VIchre interrogat: Quẽ dicunt homines esse Filium hominis? quia quæ de filio hominis loquuntur, homines sunt, qui vero diuinitatem eius intelligunt, nõ homines, sed dij appellãtur. At illi dixerunt: Alij Ioannẽ Baptistã, alij autem Eliam. Miror quosdam interpretes causas errorũ inquirere singulorum, & disputationẽ lon-

longissimam texere, quare Dominum nostrum Iesum Christum alij Ioannem putauerint, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis: cum sic potuerint errare in Elia, & Ieremia, quo modo Herodes errauit in Ioanne, dicens: Quem ego decollaui Ioannem, ipse surrexit à mortuis, & virtutes operantur in eo. ℣. Ego pro te. 126.

Lectio 8.

VOs autem quem me esse dicitis? Prudens lector attende, quod ex consequentibus, textuque sermonis, Apostoli nequaquã homines, sed dij appellantur. Cum enim dixisset: Quẽ dicunt homines esse filium hominis? subiecit: Vos autẽ quem me esse dicitis? Illis, quia homines sunt, humana opinantibus, vos qui estis dij, quem me esse existimatis? Petrus ex persona omnium Apostolorum profitetur: Tu es Christus Filius Dei viui. Deum viuum appellat, ad distinctionem eorum deorum, qui putantur dij, sed mortui sunt. ℣. Quem dicunt. 127.

Lectio 9.

REspondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simõ Bar-iona. Testimonio de se Apostoli reddidit vicẽ. Petrus dixerat: Tu est Christus Filius Dei viui: mercedem recepit vera confessio: Beatus es Simon Bar-iona. Quare? Quia non reuelauit tibi caro & sanguis, sed reuelauit tibi Pater. Quod caro & sanguis reuelare non potuit, Spiritus sancti gratia reuelatum est. Ergo ex confessione sortitur vocabulum, quod reuelationem ex Spiritu sancto habeat, cuius & filius appellãdus sit. Siquidem Bar-iona in nostra lingua sonat, filius columbæ. ℣. Deum.

Die 24. *Augusti*.

S. BARTHOLOMAEI AP.
Extra Romam.

Lect. I. Rep. huius de com. Ap. non fest. I.
Hom. ex eadem 10.

25. *Aug. Secunda Die.*

Lect de S. Ludouico conf. sec. cum com. oct.

Die 26. *Augusti.*

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. sec. Luc. c. 6.

Lectio 7.

IN illo tempore : Exijt Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei : & cum dies factus esset, vocauit discipulos suos. Et reliqua.

De Homilia S. Ambrosij Episcopi.

Lib. 5. in Luc. c. 6.

NOn omnis, qui orat, ascendit in montem : est enim oratio, quæ peccatum facit: sed qui bene orat, à terrenis ad superiora progrediens, verticem curæ sublimis ascendit. At ille non ascendit in montem, qui de sæculi diuitijs, aut de honore sollicitus est : non ascendit in montem, qui fundi ius optat alieni. Ascendit ille, qui Deum quærit ; ascendit ille, qui cursus sui dominica adiumenta deposcit. ℟. Isti sunt, qui. 10.

Lectio 8.

NOli insidiatrices aperire aures, vt putes filiũ quasi infirmum rogare, vt impetret, quod implere nõ possit. Potestatis auctor, obediẽtiæ magister ad præcepta virtutis suo nos informat exemplo. Aduocatum, inquit, habemus apud Patrem. Si aduocatus est, debet pro meis interuenire peccatis. Non ergo quasi infirmus, sed quasi pius obsecrat. Vis scire, quia omnia, quæ velit, possit? & aduocatus, & iudex est ; in altero pietatis officium, in altero insigne est potestatis. ℟. Isti sunt viri. 11.

Lect. de S. Zepherino pa. m.

Die 27. *Augusti.*

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore : Exijt Iesus in montem orare, & erat pernoctãs in oratione Dei : & cum dies factus esset, vocauit discipulos suos. Et reliqua.

Hom. Vener. Bedę Presb.

Ex comm. in Luc.

No-

NOtandum, quod Euangelica, & Apoſtolica ſcriptura non ſolum illos duodecim appellat diſcipulos Chriſti; ſed & omnes, qui in eum credentes magiſterio eius ad regnum cælorum erudiebãtur. Diſcipuli quippe à diſcendo ſunt vocati, ex quorum multitudine, quos ipſe voluit, elegit, quos & Apoſtolos nominauit. Apoſtoli Græce, Latine miſſi dicuntur. ℣. Iſti ſunt qui. 10. Lec. 8.

CVius ſacramentum nominis exponens Euangeliſta Marcus, ait: Et fecit, vt eſſent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare Euangelium: & ipſe Dominus dicit: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; qui bene duodecim ſunt electi, vt videlicet mundi ſalutem, quam verbo prædicarent, ſuo quoque numero myſtice commendarent. ℣. Iſti ſunt viri. 11.

Lectio 6.

HInc eſt enim, quia cum in typo Eccleſiæ Salomon Domino templum cõderet, fecit & mare æneũ, in quo Sacerdotes lauarentur, duodecimque illud boũ clunis impoſuit, quorum tres Aquilonem, tres Occidentem, tres Meridiem, & tres aſpicerent Orientem figuraliter inſinuans, quoniam Apoſtoli Apoſtolorumque ſucceſſores cunctas orbis quadrati plagas, fide & confeſſione ſanctæ Trinitatis eſſent à peccatorum labe purgaturi. Te Deum.

28. *Auguſti Quinta Die.*

Fit de S. Auguſtino ep. conf. du. cum com. oct.

29. *Aug. Sexta Die.*

De Decol. S. Ioan. Baptiſtæ du. cum com. oct.

Die 30. Auguſti.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam. Lectio 7.

IN illo tempore: Exijt Ieſus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos. Et reliqua.

De Homilia Venerab. Bedę Presbyteri.

Simonem, quem cognominauit Petrum. Non nunc primum Simoni, Petri nomen indidit, sed longe ante, cum a fratre Andrea ad se adductum intuitus dixit: Tu es Simon filius Ioãnis, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Sed cum volens Lucas nomina duodecim Apostolorum enumerare, necesse haberet, Petrũ dicere; breuiter innuere voluit, quod non hoc ante vocaretur, sed ita eum Dominus cognominauerit, quamuis non tunc, sed quando Ioannes ipsa Domini verba posuit, intentos videlicet reddens auditores. ℣. Isti sunt qui. 10. Lect. 8.

NAm si hoc ante vocaretur; non ita videres mysterium petræ, putãs eum casu sic vocari, non prouidentia Dei. Ideo voluit eum prius aliud vocari, vt ex ipsa commutatione nominis, sacramenti viuacitas commendaretur. Idem ergo latine Petrus, quod syriace Cephas, & in vtraque lingua nomen à petra deriuatum est; haud dubium, quin illa de qua Paulus ait: Petra autem erat Christus. Nam sicut lux vera Christus donauit Apostolis, vt lux mundi vocentur, sic & Simoni, qui credebat in petrã Christum, Petri largitus est nomen. ℣. Isti sunt viri. 11. 9. lect. de SS. Felice, &c. mar.

Die 31. *Augusti.*

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eua. sec. Luc. Le. 7.

IN illo tempore: Exijt Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus esset, vocauit discipulos suos. Et reliqua.

De Hom. Venerabilis Bedæ Presbyteri.

BArtholomæus Syrum est, non Hebræum, & interpretatur, filius suspendentis aquas, hoc est, filius Dei. Qui prædicatorũ suorum mentes ad cælestia cõtemplanda suspendit, vt quo celsa liberius peruolant; eo terrenorum corda feracius dictorum suorum guttis inebrient. Vnde bene Moyses

de

de Eccleſia myſtice diſſerẽs, ait: quia non eſt terra, ad quam ingredimini poſsidẽdam, ſimilis terræ Aegypti, de qua exiſtis, vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ, ſed de cælo pluuias expectans, quam Deus ſuus inuiſit omni tempore: ſæcularis enim ſapientia quaſi coluber per humum ſerpit; diuina autem de cæleſtibus intonat. ℣. Iſti ſunt qui. 10. Lec. 8.

ELecturus Apoſtolos Dominus in montana ſubijt, turbas vero docturus ad campeſtria redit, quia non niſi in humili Chriſtum turbæ videre ſufficiunt: nam hæc eſt norma, quam ſecutus Apoſtolus ait: Non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus: quaſi paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcã; nondum enim poteratis, ſed ne nunc quidem poteſtis. Apoſtoli autem ipſi ſecundum Matthæum quaſi perfectiores, & in monte, & aperto Saluatoris ore docti eſſe narrantur. Iſti ſunt viri. 11. Lec. 9.

VBi ſi quis diligentius vtrumque velit Euangeliſtam perſcrutari, poteſt intelligi, cum in mõte duodecim diſcipulos elegit è pluribus, quos & Apoſtolos nominauit, quod Matthæus prætermiſit, tunc illum habuiſſe ſermonem, quem Matthæus interpoſuit, & Lucas tacuit, hoc eſt in monte. Ac deinde cum deſcendiſſet, in loco campeſtri habuiſſe alterum ſimilem, de quo Matthæus tacet. Lucas non tacet; & vtrumque ſermonem eodem modo eſſe cõcluſum. Raroque vſpiam vel turbas Dominum ad altiora ſequi, vel quempiam debilem inuenies in monte curari Te Deum.

Infra octauam eiuſdem S. Bartholomæi. Romæ, & vbi celebratur die 25. Auguſti.

Lect. & Reſponſ. 2. noct. de comm. oct. Apoſt. infra 1.

26. *Aug. Secunda Die.*

Fit de S. Ludouico confeſſ. ſem. cum comm. oct.

Die 27. Auguſti.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Sec. S. Euang. ſec. Luc. c. 6.

Lectio 7.

IN illo tempore: Exijt Ieſus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei: & cũ dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos. Et reliqua.

De Homil. S. Ambroſij Epi. *Lib. 5. in Luc. c. 6.*

NOn omnis, qui orat, aſcendit in montem: eſt enim oratio, quæ peccatũ facit, ſed qui bene orat, à terrenis ad ſuperiora progrediens, verticem curæ ſublimis aſcendit. At ille non aſcendit in montem, qui de ſæculi diuitijs, aut de honore ſollicitus eſt: non aſcendit in mõtem, qui fundi ius optat alieni. Aſcendit ille, qui Deum quærit; aſcendit ille, qui curſus ſui dominica adiumenta depoſcit.

℣. Iſti ſunt qui. 10. Lect. 8.

NOli inſidiatrices aperire aures, vt putes filium quaſi infirmum rogare, vt impetret, quod implere non poſsit. Poteſtatis auctor, obedientię magiſter ad præcepta virtutis ſuo nos informat exemplo. Aduocatum, inquit, habemus apud Patrem. Si aduocatus eſt, debet pro meis interuenire peccatis. Non ergo quaſi infirmus, ſed quaſi pius obſecrat. Vis ſcire, quia omnia, quæ velit, poſsit? & aduocatus, & iudex eſt; in altero pietatis officium: in altero inſigne eſt poteſtatis.

℣. Iſti ſunt viri. 11.

Lectio 9.

ERgo & Iudas, nõ per imprudentiam, ſed per prouidentiam. Quanta eſt veritas, quam nec aduerſarius miniſter infirmat? quãta moralitas Domini, qui periclitari magis apud nos iudicium ſuum: quam affectũ maluit? ſuſceperat enim hominis fragilitatẽ, & ideo nec has partes recuſauit infirmitatis humanæ: voluit deſeri, voluit prodi, voluit ab Apoſtolo ſuo tradi; vt tu à ſocio deſertus, à ſocio proditus, moderate feras tuum erraſſe iudicium, per-

iſſe

isse beneficium. ...e Deum.

28. *Aug. Quarta Die.*

Fit de S. Aug epis. cont. dup. cum commem. oct.

29. *Aug. Quinta Die.*

De Decollat. S. Jo. Bapt. ita dup. cum commem. oct.

Die 30. *Augusti.*

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Exiit Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus esset, vocauit discipulos suos. Et reliqua.

Hom. Vener. Bedæ Presb. *Ex comm. in Luc.*

NOtandum, quod Euangelica, & Apostolica scriptura non solum illos duodecim appellat discipulos Christi; sed & omnes, qui in eum credentes magisterio eius ad regnum cælorum erudiebantur. Discipuli quippe à discendo sunt vocati, ex quorum multitudine, quos ipse voluit, elegit, quos & Apostolos nominauit. Apostoli Græce, Latine, missi dicuntur. ℟. Isti sunt qui. 10.

Lect. 8.

CVius sacramentum nominis exponẽs Euãgelista Marcus, ait: Et fecit, vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare Euangelium: & ipse Dominus dicit: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; qui bene duodecim sunt electi, vt videlicet mundi salutem, quam verbo prædicarent, suo quoque numero mystice commendarent. ℟. Isti sunt viti. 11.

9. lect. de SS. Felice, & Audacto mar.

Die 31. *Augusti.*

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Exijt Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus esset, vocauit discipulos suos. Et reliqua.

De Homil. Venerab. Bedæ Presbyteri.

SImonem, quem cognominauit Petrum. Non

Digitized by Google

nunc primum Simoni, Petri nomen indidit, ſed lõge ante, cum à fratre Andrea ad ſe adductũ intuitus dixit: tu es Simon filius Ioannis, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Sed cum volens Lucas nomina duodecim Apoſtolorum enumerare, neceſſe haberet Petrũ dicere: breuiter innuere voluit, quod non hoc ante vocaretur, ſed ita eum Dominus cognominauerit, quamuis non tunc, ſed quando Ioannes ipſa Domini verba poſuit, intentos uidelicet reddens auditores. ℟. Iſti ſunt qui. 10. Lec. 8.

NAm ſi hoc ante uocaretur, non ita uideres myſterium petræ, putans eum caſu ſic vocari, non prouidentia Dei. Ideo voluit eum prius aliud vocari, vt ex ipſa commutatione nominis, ſacramenti viuacitas commendaretur. Idem ergo Latine Petrus, quod Syriace Cephas, & in vtraque lingua nomen à petra deriuatum eſt, haud dubium, quin illa, de qua Paulus ait: Petra autem erat Chriſtus. Nam ſicut lux vera Chriſtus donauit Apoſtolis, vt lux mundi vocentur, ſic & Simoni, qui credebat in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen. Iſti ſunt viri. 11.

BArtholomæus Syrum eſt, non Hebræum, & interpretatur, filius ſuſpendentis aquas, hoc eſt, filius Dei. Qui prędicatorum ſuorum mentes ad cæleſtia cõtemplanda ſuſpendit, vt quo celſa liberius peruolant, eo terrenorum corda feracius dictorum ſuorum guttis inebrient. Vnde bene Moyſes de Eccleſia myſtice diſſerẽs, ait: quia non eſt terra, ad quã ingredimini poſſidendam, ſimilis terræ Aegypti, de qua exiſtis, vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ, ſed de cælo pluuias expectans, quam Deus ſuus inuiſit omni tẽpore: ſęcularis enim ſapientia quaſi coluber per humũ ſerpit: diuina autem de cæleſtibus intonat.

e Deum.

Die

Die 1. Septembris.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Luc. Le. 7.

IN illo tempore: Exijt Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus esset, vocauit discipulos suos. Et reliqua.

De Hom. Ven. Bedæ Presb. *Ex lib. 2. comment. in Luc.*

ELecturus Apostolos Dominus in montana subijt, turbas vero docturus ad campestria redit, quia non nisi in humili Christum turbæ videre sufficiũt: nam hæc est norma, quam secutus Apostolus ait: Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem potestis. Apostoli autem ipsi secundum Matthæum quasi perfectiores, & in monte, & aperto Saluatoris ore docti esse narrantur. ℟. Isti sunt qui. 10.

VBi si quis diligentius vtrumque velit Euangelistam perscrutari, potest intelligi, cum in monte duodecim discipulos elegit è pluribus, quos & Apostolos nominauit quod Matthæus prætermisit, tunc illũ habuisse sermonẽ, quẽ Matthæus interposuit, & Lucas tacuit, hoc est in monte. Ac deinde cum descendisset, in loco campestri habuisse alterum similem, de quo Matthæus tacet, Lucas non tacet; & vtrumque sermonem eodem modo esse concluſum. Raroque vspiã vel turbas Dominum ad altiora sequi, vel quempiam debilem inuenies in monte curari. ℟. Isti sunt viri. 11

Die 21. Septembris.

S. MATTHÆI AP. ET EV.

Die 22. Septembris.

SECVNDA DIE.

Lect. S. Euang. sec. Matt.

Lectio 7.

IN illo tempore: Vidit Iesus hominem sedẽtem in telonio, Matthæum nomine: & ait illi: sequere me. Et reliqua.

Homilia S. Io. Chrysostomi.

Ex ho. 31. in Matth.

NOn est ab re, grandem Euangelistæ philosophiam admirari, qui anteactam vitam suam non celauit, & nomen suum adscripsit, quod alij mutata appellatione occultauerunt. Sed cur dixit in telonio sedisse? virtutem vocãtis voluit ostendere, qui non impositò adhuc fine prauæ publicanorum conuersationis, è medio malorum pelago ipsum abstraxit, sicut Beatũ Paulũ quoque furentem, ac omni rabie ardentem, & ignem Ecclesiæ inferẽtem reduxit. Vidisti virtutem vocantis: disce nunc vocati obedientiam. ℟. Isti sunt qui. 10.

Lectio 8.

NOn enim repugnauit, nec ambigendo secũ dixit: putasne publicanum, peccatoremque me rectè absque fraude vocauerit? nõ est enim huiusmodi humilitas laudabilis: sed confestim ita obtemperauit, vt nec domum quidem ad cõmunicandum rem cum suis profectus sit: verum, sicut piscatores, prius retibus vna cum nauigio, atque patre relictis; sic iste publico officio, & quæstu relicto sequebatur; sic præparatum animum, atque præmeditatum ostendens, sic ab omni sæculari negotio seipsũ eripiens, mirabili hac obedientia testimonium vocanti perhibuit quod opportune ipsum vocauerit. ℟. Isti sunt viri. 11.

Lectio de SS. Mauritio, & Sociis martyribus.

23. *Sept. Tertia Die.*

Ad Laudes Psalmi feriales cum oct.

Die 24. Septembris.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Vidit Iesus hominem sedentẽ in telonio, Matthæum nomine

mine: & ait illi: sequere me. Et reliqua.

De Homil. S. Io. Chrysost.

SEd cur iam, inquies, nō de omnibus scripsit, quomodo vocati sunt, sed de Petro, Iacobo, Ioanne, atque Philippo solum, de cæteris vero nihil? Quia isti maxime in humili artificio, atque turpi quæstu versabātur: quid enim publicano peius, aut piscatura humilius? Philippum etiam non fuisse insignem, à patria eius planum fieri potest, idcirco de his maxime scribunt; qua de causa, cum laudabilia narrant, suspectos habebis? præsertim cum multa signa, & miracula breuiter transcurrant, Crucis vero patibulum, quod opprobrij plenum esse videbatur, exactissime prosecuti sunt, discipulorumque studia, artificia, quæstus, contemptum, & ipsius magistri progenitores, qui turpitudine aliqua detinebantur, magna voce in medium proferunt.

℟. Isti sunt, qui. 10.

PAtet ergo, quanta sibi esset cura veritatis, cū nihil ad gratiam, nihil ad ostentationem ambitiosè cōscripserit. Verū Matthæus, honorem quoque non minimum consecutus est: mēsa enim Domini continuo dignatus, poterat facile maiora quoque sperare, qui videbat iam se libere cum Domino conuersari, quamuis Iesus non cum illo solum ad mensam accubuerit, sed alijs quoque cum multis, quod sibi crimini à nobilioribus dabatur, qui peccatores depellendos esse censebant: sed nec ipsum celarunt Euangelistæ, quod ab improbis, atque inuidis ad infamiam dicebatur.

℟. Isti sunt viri. 11.

Lectio 9.

COncurrūt autem quasi ad cōsortem artificij multi publicani, quos Matthæus lætitia non parua propter accessum Christi inuitauit Domino ita disponente, qui omne genus curationis animorū exhibuit, nec disputando solum aut

ægro-

ægrotos curando, aut inimi cos redarguendo : verum etiam comedendo, atque bibendo, multos à vitijs ad virtutem reduxit, vt nos doctiores his omnibus efficeret : non enim tempus, nec opus, ex quo non possimus vtilitatem subducere. Te Deum.

Die 25. Septembris.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Matt. Le. 7.

IN illo tempore : Vidit Iesus hominem sedẽtem in telonio Matthæum nomine: & ait illi: sequere me. Et reliqua.

Homil. S. Petri Chrysologi. *Ser.* 28.

MAtthæum de telonio diuitem, de vsuris locupletem, lucris sæculi onustum, quod in Apostolatum Christus elegerit, quid dicemus? hodie Matthæus de se ipso sic cępit: Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem &c. Matthæus publicanus generat nobis non paruam suis quæstionibus quæstionem, & magnum nobis negotium sua negotiatione proponit; quam quæstionem? quod negotium? Deus suscipit pauperes, sed diuites non repellit. Habentes suscipit, & ad se attrahit non habẽtes. Abrahã diues, diues Iob, Dauid diues; & quid Abrahã beatius? quid fortius Iob? quid Dauid sanctius? * Isti sũt qui. 10. Le. 8

SEd ad hæc respondetur fuerunt Sanctis innocẽtes diuitiæ, vtpote à Deo datæ, non turpiter acquisitæ: concessæ ad vsum vitæ, non ad mortis vsuram. Matthæum vero publicanum diuitiæ sic cupiditatis publicabant magistrum, fornace auaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sacculorum ponderibus sic premebant, vt leuari ad innocẽtiam, ad iustitiam surgere, ad virtutem progredi non valeret: vnde & sedere eius erat iam subsidere, non sedere. Nunc ergo talem ad sua cur vocauerit Christus, cur elegerit ad diuina, nisi quęratur altius, facit altissimã quæstionem; &

non

non tãtum quæſtionem, ſed & ſcandalum; ſicut illo tempore circunſtantiam patefecit intentio. Iſti ſunt viri. 11.

Lectio 9.

QVomodo enim infirmitas non laboraret humana, quando videbat apud Chriſtum pecuniam ſic valere; vt daret fraudulento fidẽ, venali gratiam, cupiditatis magiſtro officium largitatis, doctori fœnoris magiſterium ſanctitatis, publicano ſæculi cæleſte ſecretum? Vrebat videntes, quod vſura, quæ vaſtat terram, tollebatur ad cælum; & hanc, quam deteſtantur homines, Deitas aduocabat. Fratres, in quęſtione hac ingenium laboraret interpretis, ſi non ipſe Dominus totum, quod eſt quæſtionis, auferret. Audiamus: Cum tranſiret, inquit, Ieſus: non dixit, cum ſtaret ibi; tranſiuit, & pertranſiuit, ne Matthæus remaneret ibi. Vidit hominem, quia in Matthæo homines liberarat, hoc eſt, homines, quos pecunia poſſidebat, ſeruire Deo nequeunt pecuniæ ſeruientes. Veni, ſequere me: hoc eſt, depone ponderа, diſrumpe vincula, ſólue laqueos. Te Deum.

Die 26. Septembris.

SEXTA DIE.

Lectio Noua.

Lect. S. Eu. ſec. Matt.

IN illo tempore: Vidit Ieſus hominem ſedentẽ in telonio, Matthæum nomine: & ait illi: ſequere me. Et reliqua.

De Homil. S. Petri Chryſol. *Ser.* 29.

CVm Matthæum publicanum Dominus ad Apoſtolatus faſtigium euocat, & extollit, dat manum lapſis, ſpem reſtituit deſperatis, reddidit vitæ quos ſibi iam mors detinebat addictos. Cum præteriret, inquit, Ieſus, vidit Leui Alphęi ſedentem ad telonium; ſedebat vtique quia ſtare non poterat pondere cupiditatis oppreſſus, & ipſa totus conſcientia fraudis incuruus. Aurum natura graue, grauius fit auaritia nimis.

Hinc

Digitized by Google

Hinc eſt, quod plus habentem deprimit, quam ferentem; & vehementius aggrauat corda, quam corpora. Aurum erogare bonum, reponere malum, contemnere validum, fugere perſecurum: quod ſicut vincere virtutis eſt, ita felicitatis eſt euaſiſſe. ℣ Iſti ſunt qui. 10.

Lectio 8.

MErito Matthæum Dominus talibus vinculis abſolui cupiens præpeditum ſuſcitat, dicendo: ſequere me: hoc eſt, me ſequere de ſupernis ad ſuperna tendentem, & non aurũ de inferis ad inferna mergentem: vbi fuerit theſaurus tuus, illic & cor tuum erit. Matthæus non ſubtrahitur operi, ſed mutatur: & telonium ſuſcipit magis, quam relinquit: vt manſura Deo, non homini peritura conquirat, vt non trigeſimum in quadrageſimum, quinquageſimumque nummum triſtis redigat ſupputator; ſed trigeſimum in ſexageſimum, & centeſimum gaudij fructum lætus recondat diuinis commodis profuturum. ℣ Iſti ſunt viri. 11.

9. Lect. de S. Cypriano, & Iuliano mar.

27. *Sept. Septima die.*

Fit de SS Cosma, & & Damiano mart. ſem. cum com. octauæ.

Die 28. *Septembiis.*

IN DIE OCTAVA.

In primo Nocturno.

Lect. S. Euangel. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Vidit Ieſus hominem ſedentẽ in telonio. Matthæum nomine: & ait illi: ſequere me. Et reliqua.

De Homilia Sancti Petri Chryſologi.

Serm. 30.

HOdierna Euangelica lectio Matthæum publicanum ſic in Apoſtolum cõmutauit, vt qui erat fraudator pecuniæ, fieret gratiæ diſtributor: & de impietatis ſchola ad pietatis magiſterium perueniret fieretque doctor miſericordiæ, qui auaritiæ fuerat inſtitutor. Dum tranſiret Ieſus, vidit hominem: vidit plus diuinis ocu-

oculis,quam humanis:vidit hominem,vt peccata hominis non videret : vidit opus ſuum , vt deſpiceret opera peccatorum : vidit illum Deus,vt ille videret Deum. Vidit illum Chriſtus ſedentem , quia preſſus cupiditatis pondere ſurgere non valebat. ℟. Iſti ſunt qui. 10.

Lectio 8

DEterius ſedebat in telonio publicanus iſte, quam paralyticus , de quo ante diximus, iacebat in lecto,quia ille carnis patiebatur paralyſim , iſte mentis : in illo fuerat compago turbata membrorum,in iſto totus ordo fuerat sẽſuum diſſipatus: ille iacebat captus carne,ſedebat corpore & animo iſte captiuus : ille doloribus ſuccumbebat inuitus , iſte vitijs voluntarius ſeruiebat: iſte ſibi innocens auaritiæ videbatur in crimine,ille ſe cognoſcebat inter vulnera peccatorem:iſte lucrorum cumulabat peccata , ille dolorum gemitibus peccata delebat . Merito igitur paralytico dicitur;Dimittuntur tibi peccata tua , quia compenſarat delicta doloribus : publicano autem dicitur ; Veni,ſequere me , vt ſequendo me repares quod conſequendo pecuniam perdidiſti .

℟. Iſti ſunt viri. 11.

Lectio 9.

SEd dicit aliquis,quare publicanus , qui maior videtur in crimine , maior habetur in munere? nam mox apoſtolatus certa prædituſ dignitate non ſolum ipſe accepit, ſed aliis indulgentiam tribuit peccatorũ; totum orbem ſplendore Euangelicæ prædicationis irradiat, & paralyticus ſola dignus uenia vix habetur . Vis noſſe,quare plus conſecutus ſit publicanus? quia iuxta Apoſtolum,ubi abundauit peccatum,ſuperabundauit & gratia ſimul,ut publicanus gentilis populi typum teneat, paralyticus Iudaici populi ſit figura , qui hodie malæ ualetudinis tenetur in lecto,ut niſi portatus fuerit fide gentium, oblatus Chriſto miſeratione San-

Sanctorum, Christiani populi credulitate saluatus, ad domum fidei, ad domum patriæ non potest peruenire. Te Deum.

Die 28. Octobris.

INFRA OCTAVAM

SS. SIMONIS ET IVDAE Apostolorum.

Lect. & Resp. 2. nocturni de communi oct. Apostolorum infra 1.

Die 29. Octobris.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Ioan. c. 15.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Hæc mando uobis, ut diligatis inuicem. Si mũdus uos odit: scitote, quia me priorem uobis odio habuit. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

Tr. 87. in Ioan.

PRo hac autem dilectione patienter debemus etiam mundi odia sustinere: necesse est enim vt nos oderit, quos cernit nolle quod diligit; sed plurimum nos de se ipso Dominus consolatur, qui adiecit, atque ait: Si mundus uos odit: scitote, quoniam me priorem vobis odio habuit: cur ergo se membrum supra verticem extollit? recusas esse in corpore, si non uis odium mundi sustinere cum capite. Si de mundo, inquit, essetis, mundus quod suum erat diligeret; vniuersæ vtique hoc dicit Ecclesię, quam plerunque etiam ipsam mundi nomine appellat, sicut est illud, Deus erat in Christo, mundum recõcilians sibi. Totus ergo mundus Ecclesia est, & totus mundus odit Ecclesiã. ℟. Isti sunt qui. 10.

Lectio 8.

MVndus igitur odit mũdum, inimicus recõciliatum, damnatus saluatũ, inquinatus mundatum: sed iste mundus, quem Deus in Christo reconciliat sibi, & qui per Christum saluatur, & cui per Christum peccatũ omne donatur, de mũdo electus est inimico, damnato, contaminato; ex eadem quippe massa, quæ tota in Adam

Adam perijt, fiunt uaſa miſericordię, in quibus eſt mũdus pertinens ad reconciliationem, quam mundus odit, ex eadem maſſa pertinens ad vaſa iræ, quæ profecta ſunt ad perditionem: denique continuo ſubiecit; quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Ergo & ipſi inde erant, vnde vt non eſſent, electi ſunt inde. Ps. Iſti ſunt viri. 11. Lect. 9.

SI autem quæratur quomodo ſe diligat mundus perditionis, qui odit mundum redemptionis, diligit ſe vtique falſa dilectione, non vera; proinde falſo ſe diligit, & vere odit: qui enim diligit iniquitatem, odit animam ſuam; ſed diligere ſe dicitur, quoniam iniquitatem, qua iniquus eſt, diligit; & rurſus odiſſe ſe dicitur, quoniam quod ei nocet, hoc diligit, odit ergo in ſe naturam, diligit vitiũ: odit quod factus eſt per Dei bonitatem, diligit quod in eo factum eſt per liberam voluntatem. Vnde nos quoque illum diligere & prohibemur (ſi recte intelligimus) & iubemur: prohibemur ſcilicet; vbi nobis dicitur: Nolite diligere mundum: iubemur autem, vbi nobis dicitur: Diligite inimicos veſtros; ipſi ſunt enim mũdus, qui nos odit. Vitium quippe in illo diligere prohibemur, iubemurque diligere naturam; cum ipſe in ſe diligat vitium, oderitque naturã: vt nos eum & diligamus & oderimus recte, cum ſe ipſe diligat, oderitque peruerſe. Te Deum.

Die 30. Octobris.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Ioann.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Et reliqua. De Homil. S. Aug. Epiſcopi.

Poſt init. tr. 89.

QVid eſt: ſi non veniſſem, & locutus eis

fuiſſem, peecatum non haberent? nunquid ſine peccato erant Iudæi, antequam Chriſtus ad eos in carne veniſſet? ſed magnum quoddã peccatum, non omne peccatum, quaſi ſub generali nomine vult intelligi, hoc eſt autem, quia non crediderunt in Chriſtum, qui propterea venit, vt credatur in eum: hoc peccatum, ſi non veniſſet, non vtiq; haberent. Aduentus quippe eius quantum credentibus ſalutaris, tantum nõ credentibus exitialis factus eſt; tanquam & ipſe caput, & princeps Apoſtolorum, quod de ſe ipſi dixerunt, extiterit; Quibuſdam quidem odor vitæ in vitam; quibuſdam vero odor mortis in mortem.

℟. Iſti ſunt, qui. 10.

Lectio 8.

SEd quod adiunxit, atque ait: Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo: poteſt mouere quærẽtes: vtrum hi, ad quos non venit Chriſtus, nec locutus eſt eis, habeant excuſationem de peccato ſuo. Si enim non habent, cur hic dictum eſt, propterea iſtos nõ habere, quia venit, & locutus eſt eis? Si autem habent, vtrum ad hoc habeant, vt à pœnis alienentur, an vt mitius puniantnr? Ad hæc inquiſita pro meo captu, Domino donante reſpondeo, habere illos excuſationem, nõ de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus: ſed non in eo ſunt numero hi, ad quos in diſcipulis venit, & quibus per diſcipulos eſt locutus, quod & nunc facit: ad hoc enim pertinet, quod ait: Qui vos recipit, me recipit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. ℟. Iſti ſunt viri. 11.

Lectio 9.

REſtat inquirere, vtrum hi, qui priusquam Chriſtus veniret in Eccleſiam ad Gentes, & priuſquam Euangelium eius audirent, vitæ huius fine præuenti ſunt, ſed præueniũtur, poſſunt habere hanc excuſationem? poſſunt plane: ſed

non

non ideo possunt effugere damnationem: quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerũt, per legem iudicabuntur; tanta est autem suppliciorum, quanta diuersitas peccatorũ; quæ quomodo se habeat, altius indicat sapientia diuina, quam coniectura scrutatur; aut effatur humana. Te Deum.

Die 31. Octobris.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Ioann.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Et reliqua. De Homil. Sancti Augustin. Episcopi.

QVi me odit, & patrem meum odit. Hic nobis fortasse dicatur: quis potest odisse quem nescit? & vtique dixerat: Hæc facient vobis, quia nesciunt eum, qui misit me; non itaque dissimulanda nascitur quæstio, quomodo possint odisse quem nesciunt. Si enim Deum non quod ipse est, sed nescio quid aliud eũ suspicantur, aut credunt, hoc oderunt; vtique non ipsum oderunt, sed quod sua mendaci suspicione vel vana credulitate concipiunt. Si autem, quod est, hoc de illo sentiunt, quomodo eum nescire dicuntur? & de hominibus quidẽ fieri potest, vt eos sæpe, quos nunquam vidimus, diligamus; ac per hoc nec illud è contrario impossibile est, vt eos, quos nunquam uidimus, oderimus. Fama quippe de aliquo sermocinante, seu bene seu male fit non immerito, vt amemus, vel oderimus ignotum. Isti sunt, qui. 10

Lectio 8.

SIcut fieri potest, vt homo bonus hominem bonum oderit nesciens, vel potius diligat nesciens; ipsũ enim diligit, cum bonum diligit; quia id, quod est ille, hoc iste diligit; oderit autẽ nesciẽs, nõ ipsũ, sed quod putat

tat esse ipsum : ita fieri potest,ut etiam homo iniustus oderit hominem iustum,& dum æstimat se sui similem iniustum diligere , nesciens diligat iustum , & tamen dū eum credit iniustū,diligit nō ipsum, sed quod putat esse ipsum; quemadmodum autē hominem,sic & Deum. Denique si interrogarentur Iudæi, utrum diligerent Deū, quid se aliud,quam diligere responderent?nec ex animo mentientes,sed errando potius opinantes : quomodo enim diligerent patrem ueritatis , qui haberent odio ueritatem ? oderunt ergo, quam nesciūt,& cum illam oderunt , profecto & eum, de quo nata est , nisi odisse non possunt . ℟. Isti sunt uiri.11.

9.Lect.de Hom. Vigiliæ omnium Sanctorum.

1. *Nouemb. Quinta Die.*

Fit de festo omnium Sanctorum duplex .

2.3. *Nou. Sexta & Septima die.*

De oct. omn. Sanct.sem.cū eo oct.SS.Apost.Sim. & Iud.

Die 4.Nouembris.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Ioann.

Lectio 7.

IN illo tempore : Dixit Iesus discipulis suis:Hæc mādo uobis, ut diligatis inuicem. Si mundus uos odit, scitote,quia me priorem uobsi odio habuit. Et reliqua. Homil. S. Cyrilli Episcopi Alexandrini .

*In Io.lib.*10.*c.*27.

FAcile, imo uero iucundum esse ostendit Christus, quod natura sui molestissimū est: quid enim acerbius, & plerumque damnosius,quam odio haberi?suaue tamen id efficitur propter Deum; & quando gratia pietatis accidit, argumēto est,non inhiare rebus caducis eum , qui odio habetur ; idcirco longe à sancto profanum distinguitur, & mores probi conuersatione improba peruertūtur:alterutri enim suis inhærentes studijs,mores alterius accusant:quas ob res necesse est, ut studiosus , qui uiuendi pro-

probitate turpitudinem improborum, collatione morum denudat, minime à uitiosis diligatur. ℟. Isti sunt qui. 10.

Lect. 8.

VNnde non dolendum, sed gaudendum potius nobis esse, Christus asserit: nam etsi detrimentũ in rebus caducis multorum odium afferat, maximo tamen apud Deum est emolumento: imovero velut qui odio habetur à mundo, extra mundũ est: sic qui à mũdo diligitur, malis mundi subijcitur: efficitur autem à Christo his verbis, vt libere, & absque odij formidine discipuli prædicatione vtantur, cum nihil dilectioni Dei præponendum esse doceantur. Non quæro placere hominibus, Paulus ait: si hominibus placerem, Christi seruus non essem: non enim possunt, qui prauitatem eligunt, Deo placere: quare qui Deo seruire vult, ab eo mũdum offendi necesse est, maxime, cum à sordibus mũdi alios reuocare conetur. ℟. Isti sunt viri, 11.

c. Le. de SS. Vitale &c. mar. Finis Octauarum SS. Apost.

Die 22. Iulij.

INFRA OCTAVAM S. MAR. MAGDALENAE.

Resp. sumuntur de com. oc. nec virg. nec mar. infra 287.

23. Iul. Secunda Die.

Fit de S. Apollinari epi. mes. cum co n. oct.

Die 24. Iulij.

TERTIA DIE.

Lect. 2. noct. ser. S. August. Præstabit nobis, &c. vt in 4. die de communi oct. nec vir. nec mar. 307.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euan. sec. Luc. c. 7.

Lectio 7.

IN illo tempore: Rogabat Iesum quidam Pharisæus vt manducaret cum illo: & ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et reliqua. Homilia S. Gregorij Papæ. *Homil. 33. in Euangelia.*

COgitanti mihi de Marię Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet, quã aliquid dicere. Cuius enim vel saxeum pectus illæ huius peccatricis lacrymæ ad

exemplum pœnitendi non emolliant? Considerauit nãque quod fecit, & noluit moderari quid faceret. Super conuiuantes ingressa est, nõ iussa venit, inter epulas lacrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubescit. ℟. Os suum. 295.

Lectio 8.

HAnc vero, quam Lucas peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nominat; illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem dæmonia eiecta fuisse testatur. Et quid per septem dæmonia, nisi vniuersa vitia designãtur? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero vniuersitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ vniuersis vitijs plena fuit. ℟. Regnum. 296.

9. Lect. vigiliæ S. Iacobi.

25. *Iulij Quarta Die.*

Fit de S. Iacobo Apost dup.

26. *Iulij Quinta Die.*

Fit de S. Anna dup. cum com. octauæ.

Die 27. Iulij.

SEXTA DIE.

Lect. 1. noct. De fer. S. Augu. Prospiciens &c. vt in 6. die de communi oct. nec Virg. nec Mar. 309.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Rogabat Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo: & ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et reliqua.

De Homi. S. Gregorij Papæ.

QVem Pharisæus de falsa iustitia præsumẽs, nisi Iudaicum populum: quem peccatrix mulier ad vestigia Domini veniens & plorans, nisi conuersam gentilitatem designat? Quæ cum alabastro venit, vnguentum fudit, retro secus pedes Domini stetit, lacrymis pedes rigauit, capillis tersit, eosdemque quos infundebat & tergebat pedes osculari non desijt. Nos ergo, nos illa mulier expressit, si toto corde ad Dominũ post peccata redeamus, si

eius

Digitized by Google

eius pœnitentiæ luctus imitemur. Quid namque vnguento, niſi bonæ odor opinionis exprimitur? Vnde & Paulus dicit: Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco. ℣. Os ſuum. 295.

Lectio 8.

SI ergo recta opera agimus, quibus opinionis bonæ odore Eccleſiam reſpergamus, quid in Domini corpore, niſi vnguentum fundimus? Sed ſecus pedes Ieſu mulier ſtetit: contra pedes enim Domini ſtetimus, cum in peccatis poſiti eius itineribus retinebamur. Sed ſi ad verã pœnitentiam poſt peccata conuertimur, iam retro ſecus pedes ſtamus: quia eius veſtigia ſequimur, quẽ impugnabamus. Lacrymis mulier pedes eius rigat: quod nos quoque veraciter agimus, ſi quibuslibet vltimis membris Domini per compaſſionis affectum inclinamur, ſi ſanctis eius in tribulatione compatimur, ſi eorum triſtitiam noſtram putamus.

℣. Regnum. 296.

9. Lect. de S. Pantaleone ma.

28. *Iulij Septima Die.*

De SS. Nazario, &c. mart. fem. cum com. oct.

Die 29. Iulij.

IN DIE OCTAVA.

Lect. 2. noc. de ſer. S. Auguſt. Duplicia &c. vt in die oct. nec Virg. nec Mar. 312.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euangel. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Rogabat Ieſum quidam Phariſæus, vt manducaret cum illo: & ingreſſus domum Phariſæi, diſcubuit. Et rel. Homilia S. Petri Chryſolo.

Ser. 93. poſt initium.

VEnit mulier, & venit retro: quia reus animus poſt tergum ſtat ad veniã, quia per culpam nouit ſe vultus fiduciam perdidiſſe; venit ſatisfactura Deo, non homini placitura, cum venit; venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura conuiuium. Denique & pœnitẽtiæ ponit menſam, fercula compunctionis opponit, panem doloris infert, potum lachrymis temperat in me-

ſura, & ad delicias deitatis totas, totam pulſat cordis ſui, & corporis ſymphoniã, organi planctus dat clamorem, cytharam per ſuſpiria longa modulatur, gemitus aptat in fiſtulam: & dum pectus ipſam conſcientiam arguens ſæpe percutit, facit placitura Deo cymbala perſonare: dumque taliter reportat diuinis oculis cibos, totas miſericordiæ copias ſic reportat.

℟. Os ſuum. 295. Lect. 9

ECce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Exagerat Euangeliſta mulieris facinus, vt accumulet indulgentiam largitoris: in ciuitate peccauerat, quia fama ſua famam totius tetigerat ciuitatis: ſicque iam non peccatrix ſolùm, ſed ipſius ciuitatis facta fuerat ipſa peccatum. Hæc cognouit, quod niſi ab illo ſolo ciuitatis peccatum non poſſet auferri, qui ſolus mundi venerat abolere peccatum; & vt cognouit, quia accumberet Dominus in domo Phariſæi, non ad ſtantem, non ad ſedentem audet venire peccatrix: Deus cũ ſtat, corripit: cũ ſedet, iudicat: proſtratis coniacet, cũ decũbit.

℟. Regnum. 296.

Lectio 9.

POrtauit oleũ, quia medicinam lethali vulneri à ſuperno medico perquirebat. Ad pedes tendit ſemper citam veniam qui requirit. Et bene ſtans, quia iam cadere non poteſt qui ad pedes Chriſti meruit peruenire. Stans retro ſecus pedes eius; vt Chriſti veſtigijs innixi percurreret per viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis. Lachrymis rigabat pedes eius; en mutatur ordo rerum, pluuiã terræ cælum dat ſemper: ecce nunc rigat terra cælum: imo ſuper cælos, & vſque ad ipſum Dominum imber humanarum proſilijt lacrymarum, vt iuxta Pſalmiſtam & de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, laudẽt nomen Domini. O quanta vis in lacrymis peccatorũ! rigant cælũ, terram diluunt, extin-

extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione ſententiam. Te Deum.

Die 29. Iulij.

INFRA OCTAVAM S. MARTHAE VIRG.

Lec. & Reſp. 2. noc. ex com. oct. Virg. 261.

Die 30. Iulij.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Lu. c. 10. Le. 7

IN illo tempore: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſc. *Serm. 27 de ver. Do. tom. 10.*

SAnctum Euangelium cũ legeretur, audiuimus, à femina religioſa ſuſceptum Dominum hoſpitio; eaque Martha vocabatur. Et cum eſſet ipſa occupata in cura miniſtrandi, ſoror eius Maria ſedebat ad pedes Domini, & audiebat verbũ eius. Laborabat illa, vacabat iſta: illa erogabat, hæc implebatur. Veruntamen Martha laborans multum in illa occupatione & negotio miniſtrãdi, interpellauit Dominum: & de ſorore ſua conqueſta eſt, quod eam laborantem nõ adiuuaret. ℟. Hæc eſt. 278

Lectio 8.

DOminus autẽ pro Maria reſpõdit Marthæ: & ipſe eius factus eſt aduocatus, qui iudex fuerat interpellatus. Martha, inquit, circa multa es occupata, quando vnum eſt neceſſarium. Maria meliorem partem elegit, quæ nõ auferetur ab ea. Audiuimus enim interpellationem interpellantis, & ſententiam iudicis. Quæ ſententia interpellanti reſpondit, ſuſceptam defendit. Erat enim Maria intenta dulcedini verbi Domini. Intenta erat Martha quomodo paſceret Dominum, intenta Maria quomodo paſceretur à Domino. A Martha cõuiuium Domino parabatur, in cuius conuiuio Maria iam iucundabatur. ℟. Media nocte. 279.

9. Lec. de SS. Aquilæ [illegible]

Die

Die 31. Iulij.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euangel. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Intrauit Iesus in quoddam castellum: & mulier quędam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

De Homil. S. Aug. Episcopi.

QVid autem? Putamus reprehensum esse ministerium Marthæ, quam cura hospitalitatis occupauerat, quæ ipsum Dominum hospitio receperat? Quomodo recte reprehendebatur, quæ tanto hospite lætabatur? Hoc si verum est, dimittãt homines quod ministrant egentibus: eligant sibi partem meliorem, quæ non auferetur ab eis: vacent verbo, inhient doctrinæ dulcedini, occupẽtur circa sciẽtiã salutarem: nihil eius curæ sit quis peregrinus in vico iaceat, quis egeat pane, quis indumento, quis visitãdus, quis redimẽdus, quis sepeliẽdus: vacent opera misericordiæ, vni insistetur scientiæ. ℟. Hæc est. 278.

Lectio 8.

SI melior pars esc, cur non omnes hoc faciũt, quando ipsum Dominum in hac causa patronum habemus? Non enim timemus in hac re, ne offendamus eius iustitiã, cum patronam teneamus eius sententiam. Et tamen ita non est, sed sicut dixit Dominus, ita est. Quomodo intelligis, Nõ est ita? Est autem quomodo intelligere debeas: ecce aduerte. Circa multa es occupata, quando vnum est necessarium. Maria meliorem partem elegit. Non tu malã: sed illa meliorem. Sed vnde meliorem? Quia tu circa multa, illa circa vnum. Præponitur vnum multis: non enim à multis vnum, sed multa ab uno. ℟. Media nocte. 279.

Lect. 9.

MVlta sunt quæ facta sunt: unus est qui fecit. Cælum & terra, mare, & omnia quæ in eis sũt, quam multa sunt? quis ista enumeret? quis horum multitudinem

nem cogitet? quis hæc fecit? Deus omnia. Ecce bona ual de q̃ fecit. Bona ualde q̃ fecit quãto melior ille qui fecit? Attendamus igitur occupationes noſtras circa multa. Neceſſariũ eſt miniſterium corpora refecturis. Quare hoc? qa eſuritur, qa ſitit. Miſericordia miſeris neceſſaria eſt. Frãgis panẽ eſurienti, quia inueniſti eſurientẽ. Tolle famem, cui frangis panem? Tolle peregrinationẽ, cui exhibes hoſpitalitatem? tolle nuditatem, cui præſtas ueſtem? non ſit ægritudo, quem uiſitas? non ſit captiuitas, quem redimis? non ſit rixa, quem concordas? non ſit mors, quem ſepelis? In illo ſæculo futuro non erunt iſta mala: ergo nec iſta miniſteria. Te Deum.

1. *Aug. Quarta Die.*

Fit de S. Petro ad uincula dup. cum com. oct.

Die 2. Auguſti.

QVINTA DIE.

In tertio nocturno.

Lect. S. Eua. ſec. Luc. *Lec. 7.*

IN illo tempore: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Et rel. De Homil. S. Auguſt. Epiſc.

BEne ergo Martha circa corporalem Domini, quid dicam, neceſſitatem, an uoluntatẽ? miniſtrabat carni mortali. Sed quis erat in carne mortali? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce quod Maria audiebat. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ecce Martha cui miniſtrabat. Ergo Maria meliorem partem elegit, q̃ non auferetur ab ea. Hoc enim elegit, quod sẽper manebit, ideo non auferetur ab ea. Hæc eſt. 278. Lect. 8.

CIrca unum autem Maria ſe uoluit occupari. Iam tenebat, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Sedebat ad pedes capitis noſtri. Quanto humilius ſedebat, tãto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem conuallis, denatat de tumoribus collis. Nõ ergo Dominus opus repre-

hen-

hendit, sed munus distinxit. Circa multa es occupata: porro vnum est necessariũ. Iam hoc sibi Maria elegit.

℣. Media nocte. 279.

℣. Lect. de S. Stephano pa. mart.

3. Aug. Sexta Die.

De Inuent. S. Stephani pro. tomar. sem. cum com. oct.

4. Aug. Septima Die.

De S. Dominico confes. du. tum com. oct.

Die 5. Augusti.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

℟. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Intrauit Iesus in quoddam castellum: & mulier quædã Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

TRansit labor multitudinis, & remanet caritas vnitatis. Ergo quod elegit Maria, non auferetur ab ea: à te autem Martha, quod elegisti, vtique hoc sequitur, vtique hoc subintelligitur, à te, quod elegisti auferetur: sed bono tuo auferetur, vt quod melius est, detur. Auferetur enim à te labor, vt requies detur. Tu nauigas, illa iam in portu est.

℣. Hæc est. 278.

Lectio 8.

VIdetis ergo, carissimi, & quantum arbitror, iam intelligitis, in his duabus mulieribus, quæ ambæ fuerunt Domino gratæ, ambæ amabiles, ambæ discipulæ: videtis ergo, & magnum aliquid intelligitis, quicumque intelligitis (quod audire & scire debetis etiam qui non intelligitis) in his duabus mulieribus duas vitas esse figuratas, præsentem & futuram, laboriosam & quietam, ærumnosam & beatã, temporalem & æternam.

℣. Media nocte. 279.

Lectio 9.

DVæ sunt vitæ: de illis vos copiosius cogitate. Quid habeat hæc vita, non dico mala, non iniqua, non nefaria, non luxuriosa, non impia: sed laboriosa, & ærumnis plena, timoribus casti-

Digitized by Google

castigata, tentationibus sollicita: hanc ipsam innnocentem vitam dico: qualem decebat habere Martham. Hãc ergo, quantum potestis, inspicite, & de hac, vt dixi, copiosius, quam loquimur, cogitate. Vita vero iniqua aberat ab illa domo, nec cum Martha erat, nec cum Maria: & si aliquando fuit, Domino intrante fugit. Te Deum.

INFRA OCTAVAS

Aliorum Sanctorum.

Qui in Breu. seu Missali Romano proprium habent Euãgelium; Lectiones tertij Nocturni in officio, & Euangelium in missa legantur vt infra ponuntur iuxta Rubricam à Sacra Rituum Cõgregatione approbatam, quæ habetur supra in Rubricis Tit. de Octauis num. 4. videlicet.

11. *Aprilis*.

S. LEONIS PAP. CONF.

In tertio Nocturno.

Inf. oct. leguntur Homil. in Euang. Vigilate vt in communi octaua Conf. Pont. in fra 186. & dem Euang. legitur in Miss.

In die vero oct. Eua. Quẽ dicunt homines, &c. cum Homil. S. Leonis Apostolos Dominus, &c. vt in 7. die inf. oct. S. Petri ad Vincula supra 127.

Die 17. *Aprilis*.

S. ANICETI PA. MAR.

In tertio Nocturno.

In die festo & in die oct. Homil. in Euang. Plorabitis, & flebitis, vt in communi oct. Mar. temp. pasch. 106.

Infra oct. vero Hom. in Euang. Ego sum vitis vera vt in eodem communi 91.

Die 2. *Maij*.

S. ATHANASII EP. CON.

In tertio Nocturno.

Inf oct. Hom. in Euang. Vos estis sal terræ vt in com. Doct. 205.

In die vero oct. Eu. Nihil opertum, cum Hom. S Hilarij Dominus diẽ &c. quæ pertinet ad textum Eua. huius festi, vt in festo de com. o. t. vt. mar. non pont. 70.

Die 4. *Maij*. S.

S. MONICÆ VID.

In tertio Nocturno

In festo, & in die oct. Hom. in Euang. Ibat Iesus in ciuitatem, &c. vt in com. oct. Nec Virg. nec mar. 313.

Infra oct. vero Homil. in Euang. Simile est Regnum cælorum thesauro vt in communi oct. mar. non virg. 295

Die 12. *Maij*.

SS. NEREI, ARCH. ET Pancr. Martyrum.

In tertio Nocturno.

Inf. oct. Hom. in Eua. Sedente Iesu, vt in communi oct plur. mar. 131.

In die vero oct. Homil. vt festo; uel ex Breuiar. ut in Dom. 20. post Pentec.

Die 15. *Iunij*.

SS. VITI, MODEST. Et Cresc. Martyrum.

In tertio Nocturno.

In festo, & in die oct. Hom. in Euang. Qui vos audit, vt in communi oct. plu. m. 160.

Inf. oct. vero Hom. in Eu. Sedente Iesu, vt in eodem communi 131.

Die 18. *Iunij*.

SS. MARC. ET MARC. M.

In tertio Nocturno.

In festo & in die oct. Homil. in Euan. Væ vobis vt in cõmuni oct. plur. mar. 159.

Inf. oct. uero Hom. in Eu. Descendens Iesus vt in eodem communi 123.

Die 10. *Iulij*.

SS. SEPTEM FRATR. M.

In tertio Nocturno.

Infra oct. Homil. in Euang. Descendens Iesus vt in communi oct. plur. mar. 123.

In die vero oct. vt in festo.

Die 23. *Iulij*.

S. APOLLINARIS EP. M.

In tertio Nocturno.

Inf. oct. Homil. in Euangel. Si quis venit ad me de communi oct. vn. mar. pont. 36.

In die uero oct. ut in festo.

Die 7. *Augusti*.

S. DONATI EP. MART.

In festo, & in die oct. Hom. in Euang. Videte, Vigilate de com. oct. conf. pont. 202.

Inf. oct. uero Hom. in Eu. Vigilate quia nescitis de eodem

dem communi 186.

Die 8. Augusti.

SS. CYRIACI, LARG. & Smar. Martyrum.

In tertio Nocturno.

Inf.oct.Hom.in Euan. Cum audiueritis de cõmuni oct. plur.mar.115.

Sed in die octaua fit de Assumpt.B.Marię V. dup.cum commem. diei oct.

Die 29. Augusti.

DECOLL. S. IO. BAPT.

Inf.oct.lect.2. noct. sumuntur de communi oct. un. Mar.non Pont. 54.

In 3. noct. Hom.in Euan. Nolite arbitrari de eodem communi 61.

In die uero oct. ut in festo.

Die 30. Augusti.

SS.FELIC. ET ADAVCTI Martyrum.

In tertio Nocturno.

In festo, & die oct. Hom.in Euangel. Qui uos audit, de communi oct.plur.mar.160

Inf.oct.uero Hom.in Eu. Sedente Iesu, de eodem communi 131.

Die 25. Octobris.

SS. CHRYSANTHI, ET Dar. Martyrum.

In tertio Nocturno.

In festo Homil. in Euangel. Væ uobis de communi oct. plur.mar.159.

Inf.oct.uero Hom. in Eu. Descendens Iesus de eodem communi 123.

Sed in die oct.fit de festo omnium Sanctorum dup.cũ com.diei oct.

Die 17. Nouembris.

S. GREG. THAVMAIVR. Episc.Confess.

In tertio Nocturno.

Inf.oct.Hom.in Euang Homo quidam peregre de communi oct. confess. pont.178.

In die uero octaua ut in festo.

Denique infra octauas aliorum Sanctorum, qui uidentur habere proprium Euangelium, sed uere desumptũ quodam modo ex alieno, ut ita dicam, communi Sanctorum legatur per totam octauam idem Euang. cum

suis

luis Homil. quæ habentur in octauis communibus. Verbi gratia.

Die 14. *Iunij.*

S. BASILII EP. CONFES.

In tertio Nocturno.

Inf. oct. Homil. in Euangel. Si quis uenit ad me de communi octaua unius Mart. Pont. 36.

Die 4. *Octobris.*

S. FRANCISCI CONFES.

In tertio Nocturno.

Inf. oct. Homil. in Euangel. Confiteor tibi Pater, de cõmuni oct. plur. Martyr. 150.

Die 23. *Nouembris.*

S. CLEMENTIS PA. MA.

In tertio Nocturno.

Inf. oct. Homil. in Euangel. Vigilate de communi oct. Conf. Pontif. 186. & sic de similibus.

Finis Octauarum Propriarum.

OCTAVAE COMMVNES SANCTORVM.

HOC EST:

Lectiones communes recitandæ infra octauas in secundo Nocturno: & Homiliæ in tertio Nocturno super omnia Euangelia, quæ habentur in communi SS. in Missali Romano.

INFRA OCTAVAM APOSTOLORVM. SECVNDA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Io. Chrysostomi. *In encom. SS. 12. Apost. apud Metaphr.* Lect. 4.

DVODECIM electi sunt Athletæ, & nullus eorum mã sit nõ coronatus. Vna enim gratia erat omnibus socia certaminis, & cũ eis concurrebat, & vniuscuiusq; victoriam reddebat magis probatam. Sed ò beatum, & præclarum vestrum, ò Apostoli, cœtum, quod omnia facti estis omnibus. Dei gratia, non arundine, sed sermone greges hominũ perite capientes. Vos enim estis immobiles colũnæ rectæ fidei, sceptra Ecclesiæ, & huius maximi pastoris vigiles defensores, morbi humanitatis gratuiti medici, & nostrę ad Deum pœnitentię susceptores misericordes. ℣. Vidi cõiunctos viros habentes splendidas vestes, & Angelus Domini locutus est ad me, dicens: Isti sunt viri sãcti facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volãtem per medium cælum,

exemplum pœnitendi non emolliant? Considerauit nãque quod fecit, & noluit moderari quid faceret. Super conuiuantes ingressa est, nõ iussa venit, inter epulas lacrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubescit. ℟. Os suum. 295.

Lectio 8.

HAnc vero, quam Lucas peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nominat; illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem dæmonia eiecta fuisse testatur. Et quid per septem dæmonia, nisi vniuersa vitia designãtur? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero vniuersitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ vniuersis vitijs plena fuit. ℟. Regnum. 296.

9. Lect. vigiliæ S. Iacobi.

25. *Iulij Quarta Die.*

Fit de S. Iacobo Apost. dup.

26. *Iulij Quinta Die.*

De S. Anna dup. cum com. octauæ.

Die 27. Iulij.

SEXTA DIE.

Lect. 2. noct. De fer. S. Augu. Prospiciens &c. vt in 6. die de communi oct. nec Virg. nec Mar. 309.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Rogabat Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo: & ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et reliqua.

De Homi. S. Gregorij Papæ.

QVem Pharisæus de falsa iustitia præsumẽs, nisi Iudaicum populum: quem peccatrix mulier ad vestigia Domini veniens & plorans, nisi conuersam gentilitatem designat? Quæ cum alabastro venit, vnguentum fudit, retro secus pedes Domini stetit, lacrymis pedes rigauit, capillis tersit, eosdemque quos infundebat & tergebat pedes osculari non desijt. Nos ergo, nos illa mulier expressit, si toto corde ad Dominũ post peccata redeamus, si

eius

eius pœnitentiæ luctus imitemur. Quid namque vnguento, nisi bonæ odor opinionis exprimitur? Vnde & Paulus dicit: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. ℟. Os suum. 295.

Lectio 8.

SI ergo recta opera agimus, quibus opinionis bonæ odore Ecclesiam respergamus, quid in Domini corpore, nisi vnguentum fundimus? Sed secus pedes Iesu mulier stetit: contra pedes enim Domini stetimus, cum in peccatis positi eius itineribus retinebamur. Sed si ad verã pœnitentiam post peccata conuertimur, iam retro secus pedes stamus: quia eius vestigia sequimur, quẽ impugnabamus. Lacrymis mulier pedes eius rigat: quod nos quoque veraciter agimus, si quibuslibet vltimis membris Domini per compassionis affectum inclinamur, si sanctis eius in tribulatione compatimur, si eorum tristitiam nostram putamus.

℟. Regnum. 296.

9. Lect. de S. Pantaleone ma.

28. *Iulij Septima Die.*

De SS. Nazario, &c. mart. sem. cum com. oct.

Die 29. Iulij.

IN DIE OCTAVA.

Lect. 2. noc. de ser. S. Augus. Duplicia &c. vt in die oct. nec Virg. nec Mar. 312.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euangel. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Rogabat Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo: & ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et rel. Homilia S. Petri Chrysolo.

Ser. 93. post initium.

VEnit mulier, & venit retro: quia reus animus post tergum stat ad veniã, quia per culpam nouit se vultus fiduciam perdidisse; venit satisfactura Deo, non homini placitura, cum venit; venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura conuiuium. Denique & pœnitẽtiæ ponit mensam, fercula compunctionis opponit, panem doloris infert, potum lachrymis temperat in mensura,

ſura, & ad delicias deitatis totas, totam pulſat cordis ſui, & corporis ſymphoniã, organi planctus dat clamorem, cytharam per ſuſpiria longa modulatur, gemitus aptat in fiſtulam: & dum pectus ipſam conſcientiam arguens ſæpe percutit, facit placitura Deo cymbala perſonare: dumque taliter reportat diuinis oculis cibos, totas miſericordiæ copias ſic reportat.

℣. Os ſuum. 295. Lect. 9

ECce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Exagerat Euangeliſta mulieris facinus, vt accumulet indulgentiam largitoris: in ciuitate peccauerat, quia fama ſua famam totius tetigerat ciuitatis: ſicque iam non peccatrix ſolùm, ſed ipſius ciuitatis facta fuerat ipſa peccatum. Hæc cognouit, quod niſi ab illo ſolo ciuitatis peccatum non poſſet auferri, qui ſolus mundi venerat abolere peccatum; & vt cognouit, quia accumberet Dominus in domo Phariſæi, non ad ſtantem, non ad ſedentem audet venire peccatrix: Deus cũ ſtat, corripit: cũ ſedet, iudicat: proſtratis coniacet, cũ decũbit.

℣. Regnum. 296.

Lectio 9.

POrtauit oleũ, quia medicinam lethali vulneri à ſuperno medico perquirebat. Ad pedes tendit ſemper citam veniam qui requirit. Et bene ſtans, quia iam cadere non poteſt qui ad pedes Chriſti meruit peruenire. Stans retro ſecus pedes eius; vt Chriſti veſtigijs innixa percurreret per viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis. Lachrymis rigabat pedes eius; en mutatur ordo rerum, pluuiã terræ cælum dat ſemper: ecce nunc rigat terra cælum: imo ſuper cælos, & vſque ad ipſum Dominum imber humanarum proſilijt lacrymarum, vt iuxta Pſalmiſtam & de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, laudẽt nomen Domini. O quanta vis in lacrymis peccatorũ! rigant cælũ, terram diluunt,

extin-

extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione ſententiam. Te Deum.

Die 29. Iulij.

INFRA OCTAVAM

S. MARTHAE VIRG.

Lec. & Reſp. 2. noc. ex com. oct. Virg. 261.

Die 30. Iulij.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Lu. c. 10. Le. 7

IN illo tempore: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſc. *Serm. 27 de ver. Do. tom. 10.*

SAnctum Euangelium cũ legeretur, audiuimus, à femina religioſa ſuſceptum Dominum hoſpitio; eaque Martha vocabatur. Et cum eſſet ipſa occupata in cura miniſtrandi, ſoror eius Maria ſedebat ad pedes Domini, & audiebat verbũ eius. Laborabat illa, vacabat iſta: illa erogabat, hæc implebatur. Veruntamen Martha laborans multum in illa occupatione & negotio miniſtrãdi, interpellauit Dominum: & de ſorore ſua conqueſta eſt, quod eam laborantem nõ adiuuaret. ℟. Hæc eſt. 278

Lectio 8.

DOminus autẽ pro Maria reſpõdit Marthæ: & ipſe eius factus eſt aduocatus, qui iudex fuerat interpellatus. Martha, inquit, circa multa es occupata, quando vnum eſt neceſſarium. Maria meliorem partem elegit, quæ nõ auferetur ab ea. Audiuimus enim interpellationem interpellantis, & ſententiam iudicis. Quæ ſententia interpellanti reſpondit, ſuſceptam defendit. Erat enim Maria intenta dulcedini verbi Domini. Intenta erat Martha quomodo paſceret Dominum, intenta Maria quomodo paſceretur à Domino. A Martha cõuiuium Domino parabatur, in cuius conuiuio Maria iam iucundabatur. ℟. Media nocte. 279.

9. Lec. de S. Augustin. [illegible]

Die

Die 31. Iulij.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euangel. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Intrauit Iesus in quoddam castellum: & mulier quędam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

De Homil. S. Aug. Episcopi.

QVid autem? Putamus reprehensum esse ministerium Marthæ, quam cura hospitalitatis occupauerat, quæ ipsum Dominum hospitio receperat? Quomodo recte reprehendebatur, quæ tanto hospite lætabatur? Hoc si verum est, dimittãt homines quod ministrant egentibus: eligant sibi partem meliorem, quæ non auferetur ab eis: vacent verbo, inhient doctrinæ dulcedini, occupẽtur circa sciẽtiã salutarem: nihil eius curæ sit quis peregrinus in vico iaceat, quis egeat pane, quis indumento, quis visitãdus, quis redimẽdus, quis sepeliẽdus: vacent opera misericordiæ, vni instetur scientiæ. ℟. Hæc est. 278.

Lectio 8.

SI melior pars est, cur non omnes hoc faciũt, quando ipsum Dominum in hac causa patronum habemus? Non enim timemus in hac re, ne offendamus eius iustitiã, cum patronam teneamus eius sententiam. Et tamen ita non est, sed sicut dixit Dominus, ita est. Quomodo intelligis, Nõ est ita? Est autem quomodo intelligere debeas: ecce aduerte. Circa multa es occupata, quando vnum est necessarium. Maria meliorem partem elegit. Non tu malã: sed illa meliorem. Sed vnde meliorem? Quia tu circa multa, illa circa vnum. Præponitur vnum multis: non enim à multis vnum, sed multa ab uno. ℟. Media nocte. 279.

Lect. 9.

MVlta sunt quæ facta sunt: unus est qui fecit. Cælum & terra, mare, & omnia quæ in eis sũt, quam multa sunt? quis ista enumeret? quis horum multitudinem

nem cogitet? quis hæc fecit? Deus omnia. Ecce bona ual de q̃ fecit. Bona ualde q̃ fecit quãto melior ille qui fecit? Attendamus igitur occupationes noſtras circa multa. Neceſſariũ eſt miniſterium corpora refecturis. Quare hoc? qa eſuritur, qa ſitit. Miſericordia miſeris neceſſaria eſt. Frãgis panẽ eſuriẽti, quia inueniſti eſurientẽ. Tolle famem, cui frangis panem? Tolle peregrinationẽ, cui exhibes hoſpitalitatem? tolle nuditatem, cui præſtas ueſtem? non ſit ægritudo, quem uiſitas? non ſit captiuitas, quem redimis? non ſit rixa, quem concordas? non ſit mors, quem ſepelis? In illo ſæculo futuro non erunt iſta mala: ergo nec iſta miniſteria. Te Deum.

1. *Aug. Quarta Die.*

Fit de S. Petro ad uincula dup. cum com oct.

Die 2. Auguſti.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eua. ſec. Luc. Lec. 7.

IN illo tempore: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Et rel. De Homil. S. Auguſt. Epiſc.

BEne ergo Martha circa corporalem Domini, quid dicam, neceſſitatem, an uoluntatẽ? miniſtrabat carni mortali. Sed quis erat in carne mortali? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce quod Maria audiebat. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ecce Martha cui miniſtrabat. Ergo Maria meliorem partem elegit, q̃ non auferetur ab ea. Hoc enim elegit, quod sẽper manebit, ideo non auferetur ab ea. R. Hæc eſt. 278. Lect. 8.

CIrca unum autem Maria ſe uoluit occupari. Iam tenebat, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Sedebat ad pedes capitis noſtri. Quanto humilius ſedebat, tãto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem conuallis, denatat de tumoribus collis. Nõ ergo Dominus opus repre-

hen-

hendit, sed munus distinxit. Circa multa es occupata: porro vnum est necessariũ. Iam hoc sibi Maria elegit.

℣. Media nocte. 279.

℣. Lect. ac S. Stephano pa. mart.

3. Aug. Sexta Die.

De Inuen. S. Stephani pro tempor. sem. cum com. oct.

4. Aug. Septima Die.

De S. Dominico confes. du. cum com. oct.

Die 5. Augusti.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

℣. & S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Intrauit Iesus in quoddam castellum: & mulier quædã Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

TRansit labor multitudinis, & remanet caritas vnitatis. Ergo quod elegit Maria, non auferetur ab ea: à te autem Martha, quod elegisti, vtique hoc sequitur, vtique hoc subintelligitur, à te, quod elegisti auferetur: sed bono tuo auferetur, vt quod melius est, detur. Auferetur enim à te labor, vt requies detur. Tu natuigas, illa iam in portu est.

℣. Hæc est. 278.

Lectio 8.

VIdetis ergo, carissimi, & quantum arbitror, iam intelligitis, in his duabus mulieribus, quæ ambæ fuerunt Domino gratæ, ambæ amabiles, ambæ discipulæ: videtis ergo, & magnum aliquid intelligitis, quicumque intelligitis (quod audire & scire debetis etiam qui non intelligitis) in his duabus mulieribus duas vitas esse figuratas, præsentem & futuram, laboriosam & quietam, ærumnosam & beatã, temporalem & æternam.

℣. Media nocte. 279.

Lectio 9.

DVæ sunt vitæ: de illis vos copiosius cogitate. Quid habeat hæc vita, non dico mala, non iniqua, non nefaria, non luxuriosa, non impia: sed laboriosa, & ærumnis plena, timoribus casti-

castigata, tentationibus sollicita: hanc ipsam innnocentem vitam dico: qualem decebat habere Martham. Hãc ergo, quantum potestis, inspicite, & de hac, vt dixi, copiosius, quam loquimur, cogitate. Vita vero iniqua aberat ab illa domo, nec cum Martha erat, nec cum Maria: & si aliquando fuit, Domino intrante fugit. Te Deum.

INFRA OCTAVAS

Aliorum Sanctorum.

Qui in Breu. seu Missali Romano proprium habent Euãgelium; Lectiones tertij Nocturni in officio, & Euangelium in missa legantur vt infra ponuntur iuxta Rubricam à Sacra Rituum Cõgregatione approbatam, quæ habetur supra in Rubricis Tit. de Octauis num. 4. videlicet.

11. *Aprilis*.

S. LEONIS PAP. CONF.

In tertio Nocturno.

Inf. oct. leguntur Homil. in Euang. Vigilate vt in communi octaua Conf. Pont. in fra 186. & idem Euang. legitur in Miss.

In die vero oct. Eua. Quẽ dicunt homines, &c. cum Homil. S. Leonis Apostolos Dominus, &c. vt in 7. die inf. oct. S. Petri ad Vincula supra 127.

Die 17. *Aprilis*.

S. ANICETI PA. MAR.

In tertio Nocturno.

In die festo & in die oct. Homil. in Euang. Plorabitis, & flebitis, vt in communi oct. Mar. temp. pasch. 106.

Infra oct. vero Hom. in Euang. Ego sum vitis vera vt in eodem communi 91.

Die 2. *Maÿ*.

S. ATHANASII EP. CON.

In tertio Nocturno.

Inf. oct. Hom. in Euang. Vos estis sal terræ vt in com. Doct. 205.

In die vero oct. Eu. Nihil opertum, cum Hom. S. Hilarij Dominus diẽ &c. quæ pertinet ad textum Eua. huius festi, vt in festo de com. o.t. vi. mar. non pont. 70.

S. MONICÆ VID.

In tertio Nocturno

In festo, & in die oct. Hom. in Euang. Ibat Iesus in ciuitatem, &c. vt in com. oct. Nec Virg. nec mar. 313.

Infra oct. vero Homil. in Euang. Simile est Regnum cælorum thesauro vt in communi oct. mar. non virg. 295

Die 12. *Maij*.

SS. NEREI, ARCH. ET Pancr. Martyrum.

In tertio Nocturno.

Inf. oct. Hom. in Eua. Sedente Iesu, vt in communi oct. plur. mar. 131.

In die vero oct. Homil. vt festo; uel ex Breuiar. ut in Dom. 20. post Pentec.

Die 15. *Iunij*.

SS. VITI, MODEST. Et Cresc. Martyrum.

In tertio Nocturno.

In festo, & in die oct. Hom. in Euang. Qui vos audit, vt in communi oct. plu. mar. 160.

Inf. oct. vero Hom. in Eu. Sedente Iesu, vt in eodem communi 131.

Die 18. *Iunij*.

SS. MARC. ET MARC. M.

In tertio Nocturno.

In festo & in die oct. Homil. in Euan. Væ vobis vt in cõmuni oct. plur. mar. 159.

Inf. oct. uero Hom. in Eu. Descendens Iesus vt in eodem communi 123.

Die 10. *Iulij*.

SS. SEPTEM FRATR. M.

In tertio Nocturno.

Infra oct. Homil. in Euang. Descendens Iesus vt in communi oct. plur. mar. 123.

In die vero oct. vt in festo.

Die 23. *Iulij*.

S. APOLLINARIS EP. M.

In tertio Nocturno.

Inf. oct. Homil. in Euangel. Si quis venit ad me de communi oct. vn. mar. pont. 36.

In die uero oct. ut in festo.

Die 7. *Augusti*.

S. DONATI EP. MART.

In festo, & in die oct. Hom. in Euang. Videte, Vigilate de com. oct. conf. pont. 202.

Inf. oct. uero Hom. in Eu. Vigilate quia nescitis de eodem

dem communi 186.

Die 8. Augusti.

SS. CYRIACI, LARG. & Smar. Martyrum.

In tertio Nocturno.

Inf.oct.Hom.in Euan. Cum audiueritis de cõmuni oct. plur.mar.115.

Sed in die octaua fit de Assumpt.B.Marię V. dup.cum commem. diei oct.

Die 29. Augusti.

DECOLL. S. IO. BAPT.

Inf.oct.lect.2. noct. sumuntur de communi oct. un. Mar.non Pont. 54.

In 3. noct. Hom.in Euan. Nolite arbitrari de eodem communi 61.

In die uero oct. ut in festo.

Die 30. Augusti.

SS.FELIC. ET ADAVCTI Martyrum.

In tertio Nocturno.

In festo, & die oct. Hom.in Euangel. Qui uos audit, de communi oct.plur.mar.160

Inf.oct.uero Hom.in Eu. Sedente Iesũ, de eodem communi 131.

Die 25. Octobris.

SS. CHRYSANTHI, ET Dar. Martyrum.

In tertio Nocturno.

In festo Homil. in Euangel. Væ uobis de communi oct. plur.mar.159.

Inf.oct.uero Hom. in Eu. Descendens Iesus de eodem communi 123.

Sed in die oct.fit de festo omnium Sanctorum dup.cũ com.diei oct.

Die 17. Nouembris.

S.GREG. THAVMAIVR. Episc.Confess.

In tertio Nocturno.

Inf.oct.Hom.in Euang.Homo quidam peregre de communi oct. confess. pont.178.

In die uero octaua ut in festo.

Denique infra octauas aliorum Sanctorum, qui uidentur habere proprium Euangelium, sed uere desumptũ quodam modo ex alieno, ut ita dicam, communi Sanctorum legatur per totam octauam idem Euang. cum

suis

OCTAVAE COMMVNES SANCTORVM.

HOC EST:

Lectiones communes recitandæ infra octauas in secundo Nocturno: & Homiliæ in tertio Nocturno super omnia Euangelia, quæ habentur in communi SS. in Missali Romano.

INFRA OCTAVAM APOSTOLORVM. SECVNDA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Io. Chrysostomi. *In encom. SS. 12. Apost. apud Metaphr.* Lect. 4.

DVODECIM electi sunt Athletæ, & nullus eorum mã sit nõ coronatus. Vna enim gratia erat omnibus socia certaminis, & cũ eis concurrebat, & vniuscuiusq; victoriam reddebat magis probatam. Sed ò beatum, & præclarum vestrum, ò Apostoli, cœtum, quod omnia facti estis omnibus. Dei gratia, non arundineo, sed sermone greges hominũ perite capientes. Vos enim estis immobiles colũnæ rectæ fidei, sceptra Ecclesiæ, & huius maximi pastoris vigiles defensores, morbi humanitatis gratuiti medici, & nostrę ad Deum pœnitentię susceptores misericordes. ℟. Vidi cõiunctos viros habentes splendidas vestes, & Angelus Domini locutus est ad me, dicens: Isti sunt viri sãcti facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volãtem per medium cælum,

voce magna clamántem, & dicentem. Isti sunt.

Tempore Paschali.

℟. Lux perpetua lucebit sãctis tuis Domine, Et æternitas temporum, allel. allel. ℣. Lætitia sempiterna erit super capita eorum: gaudiũ & exultationem obtinebunt. Et. Lect. 5.

CVm enim essetis veluti quædam animatæ incudes, dum verberaremini, eos, qui verberabant, fabricati estis ad agnitionem. Hinc Petrus Romam accipit in disciplinam. Paulus illinc mũdo annuntiat Euãgelium. Andreas corrigit Græciæ sapientes. Simon Barbaros Deum docet. Thomas baptismate dealbat Æthiopes. Iacobi Cathedram honorat Iudæa. Marci thronum, quę est ad Nilum, cõplectitur Alexandria. Lucas & Matthæus scribunt Euangelia. Ioannes, qui vel post finem adhuc tractat Theologiam, tanquam viuus curat Ephesũ. Bartholomæus erudit Lycaonas ad temperantiam. Philippus faciens miracula seruat Hierapolim. ℟. Beati estis cũ maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. ℣. Cum vos oderint homines, & cũ separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filiũ hominis. Gaudete.

Tempore paschali

℟. Virtute magna reddebãt Apostoli, Testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, allel. allel. ℣. Repleti quidem Spiritu sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei. Testimonium. Lect. 6.

NOn cessãt omnes omnibus vbique benefacere. Puluerem immortalẽ reliquerunt in sepulchris; nunc quidem pij cultores; paulo post autem sedentes mundi Iudices. Cum huic appropinquasset claudus, reuersus est sanis, & integris

gris pedibus. Cum in illum incidisset paralyticus, iussus est ferre grabatũ. Alius vocabat mortuos; illi vero ei statim obtemperarunt. Alterius autem vmbra sola fugabat morbos. Alterius inuocationem exhorrebant dæmones, & eorum sudaria distillabant medicinã: erant enim discipuli illius, cuius fimbria furto surrepta, contactu eius, quæ sanguinis laborabat profluuio, exiccauit rubrum mare sanguinis. ℟. Isti sunt triumphatores, & amici Dei, qui contemnẽtes iussa principum, meruerunt prẽmia æterna: Modo coronantur, & accipiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni. Modo coronantur. Gloria Patri. Modo.

Tempore paschali.

℟. Isti sunt agni nouelli, qui annuntiauerunt, allel. modo venerunt ad fontes, Repleti sunt claritate, allel. allel. ℣. In conspectu Agni amicti sunt stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Repleti. Gloria Patri. Repleti.

TERTIA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustini Episc. *Ser. 43. de Sanctis.* Lec. 4.

SI omnium Sanctorum martyrum grata nobis debet esse solemnitas, quanto gratior eorum, qui præsentem secuti sunt principẽ martyrum? Si agnorum quã to magis arietum? illorum enim filij non generatione carnis, sed imitatione virtutis facti sunt omnes, qui posterius vsque ad mortem confessi sunt Christum. His primum Dominus, cum ad confessionem sui nominis hortaretur, non solum se promisit victoriæ coronatorem, sed & certaminis adiutorem: etiam in ipsis & posteros admonebat, quoniã, quod dicebat, scriptum posteris relinquebat. ℟. Vidi coniunctos viros. vel Lux perpetua. I. Lec. 5.

ILlis ergo ait, exhortans eos: cum autem adducẽt vos ad Principes, & potestates

Digitized by Google

tes, nolite cogitare quid reſpondeatis, vel quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Meditari vetuit, & confiteri præcepit. Maluit enim auferre præſumptionē humanam, & gratiam dare diuinam, vt in ſemetipſis timidi, & mundo eſſent audaces. Vnde & in Pſalmo vox martyrum dicit, quaſi ex parte humanæ fragilitatis verendo: Eripe me de inimicis meis, Deus meus; & ab inſurgentibus in me libera me: & paulo poſt de auxilio diuino confidens dicit: Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. ℟. Beati, vel Virtute. 2. Lect. 6.

VPra cæteras enim turbas fidelium, necnon antiquorum iuſtorum, & Prophetarum eminētes Apoſtolos ſuos volens Dominus oſtendere, dixit ad eos: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, & aures, quæ audiunt, quæ vos auditis. Multi enim Prophetæ, & iuſti voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quę auditis, & non audierunt. Item alibi: Iam, ait, non dicam uos ſeruos, quia ſeruus neſcit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci uobis. Itē ait idem alio loco; Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque ſolueritis ſuper terrā, erunt ſoluta & in cælo. ℟. Iſti ſunt triumphatores, vel Iſti ſunt agni 3.

QVARTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

De ſermone S. Auguſt. epi.

Lectio 4.

ISti ſunt lux mundi: quia per ipſos lumen fidei, & ueræ ſcientiæ primum Dominus huic mundo tradidit, & ab errorum, ac peccatorum tenebris gentes, & populos eruit. Iſti ſunt ſal terræ: quia per eos terrigenæ condimentum ſaporis vitæ æternæ perceperunt, ut reſtringerent carnis laſciuiam, & à putredine peccatorum, & uitiorum uermibus

Digitized by Google

bus ſeruarent illæſi. Iſti ſunt lapides pretioſi, quos in fundamẽto cæleſtis ædificij poſitos, Ioannes in Apocalypſi ſua deſcribit, quia prædicatio eorum Eccleſiæ fundamenta locauit: vnde & Paulus ait: Vos eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum. ℟. Vidi, vel Lux. 1.

Lect. 5.

HOc ergo conſiderantes, fratres cariſſimi, quæ tanti duces populi nos docuerunt, ſtudeamus factis implere, quæ illi iuſſerunt. Diſcamus eorum exemplo mundi diuitias contemnere, præſentis ſęculi voluptatem non amare, regnum cæleſte deſiderare, Chriſto nihil prę ponere, ſed eius mandatis in omnibus obedire, paupertatem præſentium rerum diligere, virtutum diuitias habere, ſapientię theſaurum appetere, ſpiritales delicias quærere, nulli inuidere, ſed omnes homines diligere, amicos in Deo, & inimicos propter Deum, quia hæc eſt vera, & ſola dilectio. ℟. Beati, vel Virtute. 2.

Lectio 6.

ISti ergo Principes noſtri in amore Dei perfectiſſimi, & in proximorum dilectione repleti, hinc potuerunt mundi impetum vincere, & cruentum ſęculum domare: quia nihil amauerunt in omni re, niſi Dei voluntatem. Ita & nos, fratres, diligamus in omnibus rebus Dei facere voluntatem, & creatorem noſtrum amemus in ſemetipſo; creaturam vero in conditore ſuo, & ſic habebimus ordinatiſſimam caritatem: quia Deus caritas eſt, & qui diligit hanc dilectionem, diligit Deum. Et ſi ita dilexerimus; diligit nos ipſe Deus, diligunt nos & Sancti Apoſtoli iudices noſtri, & exorant pro nobis, vt in vniuerſali iudicio Chriſti cum ipſis in perpetuum coronemur. ℟. Iſti sũt triumph. vel Iſti ſunt agni. 3.

QVINTA DIF.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Petri Chryſologi.

Digitized by Google

Ser. 28. Lectio 4.

QVod ſit virtutibus cognata paupertas, terrena, & cæleſtis comprobat diſciplina. Athleta ad luctamen nudus accedit: confligit cum fluctibus nauta nudus, miles in acie non niſi expeditus aſſiſtit: qui tendit ad philoſophiam, totum, quod in rebus eſt, ante contemnit. Eſt ergo virtutibus cognata paupertas: & ſi paupertas virtutum parens, virtutum ſocia ſic habetur, ſapere conuenit, quare Chriſtus ad virtutis officiũ pauperes ſic elegit. Sed in iſtis quantum vilis mundanus videbatur aſpectus, pretioſas tantum animas Dei intuitus tunc videbat. Erant cenſu pauperes, ſed innocentia locupletes; loco humiles ſed ſanctitate ſublimes; viles arte, ſed ſimplicitate pretioſi; obſcuri vita, ſed vitæ merito perlucentes. ℟. Vidi, vel Lux. 1.

Paulo poſt. Lc. 5.

CAptores piſcium, ſed piſcatores hominum iam decreti. Venite, inquit, & faciam vos fieri piſcatores hominum, vt vitalis eſcæ iactu, vt hamo cæleſtis verbi, de mortis gurgite animas ad lucem tollerent ſempiternam. Captores piſcium fiunt hominum piſcatores; de labore tranſeunt ad laborem, quia labor neſcit laſſeſcere meditatus; omnia quæ de vſu veniunt, non fatigãt. Virtus exercitio perſeuerat. ℟. Beati, vel Virtute. 2. Lec 6.

HInc eſt, quod Apoſtolos ſuos Chriſtus humanis laboribus exerceri voluit, vt eos indefeſſos redderet in diuinis: voluit eis Deus manere fortitudinem de exercitio præſtare virtutem: & quia fructus prouenit ex labore, voluit eos labores non perdere, ſed mutare: ipſe ante illis vſum laboris indulſit, qui poſtea eis tolerantiam dedit virtutis. Hinc eſt, quod regna, gẽtes, carceres, vincula, tormenta, mortes, ſæuientes homines terris omnibus ſic vicerũt. ℟. Iſti ſunt triũph. vel Iſti ſunt agni. 3.

SEX-

SEXTA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Io. Chrysostomi. 1. *de Pent. tom.* 3. Lect. 4.

QVæ sunt tales stellæ, sicut Apostoli? stellę in cælo, Apostoli super cælos. Stellæ de igne insensibili, Apostoli de igne intelligibili. Stellæ in nocte lucẽt, in die obscurantur; Apostoli in die, & in nocte suis radijs, hoc est uirtutibus effulgent. Stellæ orto sole obscurantur; Apostoli, sole iustitiæ resplendente, sua caritate lucescunt. Stellæ in resurrectione cadent sicut folia; Apostoli in resurrectione rapientur in aera nubibus. Et in illis quidem syderibus alius Antifer, alius Lucifer appellatur: in Apostolis autem nullus Antifer est, omnes Luciferi, & ideo stellis maiores Apostoli. ℟. Vidi, uel Lux. 1. Lect. 5.

FT quicunque eos luminaria uocauerit mũdi, non peccabit: non solum dum essent in corpore, sed etiam magis nunc, quando de hac uitã migrarunt: gratia enim, & merita Sanctorum non minuuntur morte, non retardantur die, non dissoluuntur in terra, nec nocte obscurãtur, nec tenebris obumbrantur, & hoc res ipsa demonstrat. Piscatores quippe erãt, & illis dormiẽtibus retia operabantur. Et tunc quidem pisces capiebant ad mortem, nunc autẽ homines capiunt ad salutẽ, claudos facientes currere, cæcos illuminãtes, leprosos mundantes, dæmones effugantes, testatur multitudo credentium diurna. Vinitores erant, & illis absentibus corpore uinea efflorescit, & botros affert. ℟. Beati. uel Virtute. 2.

Paulo post med. Lect. 6.

VBi sunt nunc, qui audent Ecclesiæ contraire? quando nouella erat, in nullo potuit lædi: & nunc, quando usq; ad cælum peruenit, existimas eam posse superari? & tunc quidem, cum undecim essent Apostoli, nullus eos superare potuit, sed pauci homines totum ceperunt mundum: &

Digitized by Google

nunc,quando terra,& mare, & orbis terrarum,& inhabitabiles regiones, & ciuitates,& omnes fines terrę pietate repleti ſunt,putas eam te poſſe lædere? ſed non poteris. Chriſtus enim propter eam paſſus eſt, portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Facilius cælum exterminari poteſt,& terra perire, quam aliquid mali pati Eccleſia. ℟. Iſti sũt triũph. vel Iſti ſunt agni. 3.

SEPTIMA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo ſancti Gregorij Pap. *Homil.30.in Eu.poſt med.*

Lectio 4.

SCriptum eſt : Spiritus Domini ornauit cælos. Ornamenta enim cælorum ſunt virtutes prædicãtium. Quæ videlicet ornamenta Paulus enumerat, dicens: Alij datur per ſpiritum ſermo ſapiẽtiæ,alij ſermo ſciẽtiæ ſecundum eundem ſpiritum,alteri fides in eodem ſpiritu,alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum,alij prophetia,alij diſcretio ſpirituum,alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout uult. ℟. Vidi, uel Lux. 1.

Lectio 5.

QVot ergo ſunt bona prædicãtium,tot ſunt ornamenta cælorum. Hinc rurſus ſcriptum eſt: Verbo Domini cæli firmati ſunt. Verbũ enim Domini Filius eſt Patris. Sed eoſdẽ cælos, uidelicet sãctos Apoſtolos, ut tota ſimul sãcta Trinitas oſtendatur operata,repente de ſancti Spiritus diuinitate adiungitur : Et ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. Cælorum ergo uirtus de ſpiritu ſumpta eſt,quia mundi huius poteſtatibus contraire non præſumerent,niſi eos ſancti Spiritus fortitudo ſolidaſſet. Quales namque doctores ſanctę Eccleſię ante aduentum huius Spiritus fuerint ſcimus : & poſt aduentum illius cuius fortitudinis facti ſunt,cõſpicimus. ℟. Beati, uel Virtute. 2.

Lectio 6.

Cer-

Digitized by Google

CErte iſte ipſe paſtor Eccleſiæ, ad cuius ſacratiſſimum corpus ſedemus, quantæ debilitatis, quantęque formidinis ante aduentum Spiritus fuerit, ancilla oſtiaria requiſita dicat. Vna enim mulieris voce perculſus, dum mori timuit; vitam negauit. Et penſandum, quia eum comprehenſum Petrus negauit in terra, quem ſuſpenſum latro confeſſus eſt in cruce. Sed vir iſte tantæ formidinis, qualis poſt aduentum Spiritus exiſtat, audiamus. Fit conuentus magiſtratus atque ſeniorum, cæſis denũtiatur Apoſtolis, ne in nomine Ieſu loqui debeant: Petrus magna auctoritate reſpondet: Obedire oportet Deo magis quam hominibus. ℟. Iſti ſunt triũph., vel Iſti ſunt agni. ℣.

IN DIE OCTAVA.

De expoſi. S. Aug. Epi. ſuper Pſalm. octogeſimum ſextũ. *Ante medium.* Lect. 4.

FVndamenta eius in mõtibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion. Quare fundamẽta Apoſtoli & Prophetæ? Quia eorum auctoritas portat infirmitatem noſtram. Quare ſunt portæ? Quia per ipſos intramus ad regnum Dei. Prædicãt enim nobis: & cum per ipſos intramus, per Chriſtum intramus. Ipſe eſt enim ianua. Et cum dicuntur duodecim portæ Ieruſalem, & vna porta Chriſtus, & duodecim portæ Chriſtus, quia in duodecim portis Chriſtus: & ideo duodenarius numerus Apoſtolorum. Sacramẽtum magnum huius duodenarij ſignificatio eſt numeri. Sedebitis, inquit, ſuper duodecim ſedes, iudicãtes duodecim tribus Iſrael. ℟. Vidi, vel Lux. Lectio 5.

SI duodecim ſellæ ibi ſunt, non eſt vbi ſedeat tertiuſdecimus Paulus Apoſtolus, & non erit quomodo iudicet: & ipſe ſe iudicaturũ dixit, non homines tantum, ſed & angelos. Quos angelos, niſi apoſtatas angelos? Neſcitis, inquit, quia angelos iudicabimus? Reſpõderet ergo turba: Quid te iactas iudicaturum? vbi ſedebis?

bis? Duodecim ſedes dixit Dominus duodecim Apoſtolos: vnus cecidit Iudas, in locum ipſius ſanctus Matthias ordinatus eſt; impletus eſt duodenarius numerus ſedium: primo locum inueni vbi ſedeas, & ſic terminare iudicaturum. Duodecim ergo ſedes quid ſibi velint, videamus. Sacramentum eſt cuiuſdam vniuerſitatis, quia per totum orbem terrarum futura erat Eccleſia: vnde vocatur hoc ædificium ad Chriſti compagem.

℟. Beati. vel Virtute. 2.

Lectio 6.

ET ideo quia vndique venitur ad iudicãdum, duodecim ſedes ſunt: ſicut quia vndique intratur in illam ciuitatem, duodecim portæ ſunt. Non ſolum ergo illi duodecim, & Apoſtolus Paulus, ſed quotquot iudicaturi ſunt, propter ſignificationẽ vniuerſitatis ad ſedes duodecim pertinent: quemadmodum quotquot intrabunt, ad duodecim portas pertinent. Partes enim mundi quatuor ſunt, Oriẽs, Occidens, Aquilo, & Meridies. Iſtæ quatuor partes aſſidue nominantur in ſcripturis. Ab omnibus iſtis quatuor partibus, ſicut dicit Dominus in Euangelio à quatuor ventis ſe collecturum electos, vocatur Eccleſia. Quomodo vocatur? Vndique in Trinitate vocatur. Non vocatur niſi per baptiſmum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Quatuor ergo ter ducta duodecim inueniũtur. ℟. Iſti ſunt triũph. vel Illi ſunt agni. 3.

Lectiones 3. Nocturni habentur ſupra in proprijs feſtis SS. Apoſt. cũ ſeq. Reſp.

℟. 7. Iſti ſunt qui viuẽtes in carne, plantauerunt Eccleſiam ſanguine ſuo: Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti ſunt. ℣. In omnẽ terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Calicem.

Tempore paſchali.

℟. 7. Ego ſum vitis vera, & vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, allel. alleluia. ℣. Sicut dilexit me Pater,

&

& ego dilexi vos. Qui manet. ℟. 8. Isti sunt viri sãcti, quos elegit Dominus in caritate non ficta, & dedit illis gloriam sempiternam: Quorũ doctrina fulget Ecclesia, vt sole luna. ℣. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam. Quorum. Gloria. Quorum.

Tempore paschali

℟. 8. Candidi facti sunt Nazaræi eius, alleluia: splendorem Deo dederunt, alleluia: Et sicut lac coagulati sunt, alleluia, allel. ℣. Candidiores niue; nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Et sicut. Gloria. Et sicut.

INFRA OCTAVAM EVANGELISTARVM. SECVNDA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Io. Chrysostomi. *Hom. 1. in Matt.*

Lectio 4.

PRincipio requirendum est, quænam illa causa sit, quod ex tam multis discipulis duo tantum scribũt Apostoli, & duo eorum, qui Apostolos sũt secuti; vnus enim Petri, alter Pauli discipulus, post Ioannem atque Matthæum Euangelia condiderunt: quia scilicet nihil ambitione moti faciebant, sed omnia ad vtilitatem referebant: quid igitur? non sufficiebat vnus Euangelista cuncta memorare? sufficiebat quidem, sed cũ quatuor sint, qui Euangelia cõscribant, nec eisdem temporibus, nec in eisdem locis, neque pariter congregati, & inter se conferentes, & tamen quasi vno ore omnia prænuntiant: fit hoc sine dubio veritatis grande indicium. ℟. Vidi coniunctos, uel Lux perpetua. 1.

Lectio 5.

VErum è contrario, inquis, ista res accidit: in multis enim diffidere redarguuntur, imo hoc ipsum maximum est testimonium veritatis. Si enim ad vnguẽ in omnibus consonarent, etiã vsq; ad tẽpora, ac loca, ipsaq; adeo verba, nemo inimicus credidisset vnquam; eos non communi ad decipien-

piendum consilio congregatos, quasi ex humana quadã conspiratione Euangelium condidisse. Non enim simplicitatis fuisse tam solicitã consonantiam indicarent: nunc uero, quæ uidetur in rebus exiguis dissonantia, ab omni illos suspicione defendit & satis clare scribentium existimationẽ tuetur. ℣. Beati, uel Virtute. 2.

Lectio 6.

SI uero aliquid de temporibus ac locis uarie dixerunt, nihil quidem dictorum obest ueritati. Si uero in miraculis non omnes omnia dixerunt: sed hic quidem illa, alter uero alia narrauit nihil te omnino conturbet; nam si unus uniuersa dixisset, superfluus iam fuisset numerus cæterorum: sin uaria omnes inter se scripsissent, ac noua omnia, nullum potuisset conuenientiæ apparere documentum. Vnde simul omnia arguta fuissent mendacij: sed & quiuis illorum peculiare quiddam sibi sumens, retulit, quominus superfluus haberetur, & adiectus temere: ac simul ueritatis dictorum exactum præberet nobis indicem. ℟. Isti sunt triumph. uel Isti sunt agni. 3.

TERTIA DIE.

In secuno Nocturno.

De serm. S. Ioan. Chrysost.

Lectio 4.

VBi autem eorum unusquisque degens scripserit, non ualde est, cur contendamus: quod uero aduersus se non scripserint, ex toto operis contextu tentabimus demonstrare: & certe aliud est diuerso modo quid dicere, aliud aduerso. Nihil, inquam, horum loquor. Procul à me absit, ex aliorũ dementia pro Euangelistis satisfactionem parare. Illud sane libenter rogarim, quonam modo fidem dissona meruerint, quonam pacto obtinere potuerint, unde admirationi fuerint pugnãtia inter se dicendo? ℟. Vidi, uel Lux. 1. Lect. 5.

PRædicabant passim per orbem habitabilem, quamuis multi testes eorũ prædicationis existerent, tũ etiam

etiam inimici, hoſteſq; plurimi: nõ enim in vno aliquo ſcribentes angulo, ea, quæ ſcripſerant, occultauerunt: ſed terras mariaque luſtrantes, in conſpectu, & auribus omnium volumina ſacra replicabant: quæ ſicut etiam nũc fieri videmus, ipſis quoque præſentibus legebantur inimicis: nec quicquam tamen ex his quę dicta ſunt, quemquam offendit: nec immerito: erat enim diuina virtus, quæ omnia capeſſit, ac corrigit apud oẽs. ℟. Beati, vel Virtute. 2. Lec. 6.

NIſi enim iſtud fuiſſet, vnde publicanus, vnde piſcator, vnde illitteratus quiuiſſet vnquam tam ſublimiter philoſophari? Quæ enim ſapiẽtes ſæculi, ne per ſomnum quidem aliquando imaginari potuerunt, hæc iſti cum aſſeueratione manifeſta annuntiant, atque perſuadent, idque faciunt non tantum in viuis agentes, ſed etiam vbi fato functi ſunt, & non duos, non viginti, non centum, aut mille, aut decem millia, ſed vrbes; & gentes, & populos, & terram prorſus, ac mare, Græciam ſimul ac Barbariã, & habitabiles partes orbis, ipſumque deſertum, & certe ea perſuadebant, quæ naturam noſtram longe probantur excedere. ℟. Iſti ſunt triumph. vel Iſti ſunt agni. 3.

QVARTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Ambroſij Epiſc. *L. 10. in Luc. c. 23. ante med.*

Lectio 4.

PRopter nos diuiduntur veſtimẽta Chriſti, quia non poſſunt ſinguli habere omnia: & per ſortes; quia non pro hominis voluntate diuiſio fit Spiritus ſancti. Diuiſiones enim gratiarum ſunt, ſed omnia operatus eſt ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Et fortaſſe milites iſti, quatuor Euangeliſtarum habent typum, qui ſcripſerunt Euangelium: intuere nunc Chriſti veſtimenta diuiſa. Vbi illa quæram? quære in Matthæo, inuenies penes ipſum ſolum clamydem coccineam, pe-

nes

nes Ioannem veſtem purpúream, penes Marcum purpuram tantum, penes Lucam veſtem albam. Hac enim ſola pro ſua fuit portione contentus: quantos vero Chriſtus ſua ueſte veſtiuit? Puto autem, quod non quatuor tantum, ſed omnes veſtiuit milites, & omnibus abundauit. ℟. Vidi, vel Lux. 1. Lect. 5.

ACcipe & aliud. Iſtæ quatuor partes, non partes veſtium, ſed qualitates mihi videntur eſſe virtutum: alius enim de regno ſublimius ſcripſit, alius de hominis inſtitutione diffuſius. Lucas nitorem ſibi ſacerdotalis veſtis elegit; Marcus verborum textum non deſiderauit; Ioannes vero quaſi quaſdam intexit ſententias, quibus veſtiat fidem noſtrã. Nonne tibi videtur intextũ grande illud, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ: hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt? At verò Marcus, tanquam purpuræ fulgore contentus ſine vlla intextione verborum: Initium, inquit, Euangelij Ieſu Chriſti Filij Dei.

℟. Beati, vel Virtute. 2.

Lectio 6.

ERgo cætera veſtimẽta Chriſti diuiſa ſunt nẽpe vel geſta, vel gratia; tunica vero non potuit diuidi; & ideo, ſecundum Ioannem, ſuper illa ſors agitatur, quia fides non pro portione ſingulorum, ſed pro iure eſt omnium: quod enim non diuiditur, ſingulis manet integrũ, & bene deſuper texta in Ioanne legitur. Sic enim texitur fides Chriſti, vt de diuinis ad humana deſcendat: eo quod ante ſæcula ex Deo genitus, poſteriore tẽpore ſuſceptionem carnis aſſumpſerit. Per hoc ergo ſignificatur nobis quod non debeat fides ſcindi, ſed ſolida permanere. ℟. Iſti ſunt triumph. vel Iſti ſunt agni.

QVINTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Auguſtini Epiſc. *L. 2. de conſ. Euang. cap. 1.*

Lectio 4.

Mat-

MAtthæus & Ioannes, etiã ſcripta de Chriſto, quæ ſcribenda viſa ſunt, libris ſingulis ediderunt; at ne putaretur, quod attinet ad percipiendum & prædicandum Euangelium intereſſe aliquid, vtrum illi annuntient, qui eundem Dominum hic in carne apparentem diſcipulatu famulante ſecuti ſunt, an ij, qui ex illis fideliter comperta crediderunt, diuina prouidentia procuratum eſt per Spiritum ſanctum, vt quibuſdã etiam ex illis, qui primos Apoſtolos ſequebantur, nõ ſolum annuntiandi, verum etiam ſcribendi Euãgelium tribueretur auctoritas. Hi ſunt Marcus, & Lucas.

℟. Vidi, vel Lux. 1.

Lectio 5.

ISti igitur quatuor Euangeliſtæ, vniuerſo terrarũ orbe notiſſimi, & ob hoc fortaſſe quatuor, quoniam quatuor ſunt partes orbis terræ, per cuius vniuerſitatem Chriſti Eccleſiã dilatari, ipſo ſui numeri ſacramento quodammodo declarant, hoc ordine ſcripſiſſe perhibentur. Primum Matthæus, deinde Marcus, tertio Lucas, vltimo Ioannes. Vnde alius eis fuit ordo cognoſcendi atque prædicandi, alius autem ſcribendi. Ad cognoſcendum quippe atque prædicandum, primi vtique fuerunt, qui ſequuti Dominum in carne præſentem, dicentem audierunt, facientemque uiderunt, atq; ex eius ore ad Euangelizandum miſſi ſunt. ℟. Beati, uel Virtute. 2.

Lectio 6.

SEd in conſcribendo Euãgelio, quod diuinitus ordinatum eſſe credendum eſt, ex numero eorum, quos ante paſſionem Dominus elegit, primum atque ultimũ locum duo tenuerunt, primum Matthæus, ultimum Ioannes: ut reliqui duo, qui ex illo numero non erant, ſed tamen Chriſtum in illis loquentem ſecuti erant, tãquam filij amplectendi; ac per hoc in loco medio conſtitui, utroque ab eis latere munirentur. Horum ſane

qua-

quatuor ſolus Matthæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio, cæteri Græco.

℟. Iſti ſunt triumph. uel Iſti ſunt agni. 3.

SEXTA DIE.

In ſecunda Nocturno.

De Serm. S. Auguſtini Epi.

Lectio 4.

ET quamuis ſinguli ſuũ quendam narrandi ordinem tenuiſſe uideantur nõ tamen unuſquiſque eorum uelut alterius præcedentis ignarus uoluiſſe ſcribere reperitur, uel ignorata prætermiſiſſe, quę ſcripſiſſe alius inuenitur: ſed, ſicut unicuiq; inſpiratum eſt, non ſuperfluam cooperationẽ ſũi laboris adiunxit. Nam Matthæus ſuſcepiſſe intelligitur Incarnationem Domini ſecundum ſtirpem regiam, & pleraque ſecundum hominũ præſentem uitam, & facta, & dicta eius. Marcus eum ſubſecutus tanquam pediſſequus, & breuiator eius uidetur. Cum ſolo quippe Ioanne nihil dixit, ſolus ipſe perpauca, cum ſolo Luca pauciora, cum Matthæo uero plurima, & multa pene totidem atque ipſis uerbis ſiue cum ſolo, ſiue cum cæteris conſonante. ℟. Vidi, uel Lux. 1.

Lectio 5.

LVcas autem circa ſacerdotalem Domini ſtirpem, atque perſonam magis occupatus apparet: nam & ad ipſum Dauid nõ regium ſtemma ſecutus aſcendit, ſed per eos, qui reges non fuerunt, exiit ad Nathan filium Dauid, qui nec ipſe rex fuit; nõ ſicut Matthæus, qui per Salomonem regem deſcendens, cæteros etiam reges ex ordine proſequutus eſt, ſeruãs in eis, de quo poſtea loquemur, myſticum numerum. Dominus enim, Ieſus Chriſtus unus uerus rex, & unus uerus ſacerdos, illud ad regendos nos, iſtud ad expiandos, has duas perſonas apud antiquos Patres ſingillatim commendatas, ſuam figuram egiſſe declarauit; multiſque documẽtis diuinarum ſcripturarum, Rex & Sacerdos Chriſtus apparet. ℟. Beati. uel Virtute. 2.

Lect. 6.

Cum

CVm ergo Matthęus circa Regis, Lucas circa Sacerdotis persónam gereret intentionem, vtique humanitatem Christi maxime commendarunt. Secundum hominem quippe Christus & rex, & sacerdos effectus est, cui dedit Deus sedem Dauid patris sui, vt regni eius non esset finis, & esset ad interpellandum pro nobis mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Non autem habuit tãquam breuiatorem conjunctum Lucas, sicut Marcum Mathæus: & hoc fortasse nõ sine aliquo sacramento, quia regum est non esse sine comitum obsequio; vnde ille, qui regiam personã Christi narrandam susceperat, habuit sibi tanquam comitem adiunctum, qui sua vestigia quodammodo sequeretur. Sacerdos autem quoniam in sancta sanctorum solus intrabat, propterea Lucas, cuius circa sacerdotium Christi erat intentio, non habuit tanquam socium subsequẽtem, qui suam narrationem quodammodo breuiaret. ℟. Isti sunt triumph. vel Isti sunt agni. 3.

SEPTIMA DIE.

In secundo Nocturno.

De Serm. S. Augustin. Episc. *Supra c. 5.* Lect. 4.

PRoinde, cum duæ virtutes propositæ sint animæ humanæ, vna actiua, altera contemplatiua: intelligi datur, si diligẽter aduertas, tres Euangelistas temporalia facta Domini, & dicta, quæ ad informandos mores vitæ præsentis maxime valerẽt, copiosius prosecutos, circa illam actiuam virtutẽ fuisse versatos. Ioannem vero facta Domini multo pauciora narrantem, dicta vero eius, ea præsertim, quæ Trinitatis vnitatẽ, & vitæ æternæ felicitatem insinuarent, diligentius, & vberius conscribentem, in virtute contemplatiua commendanda suam intentionem, prædicationemque tenuisse. ℟. Vidi, vel Lux. 1. Lect. 5

VNde mihi videntur, qui ex Apocalypsi illa quatuor animalia ad intel

ligendos quatuor Euangeliſtas interpretati ſunt, probabilius aliquid attendiſſe, illi, qui Leonem in Matthæo hominẽ in Marco, vitulum in Luca, aquilam in Ioanne intellexerunt: de principijs enim librorum quandam coniecturam alij capere voluerunt, non de tota intentione Euangeliſtarum, quæ magis fuerat perſcrutanda: multo enim congruentius ille, qui regiam Chriſti perſonam maxime commendauit, per leonem ſignificatus accipitur; vnde & in Apocalypſi cum ipſa tribu regia leo commemoratus eſt: Vicit leo de tribu Iuda. Quod autem per uitulum Lucas ſignificatus ſit, propter maximam victimam ſacerdotis, neutri dubitauerunt.

℣. Beati, vel Virtute. 2.

Lectio 6.

MArcus ergo, qui neq; ſtirpem regiam, neq; ſacerdotalem uel cognationem, uel conſecrationem narrare uoluit, & tamen in eis verſatus oſtenditur, quæ homo Chriſtus operatus eſt, tantum hominis figura in illis quatuor animalibus ſignificatus videtur. Hæc autem animalia tria in terra gradiuntur: vnde iſti tres Euangeliſtæ in his maxime occupati ſunt, quæ Chriſtus in carne operatus, & quæ præcepta mortalis uitæ exercendæ carnem portantibus tradidit. At uero Ioannes ſuper nubila infirmitatis humanæ velut aquila volat & lucem incommutabilis veritatis acutiſſimis, atque firmiſſimis oculis cordis intuetur. ℣. Iſti ſunt triumph. vel Iſti ſunt agni. 3.

IN DIE OCTAVA.

In ſecundo Nocturno.

In die oct. S. Lucæ leguntur tres lect. de Expoſ. S. Greg. ſuper Ezech. Sãcta quatuor animalia &c. vt in Breuiar. de cõmuni Euangeliſtarum In die vero oct. S. Matthæi, & S. Marci leguntur tres ſequentes lect.

De expoſitione S. Gregorij Papæ ſuper Ezechielẽ Prophetam. *ho. 3. lib. 1.* Lec. 4.

QVatuor ergo ſunt facies uni; quia ſi requi

ras quid Matthæus de incarnatione Domini ſentiat; hoc nimirum ſentit, quod Marcus, Lucas, & Ioannes. Si quæras quid Ioannes ſentiat; hoc proculdubio, quod Lucas, Marcus, & Matthæus. Si quæras quid Marcus; hoc quod Matthæus, Lucas, & Ioannes. Si quæras quid Lucas; hoc quod Ioannes, Matthæus, & Marcus ſentit. Quator ergo facies vni ſunt: quia notitia fidei, qua cognoſcuntur à Deo, ipſa eſt in vno, quæ ſimul eſt in quatuor. Quidquid enim in vno inueneris, hoc in omnibus ſimul quatuor cognoſces. ℟. Vidi, uel Lux. 1.

Lectio 5.

ET quatuor pennæ uni: quia omnipotẽtis Dei filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſimul omnes concorditer prædicant: & ad diuinitatem eius mentis oculos leuantes, penna contemplationis uolant. Euangeliſtarum ergo facies ad humanitatem Domini pertinet, penna ad diuinitatem: quia in eum, quem corporeum aſpiciunt, quaſi facies intẽdunt: ſed dum hunc eſſe incircumſcriptum atq; incorporeum ex diuinitate annuntiant, per contemplationis pennam quaſi in aera leuãtur. Quia itaque & una eſt fides incarnationis eius in omnibus, & par contemplatio diuinitatis eius in ſingulis, recte nunc dicitur: Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni. ℟. Beati, uel Candidi. 2. Lec. 6.

SEd quæ uirtus eſſet; ſi fidem, atque contemplationẽ Domini habentes prædicatores illius ſancta opera non haberent? ſequitur: Et pedes eorum pedes recti. Quid per pedes, niſi greſſus actuum deſignantur? quatuor ergo animalium pedes recti eſſe deſcribuntur, quia ſanctorum Euangeliſtarum, atq; omnium perfectorum opera ad ſequendam iniquitatem non ſunt retorta. Hi autem pedes rectos non habent, qui ad mala mundi, quæ reliquerunt, reflectuntur. De quibus ſcriptum eſt: canis reuerſus ad ſuum uo-

mitum. ℟. Isti sunt triũph. ve. isti sunt agni. 2.

INFRA OCTAVAM EVANGELISTARVM.

In tertio Nocturno.

SECVNDA DIE.

Le.S.Eu.sec.Luc.c.10. Le.7

IN illo tempore: Designauit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus. Et reliqua.

De Homilia S. Greg. Papæ.

Ex hom. 17. in eu.

MIssis autem prædicatoribus, quid dicat audiamus. Messis quidem multa, operarij autem pauci. Ad messem multã operarij pauci sunt, quod sine graui loqui mœrore non possumus, quia etsi sunt, qui bona audiant, desunt qui dicant. Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde inuenitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus. Sed pensate fratres mei, pensate, quod dicitur: Rogate ergo Dominũ messis, vt mittat operarios in messem suam. Vos pro nobis petite, vt digna vobis operari valeamus, ne ab exhortatione lingua torpeat, ne postquam prædicationis locum suscepimus, apud iustum iudicem nostra nos taciturnitas addicat. ℟. Isti sunt, qui, vel Ego sum vitis pro varietate teporis. 10

Lectio 8.

SEd vtinam si ad prædicationis virtutem non sufficimus, loci nostri officium innocentia vitæ teneamus. Nam subditur: Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos: multi enim cum regiminis curam suscipiũt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibẽt, & quibus prodesse debuerant, nocent: & quia caritatis viscera non habent, domini videri appetunt, patres se esse minime recognoscunt: humilitatis locum in elationem dominationis immutant: & siquã do extrinsecus blandiuntur, in-

Digitized by Google

intrinſecus ſæuiunt; de quibus alias veritas dicit: veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. ℟. Iſti ſunt viri, vel Candidi. 11.

Lectio 9.

COntra quæ omnia cõſiderandum nobis eſt, quia ſicut agni inter lupos mittimur, vt ſenſum ſeruantes innocentiæ, morſum malitiæ nõ habeamus: qui enim locum prædicationis ſuſcipit, mala inferre non debet, ſed tolerare, vt ex ipſa ſua manſuetudine iram ſæuientium mitiget, & peccatorũ vulnera in alijs ipſe afflictionibus vulneratus ſanet; quod tunc bene rector exhibet, cum ſeipſum diligere per amorem priuatum neſcit, cum nulla, quæ mundi ſunt, appetit, cum terrenæ cupiditatis oneribus nequaquam mentis colla ſupponit, vnde & ſubditur: Nolite portare ſacculum. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuã in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipſe vẽturus. Et reliqua.

De Homil. S. Greg. Papæ.

PRædicatori tãta in Deo debet eſſe fiducia, vt præſẽtis vitæ ſumptus, quãuis non prouideat, tamen ſibi hos non deeſſe certiſſime ſciat: ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus alijs prouideat æterna. Quæ ſi quis verba etiam per allegoriam velit intelligi, in ſacculo pecunia clauſa eſt: pecunia vero clauſa, eſt ſapientia occulta: qui igitur ſapientiæ verbum habet, ſed hoc erogare proximo negligit, quaſi pecuniam in ſaccu lo ligatam tenet: vnde ſcriptum eſt: Sapientia abſcondita, & theſaurus occultus, quæ vtilitas in vtriſque? ℟. Iſti, vel Ego. 10.

Lectio 8.

ECce autem, qui ſaccu-lum & peram portare

prohibuit, ſumptus & alimenta ex eadem prædicatione concedit: nam ſequitur: In eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: vt ab eis terrena ſtipendia conſequamur, quibus præmia vitæ cæleſtis offerimus; vnde etiã Paulus hæc ipſa pro minimo ſuſcipiens, dicit; ſi nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi veſtra carnalia metamus? Et notandum, quod ſubditur: Dignus eſt operarius mercede ſua, quia iam de mercede ſunt operis ipſa alimenta ſuſtẽtationis, vt hic merces de labore prędicationis inchoetur, quæ illic de veritatis viſione perficitur. ℟. Iſti, vel Candidi. 11. Lect. 9.

SEd quid nos (quod tamẽ dicere ſine dolore non poſſumus) quid nos, ò paſtores, agimus, qui & mercedẽ conſequimur, & tamen operarij nequaquam ſumus? Fructus quippe ſanctæ Eccleſię in ſtipendio quotidiano percipimus, ſed tamen pro æterna Eccleſia minime in prædicatione laboramus. Penſemus, cuius damnationis ſit ſine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium viuimus, ſed nunquid pro animabus fidelium laboramus? illa in noſtrum ſtipendium ſumimus, quæ pro redimendis peccatis ſuis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem vel orationis ſtudio, uel prædicationis, vt dignũ eſt, inſudamus. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipſe venturus. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorij Papæ.

SEd quando nos vitam corrigere valemus alienam, qui negligimus noſtrã? curis enim ſæcularibus intenti, tanto inſenſibiliores in-

intus efficimur, quanto ad ea, quæ foris sunt, studiosiores videmur: vsu quippe curæ terrenæ à cæleſti desiderio animus obdurescit, & dum ipso suo vsu durus efficitur per actionem sęculi, ad ea emolliri non valet, quę pertinent ad caritatem Dei: Sacerdos enim non distat à populo; quando nullo vitæ suæ merito vulgi transcendit actionem. Ploremus Ieremię lachrymis: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Aurum quippe obscuratum est; quia sacerdotum vita, quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. ℟. Isti, vel Ego sum. 10. Lect. 8.

COlor optimus est mutatus: quia ille sanctitatis habitus per terrena & abiecta opera ad ignominiã dejectionis venit; lapides vero sanctuarij intrinsecus habebantur, nec sumebantur in summi sacerdotis corpore, nisi cum sancta sãctorum ingrediens, in secreto sui conditoris apparebat. Nos ergo sumus lapides sanctuarij, qui apparere debemus semper in secręto Dei, quos nunquam necesse est foris conspici, idest, nunquã in extraneis actibus videri; sed dispersi sunt in capite omnium platearum, quia hi, qui per vitam & orationem intus semper esse debuerãt, per vitam reprobam foris vacant. Ecce iam pene nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent. ℟. Isti, vel Candidi. 11. 9. Lectio vel de S. Vitale, vel de S. Hilarione.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

IN illo tempore: Designauit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosij Episc. *Lib. 7. in Luc.*

SI quem mouet, qua ratione in Ægypto cal-

ceati iubẽtur edere agnum, Apoſtoli autem ſine calceamentis ad prædicandum Euãgelium diriguntur: is cõſiderare debet, quia in Aegypto poſitus debet adhuc morſus cauere ſerpentis: multa enim venena in Aegypto,& qui in typo paſcha celebrat, patere poteſt vulneri, qui autem miniſter eſt veritatis,euitat venena,non trepidat,& vt ſcias hoc verũ eſſe, ipſe Dominus ait; ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnes virtutes inimici, & nihil vobis nocebunt. ℟. Iſti, vel Ego ſum. 10. Lect. 8.

NOn virgas in manu iubentur tollere Apoſtoli. Quid eſt virga, niſi proferendæ poteſtatis inſigne, & vlciſcendi inſtrumentum doloris? ergo humilis Domini (in humilitate enim iudicium eius ſublatum eſt) humilis, inquam, Domini præceptum diſcipuli eius humilitatis officijs exequuntur: eos enim miſit ad ſeminandam fidem, qui non cogerẽt, ſed docerent: nec vim poteſtatis exercerẽt, ſed doctrinã humilitatis attollerent. Habet tamen quos & cum virga Apoſtolos miſerit, ſicut Paulus teſtificatur dicens: quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate, & ſpiritu manſuetudinis? Hanc virgam etiam & Timotheo dedit Apoſtolus, dicens: Argue, obſecra, increpa: aut fortaſſe ante paſſionem Domini, quæ nutantium populorum corda firmauit, neceſsaria ſola fuerit manſuetudo, poſt paſſionem correptio? ℟. Iſti, vel Cãdidi. 11.

Lectio 9.

CErte mulceat Dominus, increpet Paulus; ſuadeat, qui poteſt pectora etiam dura mollire, arguat qui non poteſt vniuerſa ſuadere. Virgam igitur Paulus ex doctrina legis aſſumpſerat, legerat enim: Qui parcit baculo, odit filium ſuum: & ideo Dominus in veteri teſtamento ait: Viſitabo in virga iniquitates eorum. In nouo autem ſe ipſum obtulit, vt ignoſceret vniuerſis, di-

dicens: si me quæritis, sinite hos abire. Sed & Paulus virgam quidem minatur, sed in spiritu mansuetudinis visitat delinquentes. Denique vt scias mitem esse doctorẽ, eorum ipsorũ, quos arguit, consulit voluntatem quid vultis, inquit, in virga veniã ad vos, an in caritate & spiritu mansuetudinis? semel virgam dixit, bis mitiora subiecit, adijciens mansuetudinem caritati. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. sec. Luc. Le. 7.

IN illo tempore: Designauit Dominus, & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suã in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse vẽturus. Et reliqua.

De Hom. S. Ambr. Episc.

FOrtasse quibusdam hoc durum & superbum, nec mansueti & humilis Domini præcepto conuenire videatur, quod ille, qui etiã accubitionis loco præcipit esse cedendũ, hoc loco mandet discipulis: Neminem salutaueritis in via, cum iste communis sit vsus gratiæ. Sic inferiores superiorum sibi fauorem conciliare cõsueuerunt. Gentiles quoque cum christianis habent huiusmodi officiorum commercia: quomodo Dominus hũc vsum humanitatis auellit? R. Isti, vel Ego sũ. 10.

Lectio 8.

SEd considera, non hoc esse solum, neminem salutaueritis, sed non frustra additum, In via. Denique & Elisæus cum mitteret seruum suum, vt baculum eius poneret supra corpus defuncti pueruli, mandauit ei, ne per viam aliquem salutaret. Festinatio enim iubebat eũ contendere, vt celebrandæ resurrectionis exequeretur officium; ne confabulatione alicuius obuij mandato deflecteretur à munere.

R. Isti, vel Candidi. 11.

Lectio 9.

ERgo & hic non salutationis officium aufertur, sed obstaculum impediendæ deuotionis abolebitur: vt quãdo diuina mãdã-

tur,

tur, pauliſper ſequeſtrentur humana. Pulchra eſt ſalutatio, ſed eo pulchrior, quo præceptorum maturior exe cutio diuinorum, quæ per moram ſæpe traxit offeſam. Ideo autem & honeſta prohibentur, ne ſolemnis gratia obrepat officij, & impediat miniſterium, cuius mora culpa ſit. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. ſec. Luc. Lec. 7.

IN illo tempore: Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipſe vēturus. Et reliqua.

Homilia S. Augu. Epiſcopi. *Ser. 42. de ſan. circa med.*

IPſe Dominus noſter loculos habuit in via, & ipſos loculos Iudæ commendauerat. Patiebatur quidem furem; ſed ego à Domino meo diſcere cupiens dico: Domine patiebaris furem, vnde habebas vnde tolleret, me hominem miſerum & infirmum monuiſti nec ſacculū portare. Tu portaſti loculos, & erat vbi furem patereris: ſi non portares, nec ille inueniret, quod auferret. Quid reſtat, niſi quod hic dicat mihi; intellige, quod audis, noli portare ſacculum: quid eſt ſacculus? pecunia clauſa, ideſt occulta ſapientia. Nolite fieri ſapientes penes voſmetipſos. Accipite Spiritum ſanctum. Fons in te debet eſſe, nō ſacculus, vnde erogatur, non ubi includatur. &. Iſti, uel Ego ſum. 10. Lec. 8.

NEminem in uia ſalutaueritis. Poteſt quidem & ſimpliciter ſic accipi, quia iuſſit nos feſtinanter agere iniuncta. Sed eſt aliud, quod hic magis recogitem non diſſimile intelligere: quod plus pertinet ad me, & ad omnes diſpenſatores, ſed ad uos auditores. Qui ſalutat, ſalutem dicit: nam & antiqui in epiſtolis ſuis ſic ſcribebant: Ille illi ſalutem. Salutatio à ſalute nomen accepit; quid ergo? qui ſalutant in uia, per occaſionem ſalutant. Video uos cito

Digitized by Google

› intellexiſſe, nec tamen ebeo iam finire: non enim mnes cito intellexiſtis; ſed uia de uia loquimur, tanuam in uia ambulemus. 'eloces tardos expectate, : pariter ambulate. ℟. Iſti, ei Candidi. 11. Lect. 9.

QVid ergo dixi: qui in uia ſalutat, per occaonem ſalutat? non ad eum ›at, quem ſalutat, aliud aebat, aliud occurrit; aliud etebat, aliud tranſuerſo uod ageret inuenit. Si ero prædicas, hoc age per ilectionem, non per occaionem. Sunt ergo homines, ui ſua quærẽtes, non aliud rædicant Euangelium: de quibus Apoſtolus gemens licit; omnes enim ſua quæunt, non quæ Ieſu Chriſti: & hi ſalutabant, hoc eſt, ſautem annuntiabant. Euangelium prædicabant, ſed aiud quærebant, & ideo per ›ccaſionem ſalutabant. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

In die octaua S. Marci leguntur præcedentes tres lect. de Homil. S. Auguſt. Ipſe Dominus, &c. 26.

In die uero octaua S. Lucæ leguntur ſequentes lect.

Lec. S. Eu. ſec. Luc. Lect. 7.

IN illo tempore: Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipſe uẽturus. Et reliqua.

Homi. Venerab. Bedæ Preſ. *Ex comm. in Lucam.*

SIcut duodecim Apoſtolos formam Epiſcoporum exhibere ſimul, & præmonſtrare nemo eſt, qui dubitet: ſic & hos ſeptuaginta duos figuram presbyterorum, ideſt, ſecundi ordinis ſacerdotum geſſiſſe ſciendũ eſt: tametſi primis Eccleſiæ temporibus, ut Apoſtolica ſcriptura teſtis eſt, utrique presbyteri, utrique uocabantur Epiſcopi; quorum unum ſapientię maturitatem, alterum induſtriam curæ paſtoralis ſignificat. Bene autem ſeptuaginta duo mittuntur: ſiue quia totidem mundi gẽtibus Euangelium prædicã-

dum

dumerat;vt quomodo duodecim tribus Iſrael,ita & hi propter exteras gentes deſtinarentur imbuendas: ſeu quod ipſo prædicantium numero totus orbis per Euangelium ſummæ & indiuiduæ Trinitatis illuſtrandus intimabatur. ℟. Iſti, vel Candidi. 10. Lectio 8.

SIcut ſolem hunc conſtat triduanũ ſuæ lucis ambitum mundo per ſeptuagin ta duas horas affiare ſolitũ: nam & Dominus ipſe ſe diem, ſuos vero Apoſtolos horas appellat:dicens:Nonne duodecim horæ ſunt diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit. Et in pſalmis præcipitur: bene nuntiate diem de die ſalutare eius: hoc eſt, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Sed & multis ſanctæ ſcripturælocis per tres dies myſterium Trinitatis oſtenditur, præcipue quia Dominus tertia die reſurrexit à mortuis. Sed & in veteri teſtamento populus ad montem Sinai perueniens die tertia legem accepit. Idem fluuium Iordanem,quo baptiſmi gratia commendata eſt, tertia, quam adierat, die tranſiuit. Te Deum.

9. Lectio de SS. Chryſanto, & Daria Mart.

INFRA OCTAVAM VNIVS MART. PONT. SECVNDA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S.Fulgentij Epiſcop. *De S.Cypriano.* Lec.4.

CLarum tanti martyris natalis diem,beati ſcilicet N. quo terrenis ac moribundis membris exutus, ad æternæ præmia vitæ trãſmigrauit, & ſacerdotij eius doctrinam, ac martyrij nobis victoriam commendauit, fecitque ex temporali quondam triſtitiâ liberiorem. Dum enim inter periculum cruentæ mortis, & gloriam deuoti certaminis Epiſcopus confitendo patitur,Eccleſia orando compatitur. Quis neſciat,hunc ipſum,qui nunc annua circunſtitutione feſtus nobis reuoluitur dies Chriſtianis ac religioſis mentibus illo tunc tem-

tempore fuiſſe ſollicitum dū aduerſus diabolum ab antiſtite ſuſcepto culmine pia plebis expectatio trepidaret, atque ita fides reſiſteret perſequēti, ne caro ſuccumberet blandienti; ita paſtor præcederet: ne ouile deſereret, deſertumque lupus inuaderet? ℣. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum: Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Deſcenditque cum illo in foueam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit. Lc. 5.

DOlebat eccleſia ſubtractum interim ſuo conſortio tam clariſſimum ſacerdotem: ſed tamen gaudebat proſtrato aduerſario Chriſti martyrem extitiſſe victorem. Erat in memoria doctrina laudabilis, verſabatur ante oculos virtus mirabilis, quando Sanctus Deo ſeruabat, quod docuerat, & quid cæteri facere deberēt, non iam verbis, ſed operibus demonſtrabat, fidem ſermonum exemplis, rerum valida ſoliditate confirmās, credens, & confidens pro omnium ſalute Chriſtum mortuum, ac ſe pro eius nomine non ſubtrahere occidendum. Cuius enim ſanguine tūc indignus redemptus fuerat, dignum ſuum ſanguinem pro illo fundebat, & cuius ſanguinem in hac vita fideliter biberat, ab ipſo ſibi æternam vitam reddi poſſe crediderat. ℣. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine, Et voluntate labiorū eius non fraudaſti eum.

℣. Quoniam præueniſti eū in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Et voluntate. Lc. 6.

INteritus contēpſit principum iuſſa, & iudicum edictum. Paratus excepit percuſſoris ictum, & animū ſoli Deo ſubditum etiam ipſa mors ſeruauit inuictū. Denique nihil eum reuocauit à paſtoris gregiſque cuſtodia, apparitor violentus, perſecutionis tempus, iudicis metus, imminēs gladius, proximus mortis occaſus.

Proin-

Proinde conſiderantes eius luctam, perſeuerantiam, victoriam pariter & coronã, & quid euaſerit, quo peruenerit, dulci mentis ſpeculo refouentes annua deuotione cãtemus, Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venatione dentibus eorum: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. ℟. Stolam iucunditatis induit eũ Dominus: Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius. ℣. Cibauit illũ Dominus pane vitæ & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

TERTIA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Auguſtini Epiſc. *De S. Cypriano.* 12.

Lectio 4.

SErmonem exigit tam grata, & religioſa ſolẽnitas: qua paſſionem beati martyris N. celel ramus. Triſtis proculdubio tũc Eccleſia fuit, non damno cadentis, ſed deſiderio recedentis, ſemper cupiens videre præſentem tam bonum rectorem, atque doctorem. Sed quos afflixerat ſolicitudo certaminis, conſolata eſt corona victoris. Et nunc non ſolum ſine vlla triſtitia, verũ etiam cum ingenti lætitia, cuncta, quæ tunc geſta ſunt, legẽdo recolimus, dieq; iſto gaudere nobis cõceſſum eſt, nõ timere. Neq; enim formidamus terribiliter venientẽ, ſed expectamus hilariter redeuntem. ℟. Honeſtum. 29

Lectio 5.

VIcina corporis morte non moriebatur in animo paſtoris vigilantia, paſtoralis & cura tuẽdi Dominici gregis vſque ad extremum vitæ huius diem, mente ſobria tenebatur: nec excutiebat ab animo diligentiam fideliſſimi diſpenſatoris manus tam proxima cruenti carnificis: ita ſe martyrem cogitabat futurum, vt eſſe non obliuiſceretur Epiſcopum; magis curans, quam rationem Paſtorum, Principi de commiſſis ſibi ouibus redderet, quam quid infideli de fide propria reſpon-

ponderet: amabat quippe ũ, qui Petro dixerat, amas ne? Paſce oues meas: & paſcebat oues eius, pro quibus ſanguinem fundere illum imitans præparabat.

℟. Deſiderium. 29. Le. 6.

PRæceſſerant eum multi Martyres, quos flagrãtiſſimis exhortationibus ſuis ad vincendum diabolum accẽderat, & erat vtique iuſtum, ut quos veridicus loquendo præmiſerat, patiendo intrepidus ſequeretur. Quid ad hæc dicamus? quid ad hæc exultemus tanta conceptione gaudiorũ? in quid erumpat cor noſtrum, & os noſtrum? Habentes memoriam præſentis loci, feſtiuitatẽ ſolemniſſimi diei, propoſitionem ſaluberrimi exempli, omnibus medullis noſtris dicamus: Deo gratias. ℟. Stola iucundit. 30.

QVARTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Petri Chryſologi. *De S. Apollinar.* 128.

Lectio 4.

MErito Sanctus N quia iuxta mandatum Dei ſui perdidit animam ſuam, eam inuenit in vitam ſempiternam. Beatus, qui ita curſum conſummauit, fidẽ ſeruauit, vt vere primus à credentibus ſuo reperiretur in loco. Nec eum quiſquam confeſſoris uocabulo minorem credat eſſe quam martyrem, quem Dei nutu quotidianum, & multiplicẽ reuerſum conſpicit ad agonẽ. Audi Paulum dicentẽ: Quotidie morior. Semel mori parum eſt eum, qui poteſt Regi ſuo glorioſam ſæpe de hoſtibus referre victoriam.

℟. Honeſtum. 29. Lec. 5.

NOn tam mors quã fides & deuotio martyrem facit: & ſicut uirtutis eſt in acie, in conflictu, pro re amore ſuccumbere; ita perfectæ virtutis eſt diu agere, & conſummare certamina. Non ideo perſequutus eſt martyrem, quia non intulit mortem; ſed probauit martyrem, quia non elicuit fidẽ, iniecit tela, quæ potuit, & omnia armorum ſuorum genera callidus exegit inimicus; nec tamen fortiſſimi

du-

ductoris mouere mentem potuit, aut temerare constantiã. ℟. Desideriũ. 29.

Lectio 3.

SEd ut propugnatorem suũ sibi Ecclesia sancta retineret, Christo vehementer occurrit; ut vincenti iustitiæ reseruaret coronã, & sibi belli tẽpore præliatoris sui præsentiã condonaret:& quid plura fratres? Egit, egit Ecclesia sancta mater, vt nusquam à suo separaretur Antistite. Ecce uiuit: Ecce ut bonus pastor suo medius assistit in grege:nec unquam separatur spiritu, qui corpore præcessit ad tẽpus: extinctus est diabolus, persecutor occubuit: ecce regnat & uiuit, qui pro Rege suo desiderauit occidi, qui uiuit & regnat Deus per omnia sęculorũ sæcula. ℟. Stola. 30.

QVINTA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustini Episc. *De verb. Dom.* 50. Lec. 4.

PAstor bonus Christus quid Petrus? nonne bonus pastor? nonne & ipse animã suã pro ouibus suis posuit? quid Paulus? quid cæteri Apostoli? quid eorũ tẽpora consequentes beati Episcopi Martyres? quid etiam iste Sanctus N.? nonne omnes pastores boni, non mercenarij, de quibus dicitur, Amen dico uobis, perceperunt mercedẽ suã? omnes ergo illi pastores boni, non solũ quia sanguinem fuderunt, sed quia pro ouibus fuderũt: non enim fuderunt elatione, sed caritate.

℟. Honestum. 29. Lec. 5.

NAm & apud hæreticos, qui propter iniquitates & errores suos aliquid molestiarũ perpessi fuerunt nomine martyrij se iactant, vt hoc pallio dealbati facilius furentur, quia lupi sunt. Si autẽ uultis scire in quo numero habendi sunt; pastorẽ bonũ Paulũ Apostolũ audite: quoniã non omnes, qui corpora sua in passione etiam ignibus tradunt æstimandi sunt sanguinem fudisse pro ouibus, sed potius contra oues. Si distribuero, inquit, omnia mea pauperibus, & tradidero corpus

pus meum, vt ardeam; iam ipſi sũt. Sed vide, quid ſequitur: caritatẽ autẽ nõ habeã, nihil mihi prodeſt. Ecce venitur ad paſſionem, ecce venitur & ad ſanguinis effuſionem, venitur & ad corporum incenſionem: & tamen nihil prodeſt, quia caritas deeſt. Adde caritatem, proſunt omnia: detrahe caritatem, nihil proſunt cætera. ℟. Deſiderium. 29. Lec. 6.

QVale bonum eſt caritas iſta, fratres? quid pretioſius? quid luminoſius? quid firmius? quid vtilius? quid ſecurius? quomodo autem habet uel exiguã caritatẽ, qui etiam conuictus non amat vnitatem? Hanc Dominus vnitatem commẽdans, paſtoribus bonis commendans paſtores bonos, noluit multos appellare paſtores, neque enim, vt dixi iam, non erat paſtor bonus Petrus, Paulus, Apoſtoli cæteri, & poſteriores ſancti Epiſcopi, beatuſque ℣. Omnes hi paſtores boni: & tamen ille paſtoribus bonis non commendauit paſtores bonos, ſed paſtorem bonum. Ego ſum, inquit, Paſtor bonus. ℟. Stola iucũditatis. 30.

SEXTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Maximi Epiſcopi. *De S. Cypriano ho. 2. Le. 4.*

IN martyrio beatiſſimi ℣. fratres cariſſimi, vniuerſa nobiſcum Chriſti exultat Eccleſia, quam in omne gaudium & cæleſtis eruditione ſermonis inſtruxit, & munere triumphalis ſanguinis decorauit. Fuit enim in eo, ſicut compertum habemus, & contra errores diaboli ſpiritalis ſapientiæ plenitudo aduerſum perſecutiones mundi Chriſtiani pectoris infatigata conſtantia. Quis non huiuſmodi virum, quãtis valet prȩconijs, proſequatur, cuius eloquentia inſpirata diuinitus & Eccleſias docuit, & ſęculum confutauit. ℟. Honeſtũ. 29

Lectio 5.

VEre hic mirabilis, atq; omnium vbique ſtudijs celebrandus, quem ſanctitas ſacerdotem, peritia do-

doctorem, fides martyrem consecrauit. Pretiosa, inquit Dauid, in conspectu Domini mors sanctorum eius. Videte, carissimi, inquantum venerabilis N. etiam propheticam supergressus est laudem, cuius in conspectu Domini non solum mors, sed & vita extitit pretiosa. Moriendo namque, propriũ Christo sanguinem dedit, viuendo nihilominus cohortatione fortissima, innumeros cælo martyres acquisiuit. ℟. Desiderium. 29.

Lectio 6.

QVid hoc clarius sacerdote, qui inter hominum turbas gloria cælestis conuersationis emicuit, atque inter Angelicos cœtus, & sua factus est; & aliorum morte conspicuus? Iustissime hic cum Patriarcha Dauid cantauit Domino Deo suo dicens: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deo viuo: exultauit itaque cor eius in Deo viuo, cum morientis ac morituri sæculi vanitate despecta, totum se diuinis mancipauit obsequijs: exultauit & caro eius in Deo, quæ de hoc mundo non miseri corruptione languoris, sed pijs pro religione supplicijs cõsecrata migrauit. ℟. Stola. 30.

SEPTIMA DIE.

In secundo Nocturno.

De Serm. S. Maximi Episc.

Lectio 4.

HIc est ille Euangelicus paterfamilias, proferens de thesauro suo noua, & vetera, qui veteris, nouiq; testamenti vnum, atque idipsum mysterium prædicans, Ecclesias Christi locupletissima disputatione ditauit. Incorruptibilis, atq; indefessus illius est hodie thesaurus, qui pecuniam Domini sui nummulariis fœnerans, quotidie in cordefidelium cælestium diuitiarum sanctam conquirit vsuram. ℟. Honestum. 29.

Lectio 5.

QVid igitur, fratres, tãto speciosius viro, cuius hæc est regula, & mensura sermonis, vt inter varias hominum causas mo-

Digitized by Google

motuſque diuerſos,nunc affectione patris, nunc auctoritate doctoris cõsoletur humiles,ſuperbos comprimat, negligentes arguat, increpet infideles. Tãtoq; deniq; decore ſacerdotium, vitamque ſuam vir fideliſſimus adornauit, vt doctrinam ſuam ſubſequẽtibus confirmaret operibus, dominicam illam ſententiam tenens; Qui docuerit & fecerit:hic magnus vocabitur in regno cęlorum. ℟. Deſiderium. 29. Luc.6.

QVã magnus hic,quãq; præcipuus in regno cælorum eſt,quem in omnem gloriam ſermo propheticus,vita mirabilis, & mors Deo deuota ſublimat? Nec immerito,fratres tanto cum honore nominis eius memoria, per ampliſſima mũdi ſpatia celebratur, quia per vniuerſum orbem ad firmamentum fidei noſtræ,& paſſio eius,& doctrina profecit. ℟. Stola. 30.

IN DIE OCTAVA.

Sermo S.Ioan.Chryſoſtomi.

De S. Ignatio tom. 5.

Lectio 4.

TEmpus animaduertite fratres, quo dignitatem Epiſcopalem Beatus N. eſt aſſecutus: neque enim eſt eadem nunc, quæ tunc erat Eccleſiam gubernandi conditio: non ęqualis eſt labor viam tritam, & plane paratam poſt multos ingredi uiatores, atque eam,quæ nũc primo ſecanda eſt, quęque præruptа,& ſaxoſa, feriſque plena, nec vllum adhuc viatorem admiſit.Tunc autem,quocunque quis oculos verteret, vbique præcipitia, barathra; & bella,& pugnæ:& pericula: Imperatores,& Reges,& populi,& ciuitates,& gentes, & domeſtici, & alieni, credentibus inſidias tendebant. ℟. Honeſtum. 29. Luc. 5.

QVemadmodum igitur gubernatorem admiramur, non quod vectores poſſit in portum incolumes ducere,cum mare tranquillum eſt, cumque nauis fertur vẽtis ſecundis: ſed cum inſaniente pelago, ventiſque ſæuientibus, qui in naui ſunt inter ſe diſſen-

tiunt, magna tempestate intus, & foris nauigantes exagitante, nauim tamen potest dirigere, & conseruare: sic eos, qui tunc Ecclesiam regebant, multo magis, quã illos, qui eam in præsentia gubernant suspicere debemus, & admirari, quando multa bella intus, & foris: quando fidei planta imbecillior erat adhuc, & diligentia magis indigebat: quando veluti modo genitus infans Ecclesiæ populus, magnam prouidentiam, atque sapiẽtiam animæ, à qua nutriendus esset, postulabat.

℟. Desiderium. 29. Le. 6.

VErum, ne totum tempus in Episcopatus consideratione collocantes ab ijs, quæ ad eum, vti martyrem spectant, enarrandis excludamur, age ad illius certamina contendamus. Versutus enim diabolus, & ad struendas aptus insidias existimabat, si pastores sustulisset, ouilia se facile direpturum. Sed qui comprehendit astutos in eorum astutia, ostendens Ecclesias suas nõ ab hominibus gubernari, sed eos, qui in ipsum credũt, semper à se regi id fieri permittebat, vt cum cerneret, rectoribus sublatis, non tamen religionem deleri; nec veritatis prędicationem extingui, sed potius augeri: ex rebus ipsis & ipse, & qui ei inseruiebant, omnes intelligerent, Christianorum disciplinam non ab hominibus pendere, sed in cælis radices agere. Deumque esse, qui vbique Ecclesias tueretur. ℟. Stola. 30.

INFRA OCTAVAM VNIVS MART. PONT.

Homil. in Euangel. Luc. 14. Si quis venit ad me, &c.

In die festo habetur Homil. S. Greg. Si cõsideramus, &c. in Breu. de com. vnius Mar.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. sec. Lucam. c. 14. Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrẽ suum, & matrem, & vxorẽ, & filios, & fratres, & sorores,

res, adhuc autem & animã ſuam; non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et reliqua.

De Homilia S. Gregor. Pap.

Ex hom. 37. in eu.

VT autẽ Dominus demonſtraret hoc erga proximos odium, non de affectione procedere, ſed de caritate, addit protinus, dicens: adhuc autem & animã ſuam. Odiſſe itaque præcipimur proximos, odiſſe & animam noſtram: conſtat ergo, quia amando debet odiſſe proximum, qui ſic eum odit, ſicut ſemetipſum: tunc enim bene noſtram animã odimus, cum eius carnalibus deſiderijs non acquieſcimus, cum eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contempta ad melius ducitur, quaſi per odiũ amatur. ℟. Corona aurea ſuper caput eius, Expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.

℣. Quoniam præueniſti eũ in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Expreſſa. Lect. 8.

SIc nimirum exhibere proximis noſtris odij diſcretionem debemus, vt in eis & diligamus quod ſunt, & habeamus odio, quod in Dei nobis itinere obſiſtunt. Certe dũ Paulus Ieroſolimã pergeret, propheta Agabus zonam illius apprehendit, ſuiſque pedibus alligauit, dicens: Virum, cuius hæc zona eſt, ſic alligabunt Iudæi in Ieruſalem. Sed is, qui animam ſuam perfecte oderat, quid dicebat? Ego non ſolũ alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum pro nomine Domini Ieſu: nec facio animam meam pretioſiorem, quam me. ℟. Hic eſt vere martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit: Qui minas iudicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæſiuit, ſed ad cæleſtia regna peruenit. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria. qui.

Sequẽs Reſp. dicitur poſt 8. lectionẽ infra octauas quin-

Digitized by Google

que SS. Mart. Pont. Marcelli, Ioannis Siluerij, Martini, & Põtiani. ℟. Domine præueniſti eũ in benedictionibus dulcedinis: Poſuiſti in capite eius coronã de lapide pretioſo. ℣. Vitã petiit à te, & tribuiſti ei longitudinẽ dierũ in ſæculũ ſæculi. Poſuiſti. Gloria. Poſuiſti.

ECce quomodo amando animam ſuam oderat, imo odiens amabat, quam cupiebat pro Ieſu nomine morti tradere, vt hanc ad vitam de peccati morte ſuſcitaret. Ab hac ergo diſcretione odij noſtri, trahamus formam ad odium proximi. Ametur quilibet in hoc mũdo aduerſarius, ſed in via Dei cõtrarius nõ ametur etiã proximus: quiſquis enim iam æterna concupiſcit, in ea, quam aggreditur cauſa Dei, extra patrem, extra matrẽ, extra vxorem, extra filios, extra cognatos, extra ſemet ipſum fieri debet, vt eo verius cognoſcat Deum, quo in eius cauſa neminem recognoſcit. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Lucam. Le. 7

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrẽ ſuum, & matrem, & vxorẽ, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam: non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et reliqua.

De Homil. S. Greg. Papæ.

SCimus, quia, cũ de terra Philiſtinorũ arca Dñi ad terrã Iſraelitarũ rediret, plauſtro ſuperimpoſita eſt, & vaccæ plauſtro ſubiunctæ ſũt, quæ fœtę fuiſſe memorãtur, quarũ vitulos clauſerũt domi; & ſcriptum eſt: Ibant autem in directũ vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames: vno itinere gradiebantur, pergentes & mugientes, & non declinabant, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtrã: qd igitur vaccæ, niſi fideles quoſq; in Eccleſia deſignãt? qui dũ ſacri eloquij p̃cepta cõſiderant, quaſi ſuperimpoſitã ſibi Dñi arcam portant. ℟. Corona. 37. Lec. 8.

DE quibus hoc etiam eſt notandum, quod fuiſſe

fuiſſe fœtæ memorantur: quia ſunt plerique qui in via Dei intrinſecus poſiti, foris carnalibus affectibus ligantur; ſed non declinant à recto itinere, quia arcam Dei portant in mente: ecce enim vaccæ Bethſames pergunt. Bethſames quippe domus ſolis dicitur, & propheta ait: Vobis autem, qui timetis Dominum, orietur ſol iuſtitiæ. Si igitur ad æterni ſolis habitationem tendimus, dignum profecto eſt: vt de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus; tota enim virtute penſandum eſt, quod vaccæ Dei plauſtro ſuppoſitæ pergũt, & gemũt: dant ab intimis mugitus, & tamen de itinere non deflectunt greſſus. Sic nimirum fideles quique eſſe debent, vt compatiantur proximis per caritatem, & tamen de via Dei non exorbitent per compaſſionẽ. ℟. Hic eſt. 37

Lectio 9.

HOc ipſum vero odiũ animæ qualiter exhiberi debeat, veritas ſubdendo manifeſtat, dicens: Et qui non baiulat crucem ſuã, &c. crux quippe à cruciatu dicitur; & duobus modis crucẽ Domini baiulamus, cũ aut per abſtinentiam carnem afficimus, aut per compaſſionem proximi neceſſitatẽ illius noſtram putamus. Qui enim dolorem exhibet in aliena neceſſitate, crucem portant in mente. Sciendum vero eſt, quod ſunt nonnulli, qui carnis abſtinentiam non pro Deo, ſed pro inani gloria exhibent: & ſunt plerique, qui compaſſionem proximo non ſpiritaliter, ſed carnaliter impendunt, vt ei non ad virtutem, ſed quaſi miſerando ad culpas faueant. Hi itaque crucem quidem videntur ferre, ſed Dominum non ſequuntur: vnde recte hæc eadem Veritas dicit: Qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Luc. Lec. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis: Si quis ve-

nit ad me, & non odit patrẽ ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autẽ & animam ſuam; non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et reliqua.

De Homilia S. Greg. Papæ.

QVis enim ex vobis volẽs turrim ædificare &c. Omne quod agimus, pũe nire per ſtudiũ cõſiderationis debemus. Ecce .n. iuxta Veritatis vocẽ, q turrim ædificat, prius ædificij ſumptus parat, ſi igitur humilitatis turrim ædificare cupimus, prius nos præparare ad aduerſa huius ſęculi debemus. Hoc enim inter terrenum & cæleſte ædificium diſtat, quod terrenum ædificium expenſas colligendo conſtruitur; cæleſte vero ædificium expenſas diſpergendo. Ad illud ſumptus facimus, ſi non habita colligamus; ad iſtud ſumptus facimus, ſi & habita relinquamus.

℟. Corona. 37. Lect. 8.

SEd quia de conſtruendo ædificio cõparatio data eſt, nunc ex minore ad maius ſimilitudo ſubditur; vt ex rebus minimis maiora penſentur. Rex contra Regẽ ex æquo venit ad prælium, & tamen ſi ſe perpendit non poſſe ſufficere, legationem mittit, & ea, quæ pacis ſunt, poſtulat. Quibus ergo lachrymis nos ſperare veniam debemus, qui illo tremendo examine cum Rege noſtro ex æquo ad iudicium non venimus, quos nimirũ conditionis infimi rtas, & cauſa inferiores exhibet? ℟. Hic eſt. 37. Le. 9.

MIttamus ad hunc legationẽ, lachrymas noſtras, mittamus miſericordiæ opera; mactemus in ara eius hoſtias placationis, cognoſcamus nos cum eo in iudicio non poſſe contendere. Penſemus virtutem eius fortitudinis, rogemus ea, quæ pacis ſunt. Hæc eſt noſtra legatio, q Regẽ venientẽ placat, ſingulariter ad abſolutionã noſtrã oblata cũ lachrymis, & benignitate mẽtis ſacri altaris hoſtia ſuffragatur; qa is, q in ſe reſurgẽs à mortuis iã nõ moritur, adhuc per hanc in ſuo myſte-

sterio pro nobis iterum patitur: nam quoties ei hostiã suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram, passignem illius reparamus. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Eu. sec. Luc. Lcc. 7

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorẽ, & filios, & fratres, & sorores, aduc autem & animam suam; non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

De Hom. S. Greg. Papæ.

RElinquat ergo omnia qui potest; qui autem omnia relinquere non potest, cum adhuc Rex longe est, legationem mittat lachrymarum, eleemsyonarũ, hostiarum munera offerat. vult enim placari precibus qui scit, quia portari non possit iratus. Quod adhuc moram facit venire, legationem pacis sustinet; veniisset iam iamque si vellet, & cunctos aduersarios suos trucidasset. ℟. Corona. 37.

Lectio 8.

SEd & quam terribilis veniat, indicat, & tamen ad veniendum tardat, quia non vult inuenire quos puniat: sed reatum nobis contẽptus nostri denuntiat, dicẽs: Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: & tamen sperandæ salutis remedium confert, quia qui per iram non potest ferri, per postulatæ pacis vult legationẽ placari. ℟. Hic est. 37.

Lectio 9.

LAuate ergo, fratres carissimi, lachrymis maculas peccatorum, eleemosynis tergite, sacris hostiis expiate. Nolite possidere per desiderium, quæ adhuc per vsum minime reliquistis. Spẽ in solo redemptore figite, ad æternam patriã mente transite. Si enim nihil in hoc mundo amando possidetis, etiam possidendo cuncta reliquistis. Ipse nobis gaudia desiderata concedat, qui nobis æternæ pacis remedia contulit, Iesus Chri-

Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum Patre, & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euan. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrẽ suum, & matrem, & vxorẽ, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

Homilia S. Io. Chrysostomi. *Ex hom. 36. in Matt. longe post init.* Lect. 7

SI quis venit ad me; & non habet odio patrem suum, & matrem, & vxorẽ, & liberos, & fratres, & adhuc animam suam, non potest meus esse discipulus. Non simpliciter iussit te coniunctos tibi homines insequi: id enim iniquum omnino, atque pestiferum est; sed quando plus me petit aliquis diligi, odio ipsum habeas, ait. Hoc enim tam diligenti, quam ei, qui diligitur pernicioſissimum est: hac doctrina & credentes filios maioris animi fecit: & patres, ne ab amore Christi liberos deturbent, admonuit videntes, tantas esse ipsius vires, vt facile posset à parentibus filios eripere; quare ea tentare non debent, quæ ad finem deducere non possunt. ℟. Corona. 37. Lec. 8.

DEinde ne moleste, aut grauiter ferant fideles, animaduerte, quo sermonem deducit. Cum enim dixerit: Qui non odit patrẽ, & matrem; confestim intulit, & animam suam: quid enim parentes, fratres, sorores, vxorem, pro me solum abijciendos putas? nihil est homini anima sua coniunctius, & tamen nisi hanc etiã oderis, non ea, quæ diligenti, sed ea, quæ odio habenti, tibi retribuentur: nec simpliciter odisse animam iubet, sed adeo, vt ad bellum, ad pugnas, ad cædem, ad sanguinẽ prodas. ℟. Hic est. 37

Lectio 9.

Nam

NAm qui nõ portat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ita non ad mortem ſimpliciter paratos eſſe iubet, ſed ad mortem etiam violentã: nec ad violentam ſolum, verum etiam ad maxime omnium exprobrabilem, nec tamẽ aliquid adhuc de ſua paſſione diſſeruit, vt iſtis interea caſtigati, æquiori animo de paſſione ipſius verba facturum audiant. An non eſt dignum vehementer admirari; atque ſtupere, quomodo anima à corpore illorum non euolauit, qui hæc audierant? quomodo igitur non euolauit? maxima erat, ac ineffabilis virtus dicentis. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Luc. Lec. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrẽ ſuum, & matrem, & vxorẽ, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animã ſuam: non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſc.

In pſ. 118. octon. 14.

SI quis otioſis hoc accipiat auribus, fortaſſe dicat: Tu Domine Ieſu legẽ dediſti, dicens: Dilige Dominum Deum tuum, dilige proximum tuum; &, vt impleres hanc legem, veniſti. Dixiſti per legem: Honora patrem, & matrem: & in Euangelio iubes, vt parentes oderim? quomodo ſibi conueniunt iſta præcepta? ſic mitis, & humilis corde veniſti? Non poſſum ſaluo pietatis iure odiſſe patrem, cui debeo, quod creatus sũ; nec matrem longo decem menſium faſtidio pij fœtus onera portantem, cui in abſolutione plus periculi, in delatione plus tędij eſt: quid dulciſſimi merentur filij, vt paterno excludantur amore, cum ſit impium mori nolle pro liberis? quid vxor cariſſima, quædam vitæ cohęres, & conſortium communis naturæ? R. Corona. 37.

Lectio 8.

ODerim ergo pignora caritatis? ita Euange-

lij

lij lenitate rigorem præduræ legis Iudæis inflectis, vt quorum lex condemnat iniurias, eorum tu Euangelio tuo condemnes gratiam? Video istiusmodi assertioni me respondere non posse: sed tu Domine respondes. Respondebit igitur: Egone cõdemno pietatem, qui odi iniquitatem? Ego parentes præcipio non amandos, qui inimicos suadeo diligẽdos? sed non legisti: Tempus amandi, & tempus odio habendi; & tempus belli, & tempus pacis? De quo hoc dicit Ecclesiastes? nonne de eo, quod ratione temporis fiat, vt pie & amare, & odisse possimus: vt quos dilexeris, odisse; & quos oderis, amare conueniat? tempus igitur amandi, tempus odio habendi: hoc est tempus martyrij, quando ea, quæ diuina sunt, omni caritati necessitudinũ præferenda sunt. Tempus belli, quo etiam bellum pro Christi nomine perfidis pignoribus inferamus. Tempus pacis, quia in pace locus eius. ℟. Hic est. 37. Le. 9.

DEnique ipse in Euangelio euidenter exposuit, qua ratione nostros debeamus odisse, dicẽs: Qui diligit patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus: non dixit indignos esse qui parentes suos diligunt; sed eos indignos ait, qui plus parentes, quam Christum diligunt. Si enim ideo deferimus parentibus, quia nostræ generationis auctores sunt; quanto magis Christum oportet amare, qui ipsorum est auctor parentum? isti dederunt, quod non potestatis est, sed ministerij sui: Christus donat salutem, qui parentum beneficia conseruat. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. sec. Luc. Le. 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrẽ suum, & matrem, & vxorẽ, & filios, & fratres: & sorores, adhuc autem & animã suam; non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Epis.

Ex

Ex epist. 38.

SVmptus ad turrim ædificandam,& bellantium valentia decem millium aduersus regem, qui viginti habet, nihil est aliud, quam vt renuntiet vnusquisque omnibus, quæ sunt eius. Prælocutio autem superior cum extrema conclusione concordat: in eo enim,quod vnusquisque renuntiat omnibus,quæ sunt eius,etiam illud continetur, vt oderit patrem suum, & matrem,& vxorem, & filios, & fratres, & sorores,adhuc & animam suam;omnia enim hæc propria eius sunt, quæ plerumque implicant, & impediũt ad obtinenda, non ista propria temporaliter transitura, sed in æternum mansura communia. ℟. Corona 37.

Lectio 6.

NEc succensеant parentes hoc præcipere, Dominũ, vt eos oderimus, quando nobis hoc de anima nostra præcipitur.Sicut autem hoc præceptum, quo perdere iubemur animam nostram, non ad id valet, vt se quisque interimat, quod inexpiabile nefas est: & tamen valet: vt interimat in se carnalem animæ affectũ, quo cum impedimento futuræ vitæ præsens vita delectat: ita de parentibus restissime dicitur, vt qui eos amat, perdat eos,non more parricidarum interficiens, sed spiritali gladio verbo Dei carnalem affectum eorum,quo & seipsos, & eos, quos genuerunt, irritamentis huius sæculi obligare conantur,pie, fidenterque percutiens & occidens, illud in eis viuere faciat, quo cum filijs suis temporalibus, parentes æternos Deum, Ecclesiamque cognoscunt.

℟. Hic est. 37. Lect. 9.

TOlle crucem tuam, & sequere Dominum: crux enim nostra,quam Dominus portari à nobis iubet,vt eum expeditissimi sequamur, quid aliud, quam mortalitatem carnis huius significat? ipsa enim nos cruciat, donec absorbeatur mors in victoriam. Crux ergo hęc ipsa crucifigenda est,

&

& transfigenda est clauis timoris Dei, ne solutis & liberis membris reluctantem portare non possis: sequi enim Dominum, nisi eam portans, omnino non vales; nam quomodo eum sequeris, si non es eius? qui autem Iesu Christi sunt, ait Apostolus, carnem suam crucifixerunt cum passionibus & desiderijs. Te Deum.

INFRA OCTAVAM VNIVS MART. PONT.

Homil. in Euang. Mat. c. 16

Si quis vult venire post me, &c.

In die festo habetur Homil. S. Greg. **Quia Dominus, &c.** in Breuiar. de communi vn. Mart.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. sec. Matt. c. 16.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus Discipulis suis: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, & reliqua.

De Homilia S. Greg. Papæ.

Ex homil. 37. in euang.

QVid est, quod dicimus, relinquamus & nos? si enim nosmetipsos relinquimus, quo ibimus extra nos? vel quis est, qui vadit, si se deserit? sed aliud sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi: aliud quod fecimus, aliud quod facti sumus. Relinquamus nosmetipsos, quales peccando nos fecimus: & maneamus nosmetipsi, quales per gratiam facti sumus.

℟. Corona. 37. Lect. 8.

ECce enim qui superbus fuit, si conuersus ad Christum humilis factus est, semetipsum reliquit; si luxuriosus quisque ad continentiam vitam mutauit, abnegauit vtique, quod fuit. Si auarus quisque ambire iam desijt, & largiri didicit propria, qui prius rapiebat aliena, proculdubio semetipsū reliquit. Ipse quidem per naturam, sed non est ipse per malitiam. Hinc enim scriptum est: Verte impios, & nō erunt. Conuersi namque impij non erunt, non quia om-

omnino non erunt in eſſentia, ſed ſcilicet non erunt in impietatis culpa. ℟. Hic eſt. 37. Lec. 9.

PEnſemus, quomodo ſe Paulus abnegauerat, qui dicebat: Viuo autem iã non ego. Extinctus namque fuerat ſęuus ille perſecutor, & viuere cœperat pius prędicator. Si enim ipſe eſſet, qui prius, pius profecto non eſſet: ſed qui ſe viuere denegat, dicat: Viuo autem iam non ego: vnde & poſt ſancta verba, quæ per doctrinam veritatis clamat, protinus ſubdit: Viuit vero in me Chriſtus: ac ſi aperte dicat: ego quidem à me ipſo extinctus ſum, quia carnaliter nõ viuo; ſed tamen eſſentialiter mortuus non ſum, quia in Chriſto ſpiritaliter viuo.

Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Matt. Le. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Et reliqua.

De Hom. S. Greg. Pap.

DIcat ergo Veritas, dicat: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum: quia niſi quis à ſemetipſo deficiat, ad eũ, qui ſuper ipſum eſt non appropinquat; nec valet apprehendere, quod vltra ipſum eſt, ſi neſcierit mactare, quod eſt. Sic olerum plantæ tranſponuntur, vt proficiant, itaque, vt ita dixerim, eradicantur, vt creſcant. Sic rerum ſemina in terræ admixtione deficiunt, vt in reparatione ſui generis vberius aſſurgãt: vnde enim videntur perdidiſſe, quod erant, inde accipiunt hoc apparere, quod non erant. ℟. Corona. 37.

Lectio 8.

SEquitur; Qui enim vóluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. Sic dicitur fideli; ac ſi agricolæ dicatur: Frumentum ſi ſeruas, perdis: ſi ſeminas, renouas: quis enim neſciat, quod frumentum cum in ſemine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit? ſed vnde

pu-

putrescit in puluere, inde viridescit in renouatione. Quia vero sancta Ecclesia aliud tempus habet persecutionis, atque aliud pacis; Redemptor noster ipsa eius tempora distinguit in præceptis. Nam persecutionis tempore ponenda est anima: pacis autem tempore ea, quę amplius dominari possunt, frangenda sunt desideria terrena.

℟. Hic est. 37. Luc. 9.

VNde & nunc dicitur: quid enim proficit homo, si lucretur totum mundum, se autem perdat, & detrimentum sui faciat? cum persecutio ab aduersarijs deest, valde vigilantius cor custodiendum est; nam pacis tempore, quia licet viuere, libet etiam ambire. Quæ profecto auaritia bene compescitur, si ipse status ambientis sollicite consideretur; nam cur instet ad colligendum, quando stare non potest ipse, qui colligit? Cursũ ergo suũ quisq; cõsideret. & cognoscet sibi posse sufficere parua, quæ habet.

Te Deum

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. sec. Mat. Le. 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus Discipulis suis: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

Homilia S. Io. Chrysostomi. *Hom. 56. in mat.*

PErpende, quomodo nullo pacto cogit oratio. non enim dixit, oportere ipsos pati, vellent nollentque: sed quid? si quis, ait, post me venire vult, non impello, nõ vrgeo, sed liberam singulorum voluntatem efficiens, dico, si quis vult. Non enim ad affiictiones, & onera, nec ad supplicia, & pœnas vt cogere mihi opus sit, sed ad ineffabilia bona conuoco, quorum ea natura est, vt facile per se ipsa vos inuitare possint. His dictis vehementer eos attraxit: potentior enim omnino est oratio mitis, quam violenta.

℟. Corona. 37. Le. 8.

MAgna enim sunt, ait, quæ retribuo, ac talia,

Digitized by Google

lia,vt vltro,ac ſponte homines ad ea concurſuros dubitare non debeas. Non enim ſi quis aurum, atque argentum proponeret, vim inferret; quanto igitur magis in cæleſtibus bonis inferenda non eſt? & certe ſi rerum ipſa natura non perſuadet, & niſi ſponte curras, nec accipere quidem dignus es; nec ſi acceperis, quale quãtumcumque ſit, quod acceperis, cognoſces: ideo non cogit Chriſtus, ſed hortatur; indulgens nobis. Minime autem oneroſam orationem reddit, quia non ſibi ſolis hæc imminere, ſed communiter vniuerſo terrarũ orbi proponit, dicẽs: ſi quis vult, ſiue vir, ſiue mulier, ſiue prĩceps, ſiue ſubditus, hanc viã ingrediatur. ℟. Hic eſt. ℣. Lec. 9

ET ſermo quidem vnum quid ſignificare videtur, tria vero continet, abnegationem tui ipſius, & vt crucem accipias, & tertio, vt Chriſtum ſequaris: quorum duo coniuncta ſunt, vnũ per ſe ipſum ſeparatim ponitur. Conſideremus igitur prius, quidnam ſit abnegare ſe ipſum: Si ergo intelligis, quid ſit alium abnegare, tũc recte percipies, quid ſit abnegare teipſum: quid igitur abnegare alium? qui alium iam abnegauit, fratrem puta, aut ſeruum, aut quemuis alium, ſi cædi eum virgis videat, ſi arceri vinculis, non occurrit, non auxiliatur, nec prorſus vllo modo mouetur, ceu ille, qui penitus ab illo alienatus eſt. Te Deũ.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. ſec. Mat. Le. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Et reliqua.

De Hom. S. Io. Chryſoſt.

ET tollat crucem ſuam, nam, ne quis putet ad verba vſque tantummodo, ac contumelias, & opprobria abnegationem hãc ſui fieri oportere, id ſubiunxit, vt videas abnegandos nos eſſe vſque ad mortem, & mortem turpiſſimam: quam

deſignans nō dixit, abneget ſeipſum vſque ad mortem, ſed tollat crucem ſuam: non ſemel, nec bis, ſed continue per totam vitam hāc tecum mortem circumferas, & continue ad necē paratiſſimus ſis. ℟. Corona. 37. Lec. 8.

MVlti quidē pecunias contempſere, multi delicias vitæ, ac gloriam conculcauerunt, mortem autem deſpicere non potuerunt, ſed pericula & dolores formidarunt. Ego vero ad effuſionem vſque ſanguinis volo certatores meos luctari, & ad necem vſque pugnā continuare. Quare ſi mortē obire oporteat, & eam turpiſſimam, & æſtimatione hominum peſſimam, ferēda omnia sūt ęquo, imo potius læto animo. Et ſequatur me, inquit. ℟. Hiceſt. 37. Lec. 9.

NAm quomodo poſſet quis ſic talia pati, vt Chriſtum non ſequeretur, ſi nihil videlicet propter ipsū pateretur? quippe latrones ſepulchrorum violatores, dæmonum inuocatores multa plerumque talia patiuntur. Ne igitur credas ipſius paſſionis naturam per ſe ſufficere, cauſam eius ſubiecit. Quam ipſam? Vt, quæ dicta ſunt, vniuerſa faciens, atque patiens, ipſum ſequaris: vt ſcilicet propter ipſum omnia ſuſtineas, vtque omnem virtutis numerum habeas. Id enim eſt Dominum recte ſequi, vt & ꝓpter ipsū cūcta ſufferas, & alias virtutes non negligas. Te Deū.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Mat. Le. 7.

IN Illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Epiſcop. *Canon.* 16. 17.

OBeatū damnum, & iactura felix, diteſcere nos Dominus detrimēto animæ & corporis voluit, & eſſe ſui ſimiles hortatur: qa ipſe in figura Dei cōſtitutus vſq; admortē humilis & obediēs factus, principatū potestatis totius, quę in Deo eſt, acce-

Digitized by Google

accepit. Sequẽdus igitur eſt cruce aſſumpta, & paſſionis ſuæ, ſi non ſorte, attamen voluntate comitandus eſt: quid enim prodeſt occupaſſe mundum, & toto terrenæ poteſtatis dominatu opibus ſæculi incubare, ſi perdenda anima, & ſuſcipiendum vitæ detrimentum eſt? ℟. Corona. 37. Lect. 8.

QVæ autem commutatio pro anima, cum fuerit amiſſa, quæretur? cum Angelis enim Chriſtus aderit, reddens ſingulis, vt merebuntur. Quid offeremus ad vitam? præparatos credo terrenarum opum futuris commercijs theſauros, ambitioſos dignitatum, famæque titulos, aut veteres delegatæ nobilitatis imagines? Neganda ſunt hæc omnia, vt melioribus abundemus: & contemptu vniuerſorum Chriſtus ſequendus eſt, & æternitas ſpiritualium, terrenorum eſt damno comparanda. ℟. Hic eſt. 37. Lect. 9.

GRaue onus infirmitati humanæ impoſuerat, vt cum ſenſum vitæ homines ex viuendi affectu habere cœpiſſent, fructum eius, qui præſens corporibus blãdiebatur, amitterent; negarentque ſe ſibi, id eſt, quod eſſe cœpiſſent, eſſe ſe nollẽt: cum ſenſus huius exordium ex affectu volũtatis habuiſſent. Opus ergo erat veri ac manifeſti exempli auctoritate, vt contra vim, ſenſumque iudicij, optabile fieret præſentium damnum, lucro deinceps non ambiguo futurorum. Igitur poſtquam & tollẽdam crucem, & perdendam animam, & damno mundi commutandam vitæ æternitatem monuerat: cõuerſus ad diſcipulos, ait, quoſdam ex his futuros, qui guſtaturi mortem non eſſent, donec filium hominis in regni ſui gloria contuerentur. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Lec. S. Euan. ſec. Mat. Le. 7.

IN illo tempore; Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tol-

Digitized by Google

lat crucem ſuam, & ſequatur me. Et reliqua.

Homil. S. Hieronym. Presb. *Lib. 3. in Matt. c. 16.*

QVi deponit veterem hominem cum operibus ſuis, denegat ſemetipsũ dicens: Viuo autem, nó ego, viuit vero in me Chriſtus: tollit crucem ſuum, & mundo crucifigitur. Cui autem mundus crucifixus eſt, ſequitur Dominum Crucifixum. Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Pro Iſrael datur cõmutatio Ægyptus, & Æthiopia, & Syene: pro anima humana illa ſola eſt retributio, quam Pſalmiſta canit: Quid retribuã Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.. ℟. Corona aurea. 37. Lect. 8.

FIlius enim hominis vẽturus eſt in gloria patris ſui cum Angelis ſuis. Petrus, ad prædicationem dominicæ mortis ſcandalizatus, ſententia Domini fuerat increpatus, prouocati ſunt diſcipuli, vt abnegarẽt ſe, & tollerent crucem ſuam, & morientium animo ſequerentur magiſtrum. Grãdis terror audiẽtium, & qui poſſit, Principe Apoſtolorũ perterrito, etiam alijs metũ inijcere: idcirco triſtibus læta ſuccedunt, & dicit, filius hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum Angelis ſuis. Times mortem, audi gloriam triumphantis. Vereris crucem, auſculta Angelorum miniſteria. ℟. Hic eſt. 37. Lec. 9.

TErrorem Apoſtolorũ ſpe medicari voluerat promiſſorum, dicens: filius hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum Angelis ſuis. Inſuper auctoritate iudicis addita, reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Poterat Apoſtolorum tacita cogitatio iſtiuſmodi ſcãdalum ſuſtinere, occiſionẽ & mortem nunc dicis eſſe venturam: quod autem promittis te affuturum in gloria Patris cum Angelorum miniſterijs, & iudicis poteſtate, hoc in dies erit, & in tem-

tempora longa differetur. Præuidẽs ergo occultorum cognitor, quid poſſent obijcere præſentem timorẽ preſenti compenſat præmio: quid enim dicit? ſunt quidã de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. ſec. Mat. Lec. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſc.

Ser. 47. de diuerſ.

DVrum videtur, & graue, quod Dominus imperauit: vt ſi quis eum vult ſequi, abneget ſeipſum, ſed non eſt durum, nec graue, quod ille imperat, qui adiuuat, vt fiat, quod imperat. Nam & illud verũ eſt quod ei dicitur in Pſalmo: Propter verba labiorũ tuorũ ego cuſtodiui vias duras. Quicquid enim durum eſt in præceptis, vt ſit lene, caritas facit: nouimus, quanta ipſe amor facit. quid autem eſt, negat ſe? Non præſumat de ſe, ſentiat ſe hominem, & reſpiciat dictum Propheticũ: Maledictus omnis, qui ſpẽ ſuam ponit in homine, ſubducat ſe ſibi, ſed non deorſũ verſus ſubducat ſe ſibi, vt hæreat Deo. R. Corona. 37

Lectio 8.

TOllat crucem ſuam, & ſequatur me, quo ſequendus eſt Dominus, quo ijt, nouimus: reſurrexit enim & aſcendit in cælum: illo ſequendus eſt: plane deſperandum non eſt, quia ipſe promiſit non quia homo aliquid poteſt. Iam quare deſperemus, ſi membra illius capitis ſumus? Bonum eſt illo eum ſequi, ſed videndum eſt, qua; etenim verba iſta Dominus Ieſus non tunc dicebat, quando à mortuis iam reſurrexerat: nondum erat paſſus, venturus erat ad crucem, venturus ad exhonorationem, ad contumelias, ad flagella, ad ſpi-

nas, ad vulnera, ad insultationes; opprobria, mortem; quasi exasperata est via, pigrum te facit, nõ vis sequi, sequere; nã quis nõ velit ire ad exaltationẽ? oẽs delectat celsitudo: sed humilitas gradus est. ℟. Hic est. 37. Lec.

QVid est, tollat crucem suam? Ferat quicquid molestum est: sic me sequatur: cum enim cœperit me moribus, & præceptis meis sequi, multos habebit cõtradictores, multos habebit prohibitores, multos habebit disiuasores, & hos de ipsis quasi comitibus Christi cum Christo ambulabant, qui cęcos clamare prohibebant. Siue ergo minas, siue blandimenta, siue quaslibet prohibitiones, si sequi vis: in crucem verte; tolera, porta, noli succumbere. Videntur his verbis Domini exhortata martyria; si persecutio est, nonne pro Christo debent cuncta contemni? Amatur mundus, sed pręponatur, à quo factus est mundus. Ẽ Deum.

INFRA OCTAVAM VNIVS MART. NON PONT. SECVNDA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Ambrosij Episcopi. *Ser. in na. SS. Nazarij, &c. 93. post med.*

TAntus Christi testis confessione pretiosior sanguine crudeli vulnere pretiosior, & tincta veste candidior, licet peculiaris putetur priuilegio sepulchri, sed omnium est communione suffragij. Nõ plauditur locis, quod diffunditur meritis. Inuocasti vbiq; martyrem, vbique te exaudit ille, qui honoratur in martyre. Moderante itaque eo, qui pensat uota tua, & dispensat munera sua, in tãtum uicina præsentia efficacis præbebitur aduocati, inquantum fuerit fides deuota susceptio: oratio enim quæ castitatis, iustitiæ, eleemosynarum operibus adiuuatur, excedit mundum, penetrat paradisum, euolat vsque ad ipsum summæ maiestatis Angelo conferente conspectũ. ℟. Honestũ. 29.

Lec;

Lectio 5.

QVæ cum ita sint honoremus beatos martyres, principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes Dei. Quod si dicas mihi, quid honoras in carne iam resoluta, atque cõsumpta, de qua nulla iam Deo cura est? & vbi est illud, carissimi, quod ipsa ueritas loquitur per prophetam? Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors Sanctorũ eius; & iterum: Mihi valde honorificandi sunt amici tui Deus. Honorare debemus seruos Dei quanto magis amicos Dei? de quibus alio loco dicitur Dominus custodit omnia ossa eorum, & unum ex his non conteretur. ℟. Desiderium. 29.

Lectio 6.

HOnoro ergo in carne martyris exceptas p Christi nomine cicatrices: honoro uiuẽtis memoriam, perennitatem uirtutis: honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus quod mihi Dominum meum ostẽdit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & dęmones? quod & afflixerũt in supplicio, sed glorificant in sepulchro. Honoro itaq; corpus, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo. ℟. Stola. 30.

TERTIA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustini Episc.

Serm. de S. Cyprian. 113.

Lectio 4.

SPiritus sanctus doceat nos in hac hora, quæ oporteat dicere. Dicturi enĩ sumus aliquid de laude N. gloriosissimi martyris, cuius natalem hodie, sicut nostis, celebramus: quod nomen sic frequentat Ecclesia, idest, natales, ut natales uocet pretiosas martyrũ mortes. Quid est hoc, fratres? quando natus est, ignoramus: & quia hodie passus est, natalem eius hodie celebramus; sed illum diem non

celebraremus, etſi noſſemus: illo enī die traxit originale peccatū, iſto aūt die ivcit omne peccatū. ℟. Honeſtū. 29. *Serm. 3. de eodem.* Le. 5.

ISTum nobis feſtum diem paſſio beatiſſimi N. martyris fecit: cuius nos victoriæ celebritas in iſtum locū deuotiſſimos congregauit; ſed celebratio ſolemnitatis martyrum imitatio debet eſſe virtutum. Facile eſt honorem martyris celebrati: magnum eſt fidem, atque pātientiam martyris imitari. Hoc ſic agamus, vt illū optemus: hoc ſic celebremus, vt illud potius diligamus. Quid laudemus in fide martyris? quia vſq; ad mortem certauit pro veritate, & ideo vicit. Blandientem mundum contempſit, ſęuienti non ceſſit; ideo victor ad Deum acceſſit. Abūdant in iſto ſæculo errores, & terrores: beatiſſimus martyr errores ſapientia; terrores patientia ſuperauit. ℟. Deſiderium. 29. Le. 6.

CONtemnite ergo ſæculum Chriſtiani, contemnite ſæculum, contemnite; contempſerunt martyres, contempſerunt apoſtoli, contempſit beatus N. cuius hodie memoriam celebramus. Diuites eſſe vultis, honorati eſſe vultis, ſani eſſe vultis: totum ille contempſit, ad cuius memoriā conueniſtis. Quid obſecro tantum amatis, quod contempſit, quem ſic honoratis? quem, ſi iſta nō contempſiſſet, non vtique ſic honoraretis: quare te inuenio earum rerum amatorem, quarum veneraris contemptorem? certe illum, ſi hæc amaret: nō veneraretis: & tu noli amare; non enim intrauit, & oſtium contra te clauſit. Contemne & tu: & intra poſt illum. ℟. Stola. 30.

QVARTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Petri Chryſologi. *De S. Cyprian.* 129. Le. 4.

QVoniam hodie Deo in natali Sancti N. martyris conuenimus, in quo miro certamine de Diabolo triumphauit: & quia nobis virtutum ſuarū glo-

glorioſum reliquit exemplum: ideo exultare nos conuenit & lætari. Natalem ergo Sanctorum cum auditis, cariſsimi, nolite putare illũ dici, quo naſcuntur in terrã de carne; ſed de terra in cælum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietẽ, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, ſed fortes, & ſtabiles, & æternas; de mundanis riſibus ad coronam & gloriam. Tales natales digne martyrum celebrantur.

℟. Honeſtum. 29. Le. 5.

CVm ergo huiuſmodi feſtiuitas agitur, noli æſtimare, cariſsime, quod in ſolis prandiis & profuſioribus epulis natales martyrũ celebrẽtur: ſed imitãdũ tibi proponitur, quod in memoria martyris celebras. Aſpice ergo, cariſsime, alacritatẽ populi circumſtantis; in hac enim die aliquando turba aſtitit impiorum, cum ſanctus N. iuſſu tyranni feriretur: turbæ erant malorum, expectantium chori; nunc multitudo fidelium ad collætandum deuota confluxit: tunc turba ſæuientium, nũc exultantium; tunc deſperatorum, nunc ſperantium.

℟. Deſiderium. 29. Le. 6.

IDcirco ergo natales martyrum annua lætitia celebrantur, vt quod ſemel actum eſt, per omne æuum in memoria maneat deuotorum. Geſta res eſt, cariſsime: ne te diceres ignorare; celebrantur annua, ne dicas; oblitus ſum. Ad hæc ergo imitanda vos animate, cariſsimi, hanc magnanimitatis gratiam concupiſcite: hoc petite dari vobis, quod ille meruit adipiſci.

℟. Stola. 30.

QVINTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *De S. Clemente.* Lect. 4.

PRetioſa in conſpectu Domini mors ſanctorũ eius; audiat peccator, & iraſcatur, dẽtibus ſuis fremat, & tabeſcat. Deprehenſus eſt in aſtutia ſua, cecidit in foueam, quam fecit, in laqueum incidit, quem tetendit: inuidia ſiquidem diaboli mors intrauit in orbem ter-

terrarum; ſed ecce pretioſa facta eſt mors ſanctorum. Neque enim aliter, quam ipſa hodie beatus martyr, cuius ſolẽnia celebramus morte corporis triumphauit: fecit ſiquidem de neceſſitate virtutem, pœnam peccati in meritum gloriæ commutauit: fidelem ſe probauit in modico, vt dignus inueniretur ſupra multa conſtitui. ℟. Honeſtum. 29.

Lectio 5.

FIdelem ſe probauit ei, qui dederat, cum pro eius amore vniuerſa contẽpſit, omnia detrimentũ faciens, & arbitratus vt ſterco ra, vt lucrifaceret Chriſtum. Sed forte murmurat ſetiãnũc inimicus: pellẽ, inquiẽs, pro pelle, & omnia, q̃ habet homo, dabit pro anima ſua; q̃d ergo? Putas, quod in ipſa corporis ſui vita, quam accepit à Domino, infidelis inueniatur, vt vel ipſam præferat illi? ecce habes poteſtatẽ, irrue in eũ per ſatellites tuos, vt coarctetur è duobus, aut à Domino neceſſe habens, aut à corpore ſeparari. Varia, & immania exquire genera tormentorum: ſed noueris te martyri noſtro fabricare coronas. ℟. Deſiderium. 39.

Lectio 6.

COronabitur ergo, quia legitime certauit, q̃a fideliter vicit, quia nec blãdimẽtis vitę huius, nec mortis horrore à caritate Chriſti potuit ſeparari, quid nos ad hæc dicimus fratres? Cõgratulamur martyri, ſed iã gloria eius non ſine noſtra confuſione eſt; ecce enim beatus N. homo erat ſimilis nobis paſsibilis, eadem circundatus infirmitate, & carni ſuę eodem vinculo naturalis affectionis inhærẽs. Si ergo ille ſic glorificauit Chriſtum in corpore ſuo, & calicem ſalutaris accepit: quid nos retribuimus Domino pro omnibus, quę retribuit nobis? ℟. Stola. 30.

SEXTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

De Serm. S. Bernardi Abb.

Lectio 4.

VT quid ergo non poſſumus & nos cũ beato

to N. Christi bibere calicē? sed forte respondent aliqui: Possemus, si opportunitas non deesset, sed persecutionis tempus cessauit. At egō fateor, non satis crediderim ita dicentibus: quid enim? quotidie ceditis punctioni acus vnius, & mucroni vos arbitramini posse resistere? in minimis probate conflictibus, quam viriliter in maiori certamine stare possitis: nouit Dominus figmētum nostrum, nec dat nobis tam forte certamen.

℟. Honestum. 29.

Lectio 5.

BEato N. certamen forte dedit, vt vinceret, & disceret, quoniam omnium potentior est sapientia. Vestrum autem certamen quale est, fratres mei? quotidie vobis suggeritur in cordibus vestris: frange ordinem tuum, murmura, detrahe, age remissius, infirmitatem simula, responde ei, qui forte durius locutus est, vt satisfacias desiderio tuo: nec dicitur cuiquam, nisi hæc feceris, morieris: sed, vt multum, cum difficultate & labore resistes animo tuo.

℟. Desiderium. 29.

Lectio 6.

SI ergo in huiusmodi certamine periclitamur, si vix resistimus, si interdum etiam succubimus, quid in illo tam graui certamine faceremus? si iuncis fragilibus cedit infirmitas nostra, quomodo telis resisteret? Videtis, quomodo ad nihilum redacti sumus; & sicut solēt mulieres, aut paruuli, pugnantes laudamus alios pugnare ipsi non possumus?

℟. Stola. 30.

SEPTIMA DIE.

In secundo Nocturno.

Tres lectiones Sancti Augustini **Triumphalis beati &c.** quæ habentur in Breuiario in cōmuni vnius martyris. Quod si lectæ fuerint in die festo legantur hac die lect. Sancti Ambrosij **Principes persecuti, &c.** vt in eodem communi.

IN DIE OCTAVA.

In secundo Nocturno.

De

Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana est salus hominis. In Deo faciemus uirtutem : tanquam si dicerent: Victoria nostra, gloria nostra intus est, non foris est. Foris despecti, intus dilecti. ℟. Stola. 30.

INFRA OCTAVAM VNIVS MART. NON PONT.

Homil. in Euang. Mat. c. 10.

Nolite arbitrari, &c.

IN DIE FESTO.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. sec. Matthæum *cap.* 10. Lect. 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Episcopi *can.* 10.

QVæ ista diuisio est? inter prima enim legis præcepta accepimus, Honora patrem tuũ, & matrẽ tuã, & ipse Dominus ait, Pacem meam do vobis: pacem meã relinquo vobis. Quid sibi vult missus potius gladius in terram, & separatus à patre filius, & filia à matre, & nurus aduersus socrum, & hominis domestici eius inimici? Igitur exinde publica auctoritas impietati pferetur. Vbique odia, vbique bella, & gladius Domini, inter patrem & filium, & iter filiã matremque desæuiens. ℟. Corona. 37. Jac. 8.

GLadius telorum omnium telum acutissimum est, in quo sit ius potestatis, & iudicij seueritas, & animaduersio peccatorum; & huius quidem teli nomine noui Euangelij prædicationem appellatam frequẽs in Prophetis auctoritas est. Dei igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio, qui gladius missus in terrã est, id est, prædicationem eius hominum cordibus infusam; fitque grauis in domo una dissensio, & domestica nouo homini erunt inimica: quia ille per Verbum Dei diuisus ab illis, manere & interior, & exterior, ideſt, & corpus, & anima, in spiritus nouitate gaudebit.

Hic

℟. Hic eſt. 37. Lect. 9.

PErgit deinde eodē præceptorum & intelligentiæ decurſu: nam poſteaquā relinquenda omnia: quæ in ſæculo cariſſima ſunt, imperauerat, adiecit: Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus; quia qui Chriſti ſunt, crucifixerunt corpus cum vitijs, & concupiſcentia. Et indignus eſt Chriſto, qui nō crucem ſuam, in qua compatimur, commorimur, cōſepelimur, conreſurgimus, accipiens, Dominum ſit ſecutus, in hoc ſacramento fidei, ſpiritus nouitate victurus. Te Deum.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Matt. Le. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, ſed gladium. Et reliqua.

Homil. S. Hieron. Presb. *Lib. 1. in Matt. c. 10.*

SVpra dixerat, quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Nunc infert, quid poſt prædicationem ſequatur. Ad fidem Chriſti totus orbis cōtra ſe diuiſus eſt: vnaquæque domus & infideles & credentes habuit, & propterea bellum miſſum eſt bonum, vt rumperetur pax mala. Tale quid & in Geneſi aduerſus rebelles homines, qui moti fuerant de oriente, & turrem extruere feſtinabant, per quam cæli alta penetrarēt, feciſſe ſcribitur Deus; vt diuideret linguas eorum. ℟. Corona. 37.

Lectio 8.

VEni enim ſeparare hominē aduerſus patrem ſuum. Hic locus propè ijſdem verbis in Michæa Propheta ſcribitur: & notandum vbicūque de veteri teſtamento teſtimonium ponitur: vtrum ſenſus tantum an ſermo conſentiat. Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Qui ante præmiſerat; NON veni pacem mittere, ſed gladium, & diuidere ho-

Digitized by Google

homines aduerſus patrem & matrem, nurum & ſocrũ, ne quis pietatem religioni anteferret, ſubiecit dicens: Qui amat patrem aut matrẽ pluſquam me: & in Cantico legimus Canticorum: Ordinauit in me caritatem. Hic ordo in omni affectu neceſſarius eſt: ama poſt Deum, patrem, ama matrem, ama filios. ℟. Hic eſt. 37.

Lectio 9.

ORdo pulcherrimus: ad prædicationem mittit, docet pericula non timẽda, affectum ſubijcit religioni. Aurum ſupra tulerat, æs de zona excuſſerat. Dura Euangeliſtarum conditio. Vnde ergo ſumptus, vnde victus neceſſaria? Auſteritatem mandatorum ſpe temperat promiſſorum. Qui recipit, inquiens, vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit: vt in ſuſcipiendis Apoſtolis vnuſquiſque credentium Chriſtũ ſe ſuſcepiſſe arbitretur. ℣. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturn.

Lec. S. Eu. ſec. Matt. Le. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, ſed gladium. Et reliqua.

De Homil. S. Hieron. Presb.

LEgimus in Propheta Dauid ad excuſandas excuſationes in peccatis: quod multo peccatorum ſuorum quaſi iuſtas prætendant occaſiones, vt quod voluntate delinquunt, videantur neceſſitate peccare. Dominus ſcrutator cordis & renum futuras cogitationes in ſingulis contuetur. Dixerat: qui recipit vos, me recipit; ſed hoc præceptum multi pſeudoprophetæ & falſi prædicatores poterant impedire, medicatus eſt huic quoque ſcãdalo, dicens: qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. ℣. Corona. 37. Le. 8.

VRſus poterat alius cauſari, & dicere: Paupertate prohibeor, tenuitas me retinet, vt hoſpitalis eſſe non poſſim, & hanc excuſatio-

tionem leuiſſimo præcepto diluit, vt calicem aquæ frigidæ toto animo porrigamus. Frigidæ, inquit, aquæ, non calidæ; ne & in calida paupertatis ex penuria lignorum occaſio quæreretur: tale quid & Apoſtolus ad Galatas præcepit: communicet autem is, qui cathechizatur verbo ei, qui ſe cathechizat, in omnibus bonis. ℟. Hic eſt. 37. Le. 9.

ET diſcipulos ad magiſtrorum refrigeria cohortatur. Quia poterat quislibet obtendere paupertatem, & præceptum eludere priuſquam ille proponat, imminentem ſoluit quæſtionem, dicens: NOLITE errare, Deus non irridetur, quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet, & eſt ſenſus, fruſtra cauſaris inopiã, cum aliud habeat conſcientia tua: me potes fallere cohortantem, ſed ſcito, quod quantumcunque ſeminaueris, tantum & meſſurus ſis. Te Deum.

QVARTA DIE.
In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Matt. Le. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: NOLITE arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, ſed gladium. Et reliqua. Homilia S. Io. Chryſoſtomi. *Hom. 36. in Matth.*

NOn veni pacem in terram mittere. Quomodo igitur præcipit, cum ad ſuſcipientium domos ingrederentur, pacem omnibus dicere? aut quomodo Angeli clamabant: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis? quomodo & omnes prophetæ pacem tempore ipſius futuram prænuntiarunt? quia videlicet præcipua, ſingulariſque pax tunc præſtatur, quando quod tabe uel ſanie corruptum eſt, abſcinditur, atque proijcitur: quando factioſa & improba pars repellitur, aut omnino deſtruitur; ſic certe cælis terra coniungi poteſt. ℟. Corona. 37. Lec. 8.

NAm & medicus hoc modo reliquum corpus

pus conſeruat facile, ſi quod reduci ad ſanitatem non poteſt, inciderit, atque abiecerit: & militiæ dux ad ſoluẽdam militum conſpirationem alterum in alterum cõcitat. Sic in turre factum videmus, quando perniciosa illa pax per diſcrepantiam diſſoluta, tranquillam atque laudabilem pacẽ reddidit. Sic etiam Paulus eos, qui aduerſus ſe conſpirabant, diuidebat atque diſſipabat. Nec enim ſemper concordia laudanda, cum etiam latrones magna inter ſe concordia conſpirare ſciamus. Non igitur ex propoſito Chriſti, ſed ex mẽte, animoque hominum vitioſo bellũ erumpit. ℟. Hic eſt. 37.

Lectio 9.

QVid igitur ait: non veni mittere pacem? nolite, ait, exiſtimare harum rerũ cauſam vos futuros: Ego ſum, qui, quoniam homines ad vitia, infidelitatemq; procliues sũt, hæc præparo. Nõn ergo, ſi præter expectationem veſtram quicquam acciderit, turbatione aliqua moueamini, cum ideo venerim, vt bellum committam. Hæc voluntas mea eſt, nulla vos inuadat turbatio, quaſi bello, atque inſidijs orbe terrarum ferocius exagitato: nam ſi hoc modo peiorem partem conciderimus, tunc pars melior cælo copulabitur. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euangel. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, ſed gladium. Et reliqua.

De Homil. S. Io. Chryſ.

NOn dixit bellum, ſed quod atrocius eſt, gladium: quod ſi acerbius hæc, & minus compoſite dicta tibi videantur, nequaquam mireris. Nam, ne ſuſpicari quis poſſit, verborũ lenocinijs allectos à Chriſto fuiſſe Apoſtolos, ac etiam vt aſperitate verborum ad iniuſtas contumelias audi-

tum præparet, non iucũde rem aſperã, ſed aſperrime, atque duriſſime protulit. Nec iſta ſibi ſuffecerunt, ſed latius naturam iſtius belli, ac ſingulas partes amplificans, omni bello inteſtino, atque ciuili multo magis peſtiferum oſtendit, dicens: Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuũ, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius.

℣. Corona. 37. Lect. 8.

MAgnũ enim omninò, ac ſuper hominem eſt, quod qui primi hæc audierint, libenter ſuſcipere, & alijs perſuadere potuerunt; & quamquam non ipſe, ſed hominum improbitas horum omnium cauſa futura eſſet, ſe tamen facturum omnia dicit; talis quippe ſcripturarum eſt conſuetudo: vt enim etiam alibi dicitur: Dedit ipſis Deus oculos ne videant: ſic etiam in hoc loco, vt quemadmodũ diximus, hæc omnia præmeditati, atque his verbis ſtabiliti, cum opprobrijs & cõtumelijs peterentur, minus turbari poſſent. ℣. Hic eſt. 37. Lc. 9.

SI autem grauiora hæc cuipiã videantur, priſcã hiſtoriã animo verſet. Hoc enim ipſum & ſuperioribus temporibus contigit, quod maximo argumento eſt, cognata eſſe vetera nouis, & eundem eſſe, qui hæc dicat, & illa imperauit. Iudæis enim tunc pepercit, cum ſinguli proximos ſuos interemiſſent, ſic etiam quando vitulum conſecrarunt, & quando Beelphegor dedicarunt. Vbi ergo ſunt, qui dicere audent, peſtifer eſt ille Deus, hic propitius atque mitis? Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, ſed gladium. Et reliqua. De Homil. S. Io. Chryſoſt.

Ani-

Digitized by Google

ANimaduertis, quot, quibuſque cauſis perſuadet, & domos totius orbis Apoſtolis aperit, cum plane his omnibus ſignificet vniuerſos ſibi homines debitores futuros? Primum, quia dixit: Dignus eſt operarius cibo ſuo. Deinde, quia nudos nihil habentes emiſit. Tertio, quia in bella & pugna pro ſuſcipientibus eos emiſit. Quarto, quia mirabilibus, atque inauditis ſignis eos illuſtrauit. Quinto, quia, quod omnium bonorum cauſa, pacẽ ipſorum ore ad domos recipientium adducit. Sexto, quia grauiora non ſuſcipientibus minatus ſupplicia, quam Sodoma mereantur. Septimo, quia ipſum etiam cum patre accipiẽtes hoſpitari aſſeruit. ℣. Corona. 37.

Lectio 6.

OCtauo, quia prophetæ mercedem ac iuſti futuram recipiẽti pollicetur. Nono, quod aquæ frigidæ calicem præbentes non paruas ſint retributiones habituri. Quorum vnumquodq; per ſe ipſum ſatis magnas vires ad attrahendum poſſidet; quis enim militiæ ducem, quamuis vulneribus ſanguinolentum videat, non magno gaudio tamen domi recipiat, cum ab acie redeũtem magnis trophæis, & ſingulari victoria videat?

℣. Hic eſt. 37. Lec. 9.

SEd quiſnam talis modo eſt, inquiens, & recipiemus ipſum? propterea diſcipuli, prophetæ, ac iuſti denique nomen adiecit, vt diſcas, non ex dignitate recepti, ſed ex voluntate recipientis mercedem omnem eſſe conſtitutam: nam quod in hoc loco de prophetis, diſcipulis, ac iuſtis dicit, id alibi de recipientibus abiectos, ac minimos homines protulit; in quantum enim inquit, vni minimorum feciſtis, mihi feciſtis; & contra rurſus, ſi nulli horum, nec mihi. Ite Deum.

SEPTIMA DIE.
In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Matt. Le.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Noli-

Digitized by Google

lite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, ſed gladium. Et reliqua.

Homilia Sancti Petri Chryſologi.

Serm. 164.

PVtatis, quia pacem veni mittere in terram? nō, dico vobis, ſed ſeparationē. Et vbi eſt illud: ecce agnus Dei. vbi illud: ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe mutus, ſic non aperuit os ſuum? ſed & illud: dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi manſuetus? & quid eſt, quod agnus iſte tam dure in prædicatione percutit? quid ſic arietat in verbo, qui in paſſione tanta patientia tacet, in morte tota humilitate ſuccūbit. ℟. Corona. 37.

Lectio 8.

ET re vera, fratres, mundum Chriſtus per omnia mitis & manſuetus intrauit, dum naſcitur noſtro dulcis in germine: dum cunis blāde blandior ipſe fouetur: dū paruulus in gremio ſe fundit, & reſoluit humano: dum parentis in collo ſtringitur, & ſtringit toto caritatis amplexu: pauper agit sēper, ſolitarius sēper incedit, quia pauper communis eſt ſemper, patet omnibus ſolitarius ſemper. Et quid eſt, quod tantum verbis ſpargit ignem, quod tanta, & talia inflammat, & dilatat incendia. ℟. Hic eſt. 37.

Lectio 9.

VRget aqua ignem: cogitanda eſt talis, tam diuiſa coniunctio. Vrget vnda flammam, multiplicat flamma vndam: quę eſt talis, tam concors iſta diſcordia? geritur hic agricolæ diuini ſpecies: plena namque omnia calore germināt, humore nutriuntur. Vnde rerum parens Deus ignis & aquæ commercio nos germinat, nos enutrit, quorum tanto ardet, calet, exæſtuat, anhelat affectu; Putatis, dit, quia pacem veni mittere in terrā? Non; quare? quia coniunctio cæleſtis eſt in iſta ſeparatione terrena: nemo poteſt cōnecti terræ, & iungi cælo. Grata ergo & cara ſit iſta ter-

Digitized by Google

terrena ſeparatio, quæ nos ſic à terrenis ſeparat, vt inſerat nos diuinis. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eua. ſec. Matthæum.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, ſed gladium. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſc. *Ex lib. 7. in Luc.*

CVm in omnibus fere Euangelij locis ſpiritualis intellectus operetur, tamen in præſenti maxime; & ne quem duritia nudæ expoſitionis offendat, ſpiritali altitudine ſenſus ſeries temperanda eſt; præſertim cum ſacroſancta religio moralibus diſciplinis & mitibus pietatis exemplis, etiam fidei exules ad reuerentiam tamen ſui clemẽter inuitet, vt præuia fidei diſciplina, manſuetudine ſui ſuperſtitionum dura diſſoluat, & obnoxias erroribus mentes cogat etiam fidei credere, quas potuit pietate mulcere: etenim cum fidei alta pectoribus non capiuntur infirmis, per ea, quæ præcepta ſunt, ea, quæ venerãda ſunt, æſtimãtur; vt iuſta de iuſto, ſancta de ſancto, bonorum ſuorum bonum teſtentur auctorem. ℟. Corona. 37.

Lectio 8.

ERgo Dominum illum, qui ſimul diuinitatis reuerentiam, & pietatis gratiam ſua lege cõplexus eſt, dicens: Diliges Dominum Deum tuum, diliges proximum tuum: ita nunc mutatũ eſſe opinabimur, vt abolere neceſſitudinum nomina, collidere pietatis affectus, cariſſimorum pignorũ diſſidia mãdaſſe credamus? & quomodo ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum? quomodo ipſe dicit: Pacem meam do vobis, pacem meã relinquo vobis, ſi parentes à filijs, filios à parẽtibus diſſidio neceſſitudinis ſeparaturus aduenit? quomodo maledictus, qui non honorat patrem; religioſus, qui deſerit? ℟. Hic eſt. 37. Lec. 9.

Digitized by Google

SEd ſi aduertamus, quia prima cauſa religionis, ſecunda pietatis eſt, enodandam etiam hanc æſtimabimus quæſtionem: oportet enim, vt diuinis humana poſthabeas. Nam ſi officiū parentibus exhibēdum eſt; quanto magis auctori parētum, cui gratiam etiam pro parentibus tuis debes? Aut, ſi illi omnino non recognoſcunt parentem, quemadmodum tu recognoſcas? Non igitur dicit, renuntiandum eſſe pignoribus, ſed Deum omnibus præferendum. Nō diligere parentes: ſed Deo præferre prohiberis; etenim naturæ pignora Domini beneficia ſunt. Te Deum.

INFRA OCTAVAM VN. MART. NON PONT.

Hom. in Euang. Matth. c. 10

Nihil opertum, &c.

IN DIE FESTO.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. ſec. Matt. c. 10.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nihil opertum, quod non reuelabitur: neque occultum, quod non ſciatur. Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Epiſcopi. *Comment. in Matt. cap.* 10.

DOminus diem iudicij oſtendit, quæ abſtruſam voluntatis noſtrę conſcientiam prodet: & ea quæ nunc occulta exiſtimantur, luce cognitionis publicæ deteget. Igitur non minas, non cōſilia, non poteſtates inſectantium monet eſſe metuendas: quia dies iudicij nulla hæc fuiſſe atque inania reuelabit. Et quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Non legimus Dominum ſolitū fuiſſe noctibus ſermocinari, & doctrinam in tenebris tradidiſſe: ſed quia omnis ſermo eius carnalibus tenebræ ſunt, & verbum eius infidelibus nox eſt.

R. Corona. 37. Lec. 8.

ITaque id quod à ſe dictū eſt, cum libertate fidei, & confeſſionis vult eſſe loquendum: idcirco quæ in tenebris dicta ſunt, prædicari iuſſit in lumine: vt quæ ſecre

to aurium commiſſa ſunt, ſuper tecta, ideſt, excelſo loquentium præconio audiantur. Conſtãter enim Dei ingerenda cognitio eſt, & profundum doctrinæ Euangelicæ ſecretum in lumine prædicationis Apoſtolicæ reuelandum: non timentes eos, quibus cum ſit licentia in corpora, tamen in animam ius nullum eſt: ſed timentes potius Deum, cui perdendæ in gehenna & animæ & corporis ſit poteſtas. ℣ Hic eſt. 37. Lect. 6.

NOlite timere eos, qui occidũt corpus. Nullus igitur corporum noſtrorum caſus eſt pertimeſcendus, neque vllus interimendæ carnis admittendus eſt dolor: quando pro naturæ ſuæ atque originis conditione reſoluta, in ſubſtantiam ſpiritualis animæ refundatur. Et quia doctrinis talibus confirmatos oportet liberam confitendi Dei habere conſtantiam, etiam conditionem qua teneremur adiecit: negaturum ſe cum Patri in cælis, qui ſe hominibus in terra negaſſet: eum porro qui confeſſus coram hominibus ſe fuiſſet, à ſe in cælis confitẽdum, qualeſque nos nominis ſui teſtes hominibus fuiſſemus, tali nos apud Deum Patrẽ teſtimonio eius vſuros.

TE Deum.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Mat. Lec. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nihil opertum, quod non reueletur: neque occultum, quod non ſciatur. Et reliqua.

Homi. S. Hieronymi Præsb. *Ex comm. in Mat. 10. lib. 1.*

ET quomodo in præſenti ſæculo multorum vitia neſciuntur? ſed de futuro ſæculo ſcribitur; quando iudicabit Deus abſcondita hominum, & illuminabit latebras tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & eſt ſenſus: nolite timere perſecutorum ſæuitiam, & blaſphemantium rabiem; quia veniet dies iudicij, in quo veſtra virtus, & eorum nequitia demonſtrabitur.

Digitized by Google

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prędicate ſuper tecta, quod auditis in myſterio, apertius prædicate; quod diſcitis abſcondite, publice loquimini: quod vos erudiui in paruulo Iudeæ loco, in vniuerſis vrbibus, & in toto mundo audacter dicite. ℟. Corona. 37

Lectio 8.

TEVm timete, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. Nomen, gehenna, in veteribus libris non inuenitur: ſed primum à Saluatore ponitur: quęramus ergo, quæ ſit ſermonis huius occaſio. Idolum Baal iuxta Ieruſalem, ad radicem montis Moria, in quibus Siloe fluit, non ſemel legimus. Hæc vallis, & parua campi planities irrigua erat, & nemoroſa, plenaque delicijs, lucuſque in ea idolo conſecratus erat: in tantam autem dementiam populus venerat, vt deſerta templi vicinia, ibi hoſtias immolaret, & rigorem religionis deliciæ vincerent, filioſque ſuos dæmonijs incenderent, vel initiarent, & appellabatur locus iſte, gēhennon, ideſt, vallis filij Hēnon. ℟. Hic eſt. 37.

Lectio 9.

FVtura ergo ſupplicia, & pęnæ perpetuæ, quibus peccatores cruciandi ſunt, huius loci vocabulo denotātur. Duplicem autem eſſe gehennam nimij ignis & frigoris, in Iob pleniſſime legimus. Quod autem ait: Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt: derident intelligentiam eccleſiaſticā in hoc loco, qui carnis reſurrectionem negant: quaſi & nos capillos, qui numerati ſunt, & a tonſore deciſi, omnes dicamus reſurgere: cum Saluator non dixerit: Veſtri autem capilli capitis omnes ſaluandi ſunt, ſed numerati ſunt: vbi numerus, & ſcientia numeri demonſtratur, non eiuſdem numeri conſeruatio. Te Deū.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Hec. S. Euan. ſec. Matthæum.

Lectio 7.

In

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nihil opertum, quod non reuelabitur: neque occultum, quod non ſciatur. Et reliqua. Homil. S. Petri Chryſologi. *Ser.* 101.

VObis autem dico amicis meis, ne terreamini: quia libertatem probat virtus, metus indicat ſeruitutem: nam liber ad gloriã, ſeruus natus eſt ad timorẽ. Merito ergo ad Dei amicitias ſublimatur, qui propter Deum humanas deſpicit mortes, neſcit timores: ſi amicos morum facit imitatio, morũ ſimilitudo coniungit, cõuenienter eos amicos vocat Chriſtus, quos imitatione ſua mundi iacula, & ipſam mortis formidinem conſpicit, & prẽuidet calcaturos. ℟. Corona. 37.

Lectio 8.

VObis autẽ dico, ideſt, non omnibus, ſed amicis. Vobis autem dico, quos mors abſoluit iſta, non finit. Vobis dico, quos corporis reſolutio promouet ad melius, non trãſducit ad pœnã. Vobis dico: quibus mortem vita inchoatur, non finitur. Vobis dico, quorum mors pretioſa fit non ſui qualitate, ſed cauſa, dum vitæ magis lucra inuenit, quam vitæ perdat vſurã; ſed audiamus quid dicat amicis ſuis. Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus. ℟. Hic eſt. 37.

Lectio 9.

AVdiant, qui de bono mortis veterum vetuſta volumina detriuerunt, nihil tamen inde capere virtutis, aut conſolationis aliquid inuenire valuerũt. quis homini, quis ſapienti dicat? Mori naturæ eſt; neceſſe eſt deperire: nobis vixerunt veteres, viuimus nos futuris; nemo ſibi: quod non poteſt tolli, velle, virtutis eſt: ſuſcipe voluntarius, ad quod vrgeris inuitus: mors antequã veniat, non eſt; cum autem venerit, veniſſe neſcitur. Nec ergo amiſiſſe te doleas, quod, cum amiſeris, non dolebis. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Matt. Lc. 7.

In

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: nihil opertum, quod non reueletur: neque occultum, quod non sciatur. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episc.
Serm. 18. de verb. Apost. circa med.

CVm dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo; quid dicturus sum? Male times? vane times? Non audeo, quandoquidem ipse dominus ablato timore subiecit timorem, & ait, vbi dixit; Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant: sed eum timete, qui habet potestatem & corpus & animam mittere in gehennam ignis: ita dico vobis hunc timete. Cum ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum, comminationem ingeminauerit, dicturus ego sum, male times ista? Non dicam; Plane time, nihil melius times, nihil est, quod magis timere debeas. Ex. Corona. 37. Lec. 8.

SEd interrogo te; si non te videret Deus, quando facis, nec quisquam te conuinceret in iudicio illius, faceres? tu te vide: non enim potes ad verba omnia mea respondere, inspice te ipsum. Faceres? si faceres, ergo pœnam times, caritatem nondum habes, seruiliter times, formido est mali, nondum delectatio boni; sed time etiam, vt ista formido custodiat te, vt perducat ad dilectionem. Timor enim iste, quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & sic volentem peccare animo interiore non sinit; est quidam custos timor, quasi pædagogus legis, littera est minans, nondum gratia iuuans. &. Hic est. 37. Lc. 9.

CVstodiat tamen timor iste, dum non facis timendo, & veniet caritas: intrat in cor tuum, & quãtum illa intrat, tãtum timor exit: timor enim id agebat, ne faceres; caritas hoc agit, vt nolis facere, etiamsi impune possis admittere. Dixi

quid

quid timeatis, dixi quid appetatis. Sectamini caritatẽ, intret caritas, admittite illã timendo peccare, admittite amorem non peccantem, admittite amorem bene viuentem. Habet secum suum timorem, quem introducit ipsa caritas, sed illum castum permanentem in sęculum sæculi. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eua. sec. Matthæum.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: NIhil opertum, quod non reueletur: neque occultum, quod non sciatur. Et reliqua.

Homilia S. Io. Chrysostomi.

Hom. 35. in Matt.

VIdes, quod non promittit ipsis huius vitę perpetuitatem, mori autẽ promittit, vt maiora, sublimioraque conferat, quam si nũquam morti traderentur. Et certe multo melius est mortem omnino despicere, quã eam effugere: quocirca nõ in periculum mortis, cũ nati essent homines, ipsos introducit, sed terrore moriendi morte superiores facit. Ita breui oratione duobus, vel tribus verbis absoluta, salutarem de immortalitate opinionem in animis eorum fixit, atque locauit.

℟. Corona. 37. Lec. 8.

POstea ne putarentur quasi se derelictos ab eo, ad cædem, & violentum peruenturos interitum, de prouidentia Dei disputat, dicens; NOnne duo passeres asse venduntur, & vnus ex ipsis non cadit in laqueum sine patre vestro, qui est in cælis? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt: quid enim vilius passeribus? ait, sed tamen nunquã ignorante Deo capiuntur: non enim cooperante Deo incidere in laqueum passeres ait, quod diuinæ maiestatis indignum est, sed non esse clam Deo, etiam vilissimarum auium causam, ostendit, quod si nihil penitus Deus ignorat: at vos paterna caritate prosequitur, & ita amat, vt pilos capitis quoque vestri non negligat,

quid

quid timendum vobis eſt?

℟. Hic eſt. 37. Lect. 9.

HOc autem dicebat, nõ quod Deus capillos numeret, ſed quia perfectam cognitionem rerum omniũ, & ſummã de omnibus Dei prouidentiam oſtendere voluit. Si ergo cuncta nouit, quæ fiũt, ſi vult, poteſt ſimul ſeruare vos: nolite cum tribulationes vobis acciderint, derelictos vos eſſe à Deo exiſtimare: non enim ab incommodis corporis liberare vos vult, ſed ad eam perfectionem adducere ſtudet, vt incommoda corporis cõtemnatis. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Mat. Lec. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: NIhil opertum, quod non reueletur: neque occultum, quod non ſciatur. Et reliqua.

Homil. S. Auguſt. Epiſcopi.

Ser. 13. de Martyr.

ADmonent nos eloquia diuina, quæ lecta ſunt timendo non timere, & non timendo timere. Ait enim: NOlite timere eos, qui corpus occidunt, animam autẽ non poſſunt occidere. Ecce vbi monuit, ne timeremus. Videte vbi monuerit, vt timeremus; ſed eum, inquit, timete, qui poteſtatem habet corpus & animam occidere in gehẽna. Ergo timeamus, vt non timeamus; timor videtur ad ignauiam pertinere; timor infirmorũ videtur eſſe, non fortium; ſed videte, quid ait ſcriptura: Timor Domini ſpes fortitudinis. Timeamus, ne timeamus: hoc eſt prudenter timeamus, ne inaniter timeamus. ℟. Corona. 37.

Lectio 8

DIcat ergo fortiſſimus martyr ſtans homo ante hominem: NOn timeo, quia timeo: tu, quod minaris, ſi ille nolit, non facis. quod autem ille minatur, vt faciat, à nullo impeditur. Deinde tu quod minaris, & ſi permitteris, quid facis? vſque ad carnem ſæuis: anima tuta eſt; non occides, quod non vides: viſibilis viſibilem terres. Habemus ambo inuiſibi-

uiſibilem creatorem quem ſimul timere debeamus, qui hominem ipſum ex uiſibili, & inuiſibili creauit: uiſibilẽ de terra fecit inuiſibilem, flatu ſuo animauit. Potes ferire habitaculum, nunquid habitatorem? Fugit percuſſo vinculo colligatus, & erit in occulto coronatus. ℟. Hic eſt. 37. Lc. 9.

QVid ergo minaris, qui animæ nihil facere potes? per meritum eius, cui facere nihil potes, reſurget, cui facere aliquid potes: per meritum enim animæ reſurget & caro; & habitatori reddetur iam non ruitura, ſed manſura. Ecce verba martyris dico; Ecce propter ipſam carnem meam timeo comminantem: caro mea ſubiacet poteſtati, ſed etiam capilli capitis mei numerati ſũt creatori. Quid timeo, ne carnem perdam, qui nec capillum perdo? quomodo non attendit carnem meam, cui ſic nota ſunt vilia mea? Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. ſec. Mat. Lec. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Nihil opertum, quod non reuelabitur: neque occultum, quod non ſciatur. Et reliqua.

De Homil. S. Auguſt. Epiſc.

SCitote, certumque tenete corpus mortuum eſſe ſine anima; animã mortuam eſſe ſine Deo: omnis homo ſine Deo mortuam habet animam. Plangis mortuum; magis plange impiũ, plange infidelem. Scriptum eſt: luctus mortui, ſeptem dies: fatui autem & impij, omnes dies vitæ illorum. An vero non in te ſunt viſcera Chriſtianæ miſerationis, vt plangas corpus, à quo diſceſſit anima; & non plãgas animã, à qua receſſit Deus? ℟. Corona. 37. Lec. 8.

HOc tenens martyr reſpondeat commina tori: quid me cogis? vt negẽ Chriſtum? ſi noluero, quid facis? percutis corpus meum, vt recedat inde anima mea: ſed ipſa anima mea ad ſe habet corpus: non eſt imprudens, non eſt inſipiens tu vis feri-

ferire corpus meum; vis vt, cum timeo, ne ferias corpus meũ, & recedat inde anima mea ego feriam animã meã, & recedat inde Deus meus? Inde ergo Dominus: qui habet poteſtatem & corpus & animam occidere in gehenna ignis: quomodo? quando mittetur in gehennam impius, ardebit; ibi corpus, ibi anima. Mors corporis, ſempiterna pœna: mors animæ, Dei abſentia. ℣. Hic eſt. 37. Lec. 9.

VIs noſſe, quæ ſit mors animæ? intellige prophetam dicentem: tollatur impius, vt non videat claritatem Domini. Timeat ergo anima mortem ſuam, & nõ timeat mortẽ corporis ſui; quia ſi timuerit mortem ſuam, & vixerit in Deo ſuo, non eum offendendo, & à ſe repellendo, merebitur in fine recipere corpus ſuum nõ ad pœnam æternam, ſicut impij, ſed ad vitam æternã, ſicut iuſti: illam mortem timentes, & illam vitam martyres diligẽtes, promiſſa Dei expectantes, minas perſecutorum contemnentes, & ipſi apud Deum coronari meruerunt, & nobis celebranda ſolemnia reliquerunt. ℟. Deum.

IN DIE OCTAVA.
in tertio Nocturno.

Lec. S. Eua. ſec. Mat. Lec. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Nihil opertum, quod non reuelẽtur: neque occultum, quod non ſciatur. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſc. *In Luc. l. 7. c. 12.*

SI tanta eſt Dei etiam æterna maieſtas, vt vnus ex paſſeribus, aut noſtrorũ numerus capillorum præter ſcientiam Dei non ſit, quam indignum eſt æſtimare, quod fideliũ corda Dominus aut ignoret, aut ſpernat, qui viliora cognoſcat? Fortaſſe dicat aliquis; quomodo Apoſtolus dixit: Nunquid de bobus cura eſt Deo cum vtiq; bos paſſere pretioſior ſit? ſed aliud eſt cura, aliud ſciẽtia. Denique numerus capillorum non in actu computationis, ſed in facilitate cognitionis accipitur. ℣. Corona.

rona. 37. Lect. 8.

NOn enim ſollicitam Deus curæ numerantis intendit excubiam, ſed, cui cognita sũt omnia, quaſi numerata ſunt omnia. Bene tamen numerati dicuntur, quia illa, quæ volumus ſeruare, numeramus. Poſſumus tamen hic diſcutere aliquod intelligentiæ ſpiritalis arcanum, præſertim cum hoc videatur abſurdum, vt homines non potius hominibus, quam paſſeribus comparentur. Vnde bene Matthæus duos paſſeres poſuit, corpus animamque ſignificans, quoniã caro quoque ſi conſentiens Dei legi, & exuens ſe lege peccati in naturam animæ ſenſuum puritate tranſierit, alis ad cælum ſpiritualibus eleuatur. ℟. Hic eſt. 37.

Lectio 9.

IAm illud non eſt dubiũ, animæ paſſerem comparari, cum legeris: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Et alibi: quomodo dicitis animæ meæ, trãſmigra in montem, ſicut paſſer. In ſumma igitur hic ſenſus eſt: Si Dominus vilibus auibus, & infidelibus hominibus, vel in oriũ do ſolẽ, vel in terrena fœcũditate proſpexit, ſi miſericordiæ ſuæ omnibus munus impertit, haud eſſe dubitandum, cõtemplationem apud illum fidelium valituram eſſe meritorum. Te Deum.

INFRA OCTAVAM VNIVS MART. NON PONT.

Homi. in Euang. Ioan. c. 12. Niſi granum frumenti, &c.

IN DIE FESTO.

Lect. S. Eu. ſec. Ioan. c. 12.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amẽ, amen dico vobis, niſi granũ frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Et reliqua.

Homilia S. Augu. Epiſcopi. *Tract. 51. in Ioan. ſub med.*

IPſe Dominus Ieſus erat granum mortificandum & multiplicandum: mortificandum in infidelitate Iudæorum, multiplicandum in fide populorum. Iam ve-

ro

ro exhortãns nos ad paſſionis ſuæ ſectanda veſtigia, Qui amat, inquit, animam ſuam, perdet eam. Quod duobus modis poteſt intelligi. Qui amat perdet: ideſt, ſi amas, perdes, ſi cupis vitã tenere cum Chriſto, noli mortem timere pro Chriſto. Item alio modo: Qui amat animam ſuam, perdet eam: noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. ℟. Corona. 37.

Lectio 8.

HOc autem, quod poſterius dixi, magis videtur habere Euangelicus ſenſus. Sequitur enim: Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eã. Ergo, quod ſupra dictum eſt, qui amat (ſubintelligitur, in hoc mundo) ipſe vtique perdet: qui autem odit (vtique in hoc mundo) in vitam æternam ipſe cuſtodit eam. Magna & mira ſententia, quemadmodum ſit hominis in animam ſuam amor vt pereat, odium ne pereat. Si male amaueris, tunc odiſti, ſi bene oderis, tunc amaſti. Felices qui oderunt cuſtodiẽdo, ne perdant amando. ℟. Hic eſt. 37.

Lect. 9.

SEd vide ne tibi ſubrepat, vt te ipſum velis interimere, ſic intelligendo, quod debes odiſſe in hoc mũdo animam tuã. Hinc enim quidam maligni atque peruerſi homines, & in ſemetipſos crudeliores & ſceleratiores homicidæ flãminis ſe donant, aquis ſe præfocant, præcipitio ſe collidũt, & pereunt. Hoc Chriſtus nõ docuit: immo etiam diabolo præcipitium ſibi ſuggerenti reſpondit, Vade ſatana: ſcriptum eſt enim, Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus erat Deum: Cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas quo volebas: cũ autem ſenueris, alter cinget te, & ducet quo tu non vis. Vbi ſatis expreſſit, non à ſe ipſo, ſed ab alio debere occidi, qui veſtigia ſequitur Chriſti. Te Deum.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Ioannem.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granũ frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homil. S. Augustᵢ. Episc.

CVm ergo causæ articulus venerit, vt hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum; quorum duorum homo si cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore, ibi eligat Deo dilecto emori, quã offenso viuere. Ibi oderit in hoc mundo animam suam, vt in vitam æternam custodiat eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quid est, me sequatur, nisi Me imitetur? Christus enim pro nobis passus est; ait Apostolus Petrus, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. ℣. Corona. 37.

Lectio 8.

ECce quod dictum est: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quo fructu? qua mercede? quo præmio? Et vbi sum, inquit, ego, illic & minister meus erit. Gratis ametur, vt operis quo ministratur illi, pretium sit, esse cum illo. Vbi enim bene erit sine illo, aut quando male esse poterit cum illo? Audi euidentius. Et si quis mihi ministrauerit, honorificabit eũ Pater meus. Quo honore, nisi vt sit cum filio eius? Quod enim superius ait: Vbi ego sum, illic & minister meus erit: hoc intelligitur exposuisse, cum dicit, Honorificabit eum Pater meus. Nam quem maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quàm vt sit vbi est vnicus, nõ æqualis factus diuinitati, sed consociatus æternitati? ℣. Hic est. 37.

Lectio 9.

QVid sit ministrare Christo, cui operi merces tanta proponitur, hoc potius debemus inquirere. Si enim hoc putauerimus esse Christo

Digitized by Google

miniſtrare, ea quæ ſunt corpori neceſſaria præparare, aut cœnanti cibum coquere, vel apponere, vel poculum dare, potumque miſcere: fecerunt hoc illi, qui potuerunt eum in corpore habere præſentem, ſicut Martha & Maria, quando & Lazarus vnus erat ex diſcumbẽtibus. Sed eo modo Chriſto etiã Iudas perditus miniſtrauit. Nam & loculos ipſe habebat: & quamuis ex eis quę mittebantur, ſceleratiſſime furaretur, per illũ tamen etiam neceſſaria parabantur. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. ſec. Ioannem.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amẽ, amen dico vobis, niſi granũ frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolũ manet. Et reliqua.

De Homil. S. Aug. Epiſcopi.

NVllo modo igitur de huiuſcemodi miniſtris diceret Dominus: Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit: &, Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus: quoniam Iudam talia miniſtrantem, reprobatum potius quam honoratũ videmus. Vt quid ergo alibi quærimus, quid ſit miniſtrare Chriſto, & non potius in iſtis ipſis verbis agnoſcimus. Cum enim dixit: Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur hoc intelligi voluit, ac ſi diceret: Si quis me non ſequitur, non mihi miniſtrat. Miniſtrant ergo Ieſu Chriſto, qui non ſua quærunt, ſed quæ Ieſu Chriſti. R. Corona. 37. Le. 8

MIniſter eſt Chriſti vſq; ad illud opus magnę caritatis, quod eſt animam ſuam pro fratribus ponere: hoc eſt enim & pro Chriſto ponere: quia & hoc propter ſua membra dicturus eſt: cum' pro iſtis feciſtis, pro me feciſtis. De tali quippe opere etiam ſe miniſtrum facere & appellare dignatus eſt, vbi ait: Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam ponere

pro

Digitized by Google

ro multis. Hinc eſt ergo vnuſquiſque miniſter Chriſti, vnde eſt miniſter & Chriſtus. Sic miniſtrantem Chriſto honorificabit Pater eius honore illo magno, vt ſit cum Filio eius, nec vnquam deficiat felicitas eius. R. Hic eſt. 37.

Lectio 9.

CVm ergo auditis, fratres, Dominum dicentem: Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit: nolite tantum modo bonos Epiſcopos & clericos cogitare: etiam vos pro modulo veſtro miniſtrate Chriſto, bene viuendo, eleemoſynas faciendo, nomen doctrinamque eius, quibus potueritis prædicando: vt vnuſquiſque etiam paterfamilias hoc nomine agnoſcat paternum affectū ſuæ familiæ ſe debere. Pro Chriſto, & pro vita æterna ſuos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat beneuolētiam, exerceat diſciplinam: ita in domo ſua Eccleſiaſticum, & quodammodo Epiſcopale implebit officium, miniſtrans Chriſto, vt in æternū ſit cum ipſo. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euan. ſec. Ioan. Le. 7

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amē, amen dico vobis, niſi granū frumenti cadens in terram, mortuum fuerit ipſum ſolū manet. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſ. *Hom. 65. in Ioan. poſt med.*

TAlem, de reſurrectione diſputans, rationē Paulus etiam attulit. Quam igitur habebunt excuſationem qui reſurrectionem non credunt; cum in ſeminibus, & in plantis quotidie hoc videamus, ac etiam in noſtro genere? Primum enim corrumpi ſemen oportet inde fieri generationē. Omnino autem, cum Deus aliquid facit, nulla opus eſt ratione. Quomodo nos ex nihilo fecit? Hoc ad Chriſtianos dico, qui ſe dicunt credere ſcripturis. R. Corona. 37.

Lect. 8.

EGo autem & aliud dicam ex humanis rationibus.

nibus, Alij malitiam, alij virtutem sectantur: sed malitiæ sectatorum multi feliciter in vltimam peruenerunt senectutem, virtutis autem contra. Quomodo ergo pro meritis vnusquisq; accipiet? quando? Certe, inquiunt, sed corpora non resurgent. Nonne audiunt Paulum dicentem: Oportet autem corruptibile hoc induere incorruptionem? Neque animam intelligit, quippe quæ non corrumpitur: & resurrectio de mortuo dicitur, Cecidit autem corpus.

℟. Hic est. 37. Lec. 9.

QVare corporis resurrectionem negas? An non possibilis Deo est? quod dicere summæ amẽtiæ est. Annon decet? quamobrẽ? vt corruptibile, quod & laboris est, & mortis particeps, in præmijs cõmunicet. Si non decuisset, neque à principio factum esset: nõne carnẽ ipse accepit? quod acceperit, & ipsam suscitauerit, audi, quid dicat: Infer digitum tuum huc, & vide, quia spiritus ossa & neruos non habet. Quare Lazarum suscitauit, si melius fuisset sine corpore suscitare? Nolite, dilectissimi, ab hæreticis decipi: est enim resurrectio, est iudicium. Hæc tollunt quicunque nolunt operum suorum rationem reddere. Te Deum.

QVINTA DIE.

In Festo Nocturno.

Lect. S. Euan. sec. Ioannem.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amẽ, amen dico vobis, nisi granũ frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Hom. S. Io. Chrysostomi.

Hom. 66. in Ioannem.

DVlcis præsens vita est, & multæ plena voluptatis, non tamen omnibus, sed ijs tantum, qui illi sunt affixi. Quod si quis in cælũ suspexerit, & quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit, statim hanc contemnet, ac nullius pretij existimabit. Nam & corporum pulchritudo, quoad pulchrius non deprehenditur, in admi-

ra-

ratione habetur: cum vero aliud præstantius apparuerit, illa prior despicitur. Quod si illam pulchritudinem etiam nos intueri voluerimus, & cælestis regni speciem considerare, confestim nos huius sæculi vinculis dissoluemus. ℟. Corona. 37.

Lect. 8.

VInculum namque est terrenarum rerum affectio: ad cuius dissolutionem vt nos induceret Christus, quid dicat attende. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Aenigmati simile hoc dictum videtur: non tamen ita est, immo vero præcipuæ sapientiæ plenum. Et quomodo qui amat animã suam perdet eam? Qui absurdis eius cupiditatibus obtemperat, qui præter debitum ei indulget: quemadmodum è contrario, qui odit eam in hoc mundo, custodit eam; hoc est, qui non paret ei, cum noxia iubet. ℟. Hic est. 37.

Lect. 9.

ET non dixit, qui non paret, sed qui odit. Sicuti enim quos odio habemus, ne vocem quidem audire, nec vultum eorum videre æquo animo patimur: ita & animæ, si quid præter Dei voluntatem nobis imperat, vehementer auersari oportet. Cum enim iam de morte ad eos verba facturus esset, de morte videlicet sua, & præuideret eorum tristitiam & examinationem, per excessũ locutus est, inquiẽs: Quid dico, si mortem meam generose non feretis? nisi vosipsi moriamini, nullum vos sequetur emolumẽtum. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euan. sec. Ioannem.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amẽ, amen dico vobis, nisi granũ frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homilia Sancti Ioann. Chrysostomi.

ET vide quomodo lenit sermonem suum, grauius enim & molestius videbatur dicere, homini animam amanti esse moriendum: & quid antiquitus dico, quando & nunc multos inueniemus libenter omnia tolerantes, vt hac vita fruantur, & maxime qui futuram credũt? qui cum vident ædificia, molesque & machinas, lachrymãtur dicentes: quot homo, & quanta? & fit puluis. Sic magna præsentis vitæ cupiditas. ℟. Corona. 37. Lect. 8.

HÆc vincula Christus dissoluens, inquit: qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam: quod enim ad eorum tollendum metum hæc diceret, audi quæ sequũtur: Qui mihi ministrat, me sequatur: de morte locutus, & operum sequelam atque imitationem exigit; oportet enim omnino ministrũ, eum, cui ministrat, sequi.

℟. Hic est. 37. Lect. 9.

ET considera, quando hæc loquitur, non cum persecutionem patiebãtur, sed cum confidebant, cum se in tuto esse arbitrabãtur, quod à multis honorarẽtur, colerenturque: quando & consurgere poterant, & audire: & tollat crucem suam, & sequatur me, hoc est, semper paratus sis, inquit, ad pericula, ad mortem, ad terrena exilia. Inde cum grauia dixisset, præmium ponit: quod qui sequetur ipsum, erit vbi ipse est: quibus verbis ostendit resurrectionem post mortem: Vbi ego sum, inquit, illic & minister meus. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. sec. Ioannem.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Amẽ, amen dico vobis, nisi granũ frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solũ manet. Et reliqua.

Homilia S. Augu. Episcopi.

Ser. 37. lib. 50. hom.

MOdo, fratres carissimi, cum diuina lectio legeretur, audiuimus Domi-

ninum dicentem: Qui amat animam ſuam perdet illam. Huic ſententiæ quaſi contrarium videtur eſſe, quod ait Apoſtolus, Nemo vnquã carnem ſuam odio habuit. Si ergo nemo eſt, qni carnẽ ſuam oderit, quanto magis nemo eſt, qui oderit animã ſuam? multum quippe anima carni præponitur, quia ipſa eſt habitatrix, caro habitaculum. Et anima dominatur, caro autem ſeruit. Anima ſuperior eſt, caro ſubiecta. ℟. Corona. 37.

Lectio 8.

SI ergo nemo vnquam carnem ſuam odio habuit; quis eſt, qui animam ſuam oderit? Propter hoc non paruam quæſtionem nobis intulit præſens Euangelica lectio; vbi audiuimus: Qui amat animam ſuã, perdet illam: ſunt ergo qui peruerſe animam ſuam amant, & hoc vult Dei ſermo corrigere, non vt oderint animam ſuam, ſed vt recte diligant. Male enim diligendo perdunt eam, & fit quiddam magnum quaſi præpoſterũ & contrarium, ſed ita tamẽ fit, vt, ſi diligas eã peruerſe, pdas illã, ſi oderis illã recte, conſerues illã. Eſt ergo quidam peruerſus amor eius, & quoddam rectum odium eius: ſed amor peruerſus ab odio, odium rectum ab amore eſt. ℟. Hic eſt. 37.

Lectio 9.

QVis igitur modus diligendi animam? Putatis martyres non amare animas ſuas? Videtis certe modo, ſi cuius vita præſentis ſæculi periclitetur, quomodo amici eius currũt pro ea, quomodo curritur ad Eccleſiam, rogatur Epiſcopus, vt intermittat, ſi quas habet actiones, currat feſtinet: quare? pro anima: & omnes contremiſcunt, omnibus cæteris rebus intermiſſis, feſtinandum eſſe decernunt; quid eſt, pro anima? ne moriatur homo; non nouerant martyres amare animás ſuas, & tamen hoc eſt pro anima, ne moriatur homo. Mors hominis iniquitas eſt; ſi curris pro hac vita centum millia, quot mil-

lia debes currere pro vita æterna? Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Ioann.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amē, amen dico vobis, nisi granū frumenti cadens in terram, mortuū fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homil. S. Augustini Epi.

DIscamus ergo fratres amare animas nostras. omnis voluptas sæculi transitoria est: est amor vtilis, est amor noxius; amor amore impeditur; amor noxius recedat, & amor vtilis succedat; sed quia homines nolunt illinc recedere, ideo in illos non potest aliud introire: vt non capiant, pleni sūt: fundant, & capiunt. Vis vt intret mel, vnde acetum nondum fudisti? funde quod habes, vt capias quod non habes. Ideo prima renuntiatio est huic sæculo, & deinde conuersio ad Deum: qui renuntiat, fundit; qui conuertitur, impletur: sed si non fiat corpore solo, sed & corde. ℟. Corona. 37.

Lectio 8.

QVæritur autē, quomodo crescat iste amor. Habet enī initia sua, habet augmēta sua habet pfectionē suā. Primo illud attendat caritas vestra, amores oēs & dilectiones prius sunt in hominibus de se, & sic de alia re, quam diligunt. Si diligis aurum, prius te diligis, & sic aurū; quia si tu mortuus fueris, nullus erit, qui aurum possideat. Ergo dilectio vnicuique à se incipit, & non potest nisi a se incipere, & nemo monetur, vt se diligat. Primum ergo dilige Deum deinde teipsum, post hæc dilige proximum tuum sicut te ipsum: prius tamen discere amare te ipsum, sic dilige próximum tuum sicut te ipsum: nam si te ipsum non nosti amare, quomodo proximum poteris in veritate diligere. ℟. Hic est. 37.

Lectio 9.

SI ergo vis veræ caritatis ordinem custodire, fac iustitiam dilige misericor-

Digitized by Google

cordiam, fuge luxuriam, incipe, ſecundum præceptũ Domini, non ſolum amicos, ſed etiam inimicos diligere; & hæc cum fideliter cuſtodire toto corde contenderis, iſtis virtutibus quaſi quibuſdam gradibus poteris aſcendere, vt merearis Deũ toto animo, & tota virtute diligere. Et cum ad iſtam felicem perfectionem veneris omnes concupiſcentias iſtius mundi tanquam ſtercora computabis. Et cum Propheta poteris dicere: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Te Deum.

INFRA OCTAVAM MARTYRVM.

Tempore paſchali.

SECVNDA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Legũtur tres lect. S. Ambroſij. **Dignum & cõgruũ, &c.** quæ habentur in Breuiar. in communi Mart. tempore paſchali cum ſequentibus Reſponſorijs. Quod ſi lectæ fuerint in die feſto, legantur hac die ſequẽtes lect. **Et licet nos &c.** poſitæ infra in tertia die.

℟. 4. Lux perpetua lucebit ſãctis tuis Domine, Et æternitas temporum, allel. allel.

℣. Lætitia ſempiterna erit ſuper capita eorum: gaudiũ & exultationem obtinebũt. Et æternitas.

℟. 5. In ſeruis ſuis, alleluia. Cõſolabitur Deus, alleluia.

℣. Iudicabit Dominus populum ſuũ, & in ſeruis ſuis Conſolabitur.

℟. 6. Filiæ Ieruſalẽ venite, & videte Martyres cum coronis, quibus coronauit eos Dominus. In die ſolemnitatis & lætitię, alleluia.

℣. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

TERTIA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Si ſequentes tres lect. lectæ fuerint in 2. die, legantur hodie lect. vt in 4. die infra. **Quibus ego &c.** De Serm. S. Ambr. Epiſcopi.

Lectio 4.

ET licet nos in reſolutione corporis mortis vmbra circundet, tamen greſſus ſuos vita nõ deſerit, ſed

Digitized by Google

sed inter ipsas medias inferni leges incũctanter Christi virtutibus ambulamus. Vnde ait Sanctus Propheta: Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecũ es. Quod manifestius Dominus ait de fideli, dicens: qui autem credit in me, non morietur: & licet moriatur, viuet. ℟. Lux perpetua. 89. Lect. 5.

ERgo fratres cum Sanctis martyribus Paschæ Domini gloriam conferamus, conferamus inquã; & licet melius nouerint omnia, tamen nos illis prædicemus, quemadmodum de sepulchri gremio resurrexit ad superos. Illi nobis reuelent, quo pacto de inferni profundo remeauerit ad sepulchrum. Notum, inquam, nobis faciant, quemadmodum in exanime iam corpus & frigidum sese calor insinuauerit, spiritus ingesserit, sanguis infuderit, & gelatas humore venas pristini vigoris pulsus agitauerit. ℟. In seruis. 89. Lect. 6.

NOtum, inquam, nobis faciant, quemadmodum organum corporis dissipatum in priorem statum neruorum rursus coaptauerit resoluta compago, & armoniam viscerum iam silentem in veterem concentum spiritus viuificans animauerit. Sacerdotes ergo prædicent, quæ Saluator post resurrectionem mirabilia gessit ad superos; martyres reuelent, quanta in ipsa morte refrigeria operatus sit in defunctos. Filiæ. 89.

QVARTA DIE.

In secundo Nocturno. Legunrur tres lect. S. Cypriani. **Quibus ego vos laudibus &c.** Quæ habentur in Breuiar. in communi mart. temp. pasch. Quod si lectæ fuerint in die festo, pro hac die, & reliquis totius octauæ sumantur lectiones de octauis commun. vnius vel plur. mart. extra tempus paschale.

INFRA OCTAVAM MARTYRVM.

Tempore paschali.

Ho-

lomil.in Fuan. Ioan.c.15.

Ego ſum vitis vera, &c.

i die feſto habentur lect.de lomil. S.Auguſtini. Iſte lo- is Euãgelicus &c. in Bre- iario de communi mart. emp.paſch.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

ect. S.Eu.ſec.Ioan. c. 15.

Lectio 7.

IN illo tempore : Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: E- o ſum vitis vera , & Pater ieus agricola eſt . Et reli- ua .

)e Homilia S.Auguſt. Epiſ.

*Ex tr.*80. *in Io.*

DEnique cum de patre tanquam de agricola ixiſſet , quod infructuoſos almites tollat , fructuoſos utem purget , vt plus affe- ant fructum , continuo etiã : ipſum mundatorem pal- itum oſtendens . Iam vos, iquit, mundi eſtis propter rmonem,quem locutus sũ obis . Ecce & ipſe munda- or eſt palmitum , quod eſt gricolæ,non vitis officium, ii etiam palmites opera- os ſuos facit: nam etſi non dant incrementum , impen- dũt tamen aliquod adiumẽ- tum, ſed non de ſuo,quia ſi- ne me , inquit, nihil poteſtis facere . ℟. Ego ſum vitis vera, & vos palmites : Qui manet in me & ego in eo , hic fert fructum multum,al- leluia,alleluia. ℣. Sicut di- lexit me pater, & ego dilexi vos. Qui. Lec.8.

AVdit etiam ipſos confi- tentes , quid autem eſt Apollo?quid autem Pau- lus ? Miniſtri: per quos cre- didiſtis , & vnicuique ſicut Dominus dedit ; Ego plan- taui, Apollo rigauit: & hoc ergo , ſicut vnicuique Do- minus dedit; non itaque de ſuo . Iam vero quod ſequi- tur : ſed Deus incrementum dedit, non per illos, ſed per ſeipſum facit : excedit hoc humanam humilitatem,ex- cedit angelicam ſublimita- tem , nec omnino pertinet, niſi ad agricolam Trinitatẽ. ℟. Candidi facti ſunt Na- zaræi eius,alle. ſplendorem Deo dederunt, all. Et ſicut lac coagulati ſunt, alle.allel. ℣. Candidiores niue , niti-

dio-

diores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores. Et ſicut. Gloria. Et ſicut. Lec. 9.

IAm vos mundi eſtis: mundi ſcilicet, atque mundandi: neque enim niſi mundi eſſent, fructum ferre potuiſſent: & tamen omnem, fructum ferre potuiſſent: & tamen omnem, qui fert fructũ, purgat agricola, vt fructum plus afferat: fert fructum, quia mũdus eſt: atque vt plus afferat, purgatur adhuc. Quis enim eſt in hac vita ſic mundus, vt non ſit magis, magiſque mundandus? Vbi ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus; & veritas in nobis nõ eſt. Mundet itaque mundos, hoc eſt fructuoſos, vt tanto ſint fructuoſiores, quanto fuerint mundiores. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euangel. ſec. Ioann.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego sũ vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

De Homil. S. Auguſt. Epiſc.

QVare non ait, mundi eſtis propter baptiſmum, quo loti eſtis: ſed ait, propter verbum, quod locutus ſum vobis: niſi quia & in aqua verbum mundat? detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elemẽtum, & fit ſacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum: nam & hoc vtique dixerat, quando pedes diſcipulis lauit: qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? ℟. Ego sũ. 91

Lectio 8.

NOn quia dicitur, ſed quia creditur: nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, ait Apoſtolus: vnde in Actibus Apoſtolorum legimus: Fide mũdans corda eorum: Chriſtus quippe nobiſcum vitis, cum Patre agricola, dilexit

cleſiã,& ſe ipſum tradidit o ea. Lege Apoſtolum,& de,quid adiungat: vt eam ctificaret,inquit,mundãs m lauacro aquæ in verbo. . Candidi.93. Lc.9.

VNdatio igitur nequaquam fluxo,& la li tribueretur elemento, ſi adderetur , in verbo. oc verbum fidei tantum let in eccleſia Dei , ut per ſam credentem,offerentẽ, nedicentem , tingentem, iam tantillum mundet intem, quamuis nondum lentem corde credere ad ſtitiam , & ore confiteri ſaluté: totum hoc fit per rbum, de quo Dominus :: iam vos mũdi eſtis proer uerbum, quod locutus m vobis. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

ec. S.Euangel. ſec. Ioann.

Lectio 7.

IN illo tẽpore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego uitis uera, & Pater meus ricola eſt. Et reliqua.

Homil. S. Auguſt. Epiſc. *Tract. 81. in Ioan.*

VItem ſe dixit eſſe Ieſus & diſcipulos ſuos palmites,& agricolam patrem: unde Iampridem , ſicut potuimus, diſputatum eſt: in hac autem lectione , cum adhuc de ſe ipſo, qui eſt uitis , & de ſuis palmitibus, hoc eſt , diſcipulis loqueretur; Manete,inquit, in me, & ego in uobis. Non eo modo illi in ipſo, ſicut ipſe in illis. Vtrunque autem prodeſt non ipſi, ſed illis : ita quippe in uite ſunt palmites , ut uiti non conferant, ſed inde accipiant unde uiuant:ita uero uitis eſt in palmitibus, ut uitale alimentũ ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis. Ego ſum. 91.

Lect. 8.

AC per hoc & manentem in ſe habere Chriſtum : & manere in Chriſto, diſcipulis prodeſt utrumq; non Chriſto : nam præciſo palmite prodeſt de uiua radice alius pullulare; qui autem præciſus eſt, ſine radice non poteſt uiuere. Denique adiungit, & dicit: ſicut palmes non poteſt ferre fructũ

ſe-

Digitized by Google

Pater noſter, qui es in cælis. ℟. Ego ſum 91.

Lectio 8.

AB huius orationis verbis, & sẽſibus nõ recedamus petitionibus noſtris, & quicquid petierimus fiet nobis: tũc enim dicẽda ſunt verba eius in nobis manere, quando facimus, quæ præcepit, & diligimus, quę promiſit: quãdo autem verba eius manent in memoria, nec inueniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice. ℟. Candidi. 91.

Lectio 9.

AD hanc differentiam valet, quod ſcriptum eſt: & memoria retinẽtibus mandata eius, ut faciant ea; multi enim memoria retinent, & cõtemnunt, vel etiã derident, & oppugnant ea. In his verba Chriſti non manent, quia tangunt, & quodãmodo non cohærent; & ideo illis non erunt in beneficium, ſed in teſtimonium, & quia ſic inſunt eis, vt non maneant in eis, ad hoc tenentur ab eis, ut iudicentur ex eis. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euangel. ſec. Ioan.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego sũ uitis uera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

Homil. S. Ioa. Chryſ. *Hom. 75. in Ioan.*

EGo ſum uitis, uos palmites: quid vult hæc parabola ſignificare? quod qui non uacat doctrinæ, uiuere non poteſt, & quod futura ſigna Chriſti uirtute proueniunt. Pater meus agricola eſt; quid? auxilio indiget Filius? Abſit: neque ſic intelligitur. Vide quam diligenter hanc parabolam exequitur: non enim radici, ſed palmitibus agricolæ curam conferre dicit. Radicis autem non alia cauſa hic meminit, quam ut diſcerẽt, ſine ipſius potentia nihil fieri poſſe: & quod ita ipſi fide uniendi ſunt, ut palmes uiti. ℟. Ego ſum. 91.

Lect. 7.

OMnem palmitem in me non ferentẽ fructum,

Digitized by Google

ctum, tollet eum pater. Hic signat vitam, ostendens sine operibus neminem in ipso esse posse: & omnẽ, qui fert fructum, purgabit; idest, incitabit ad virtutis curam. Atqui radix circumfossione, & cultu primũ indiget: sed nihil de ea nunc dicit, sed de palmitibus, sibi ipsi se suffice re ostendens. Discipuli autẽ multa præceptoris cura indigent, etiam si studiosi sint, ideo inquit; omnem, qui fructum fert, purgabit eum; qui fructum non facit, non potest esse in vite: qui fructum fert, eum reddet fœcũdiorẽ. ℟. Cãdidi. 91. Le. 9.

DIcet aliquis: purgare palmitem, incidere est, vt fœcundiorem faciat: vnde ostendit, tentationibus effici fortiores: inde, ne de quibus dicat, interrogent, & iterum solicitarẽtur, inquit: Iã vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Vides, qualem se palmitum curatorem profiteatur? Ego vos purgaui, inquit. Atqui superius hoc Patris officium ostendit: sed nulla est inter Patrem, & Filiũ differentia: iam vestra opus est diligẽtia. ℣. eDeũ.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. sec. Ioa. Le. 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Et rel. Homil. S. Cyrilli Epi. Ale. *L.* 10. *&* 14. *in Ioan.*

EA de causa vitem se appellasse manifeste Dominus ostendit, vt quasi oculis hoc exẽplo cernere-mus, manẽtes in eo vt palmites, ex vite humore tracto, spiritalem posse fructũ afferre. Resilientes vero ab eo, vel quia in fide vel quia in seruatione mandati deficiant, nõ modo nihil fructus producturos, sed æternum etiam ignem passuros; qui enim à pietate, vel caritate Christi decidit, supplicijs seipsum tradit, sicut decisus palmes ad nihil aliud, quam ad ignẽ vtilis est. ℟. Ego sum. 91.

Lectio 8.

RAdicem supernæ beneuolentiæ, ac firmamẽ-

ET vide quomodo lenit sermonem suum, grauius enim & molestius videbatur dicere, homini animam amanti esse moriendum: & quid antiquitus dico, quando & nunc multos inueniemus libenter omnia tolerantes, vt hac vita fruantur, & maxime qui futuram credũt? qui cum vident ædificia, molesque & machinas, lachrymãtur dicentes: quot homo, & quanta? & fit puluis. Sic magna præsentis vitæ cupiditas. ℟. Corona. 37. Lect. 8.

HÆc vincula Christus dissoluens, inquit: qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam: quod enim ad eorum tollendum metum hæc diceret, audi quæ sequũtur: Qui mihi ministrat, me sequatur: de morte locutus, & operum sequelam atque imitationem exigit; oportet enim omnino ministrũ, eum, cui ministrat, sequi.

℟. Hic est. 37. Lect. 9.

ET considera, quando hæc loquitur, non cum persecutionem patiebãtur, sed cum confidebant, cum se in tuto esse arbitrabãtur, quod à multis honorarẽtur, colerenturque: quando & consurgere poterant, & audire: & tollat crucem suam, & sequatur me, hoc est, semper paratus sis, inquit, ad pericula, ad mortem, ad terrena exilia. Inde cum grauia dixisset, præmium ponit: quod qui sequetur ipsum, erit vbi ipse est: quibus verbis ostendit resurrectionem post mortem: Vbi ego sum, inquit, illic & minister meus. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. sec. Ioannem.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Amẽ, amen dico vobis, nisi granũ frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solũ manet. Et reliqua.

Homilia S. Augu. Episcopi.

Ser. 37. lib. 50. hom.

MOdo, fratres carissimi, cum diuina lectio legeretur, audiuimus Domi-

Digitized by Google

minum dicentem: Qui amat animam ſuam perdet illam. Huic ſententiæ quaſi contrarium videtur eſſe, quod ait Apoſtolus, Nemo vnquã carnem ſuam odio habuit. Si ergo nemo eſt, qni carnẽ ſuam oderit, quanto magis nemo eſt, qui oderit animã ſuam? multum quippe anima carni præponitur, quia ipſa eſt habitatrix, caro habitaculum. Et anima dominatur, caro autem ſeruit. Anima ſuperior eſt, caro ſubiecta. ℟. Corona. 37.

Lectio 8.

SI ergo nemo vnquam carnem ſuam odio habuit; quis eſt, qui animam ſuam oderit? Propter hoc non paruam quæſtionem nobis intulit præſens Euangelica lectio; vbi audiuimus: Qui amat animam ſuã, perdet illam: ſunt ergo qui perueríe animam ſuam amant, & hoc vult Dei ſermo corrigere, non vt oderint animam ſuam, ſed vt recte diligant. Male enim diligendo perdunt eam, & fit quiddam magnum quaſi præpoſterũ & contrarium, ſed ita tamẽ fit, vt, ſi diligas eã peruerſe, pdas illã, ſi oderis illã recte, conſerues illã. Eſt ergo quidam peruerſus amor eius, & quoddam rectum odium eius: ſed amor peruerſus ab odio, odium rectum ab amore eſt. ℟. Hic eſt. 37.

Lectio 9.

QVis igitur modus diligendi animam? Putatis martyres non amare animas ſuas? Videtis certe modo, ſi cuius vita præſentis ſæculi periclitetur, quomodo amici eius currũt pro ea, quomodo curritur ad Eccleſiam, rogatur Epiſcopus, vt intermittat, ſi quas habet actiones, currat feſtinet: quare? pro anima: & omnes contremiſcunt, omnibus cæteris rebus intermiſſis, feſtinandum eſſe decernunt; quid eſt, pro anima? ne moriatur homo; non nouerant martyres amare animás ſuas, & tamen hoc eſt pro anima, ne moriatur homo. Mors hominis iniquitas eſt; ſi curris pro hac vita centum millia, quot mil-

Digitized by Google

lia debes currere pro vita æterna? Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Ioann.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amē, amen dico vobis, nisi granū frumenti cadens in terram, mortuū fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homil. S. Augustini Epi.

DIscamus ergo fratres amare animas nostras. omnis voluptas sæculi transitoria est: est amor vtilis, est amor noxius; amor amore impeditur; amor noxius recedat, & amor vtilis succedat; sed quia homines nolunt illinc recedere, ideo in illos non potest aliud introire: vt non capiant, pleni sūt: fundant, & capiunt. Vis vt intret mel, vnde acetum nondum fudisti? funde quod habes, vt capias quod non habes. Ideo prima renuntiatio est huic sæculo, & deinde conuersio ad Deum: qui renuntiat, fundit; qui conuertitur, impletur: sed si non fiat corpore solo, sed & corde. ℟. Corona. 37.

Lectio 8.

QVæritur autē, quomodo crescat iste amor. Habet enī initia sua, habet augmēta sua habet pfectionē suā. Primo illud attendat caritas vestra, amores oēs & dilectiones prius sunt in hominibus de se, & sic de alia re, quam diligunt. Si diligis aurum, prius te diligis, & sic aurū; quia si tu mortuus fueris, nullus erit, qui aurum possideat. Ergo dilectio vnicuique à se incipit, & non potest nisi a se incipere, & nemo monetur, vt se diligat. Primum ergo dilige Deum deinde teipsum, post hæc dilige proximum tuum sicut te ipsum: prius tamen disce amare te ipsum, sic dilige próximum tuum sicut te ipsum: nam si te ipsum non nosti amare, quomodo proximum poteris in veritate diligere. ℟. Hic est. 37.

Lectio 9.

SI ergo vis veræ caritatis ordinem custodire, fac iustitiam dilige misericor-

Digitized by Google

cordiam, fuge luxuriam, incipe, ſecundum præceptũ Domini, non ſolum amicos, ſed etiam inimicos diligere; & hæc cum fideliter cuſtodire toto corde contenderis, iſtis virtutibus quaſi quibuſdam gradibus poteris aſcendere, vt merearis Deũ toto animo, & tota virtute diligere. Et cum ad iſtam felicem perfectionem veneris omnes concupiſcentias iſtius mundi tanquam ſtercora computabis. Et cum Propheta poteris dicere: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Te Deum.

℟. 4. Lux perpetua lucebit ſãctis tuis Domine, Et æternitas temporum, allel. allel. ℣. Lætitia ſempiterna erit ſuper capita eorum: gaudiũ & exultationem obtinebũt. Et æternitas.

℟. 5. In ſeruis ſuis, alleluia. Cõſolabitur Deus, alleluia. ℣. Iudicabit Dominus populum ſuũ, & in ſeruis ſuis Conſolabitur.

℟. 6. Filiæ Ieruſalẽ venite, & videte Martyres cum coronis, quibus coronauit eos Dominus. In die ſolemnitatis & lætitię, alleluia. ℣. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

TERTIA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Si ſequentes tres lect. lectæ fuerint in 2. die, legantur hodie lect. vt in 4. die infra. **Quibus ego &c.** **De Serm. S. Ambr. Epiſcopi.**

Lectio 4.

ET licet nos in reſolutione corporis mortis vmbra circundet, tamen greſſus ſuos vita nõ deſerit, ſed

---

INFRA OCTAVAM MARTYRVM.

Tempore paſchali.

SECVNDA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Legũtur tres lect. S. Ambroſij. **Dignum & cõgruũ, &c.** quæ habentur in Breuiar. in communi Mart. tempore paſchali cum ſequentibus Reſponſorijs. Quod ſi lectæ fuerint in die feſto, legantur hac die ſequẽtes lect. **Et licet nos &c.** poſitæ infra in tertia die.

sed inter ipsas medias inferni leges incũctanter Christi virtutibus ambulamus. Vnde ait Sanctus Propheta: Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecũ es. Quod manifestius Dominus ait de fideli, dicens: qui autem credit in me, non morietur: & licet moriatur, viuet. ℣. Lux perpetua. 89. Lect. 5.

ERgo fratres cum Sanctis martyribus Paschæ Domini gloriam conferamus, conferamus inquã; & licet melius nouerint omnia, tamen nos illis prædicemus, quemadmodum de sepulchri gremio resurrexit ad superos. Illi nobis reuelent, quo pacto de inferni profundo remeauerit ad sepulchrum. Notum, inquam, nobis faciant, quemadmodum in exanime iam corpus & frigidum sese calor insinuauerit, spiritus ingesserit, sanguis infuderit, & gelatas humore venas pristini vigoris pulsus agitauerit. ℣. In seruis. 89. Lect. 6.

NOtum, inquam, nobis faciant, quemadmodum organum corporis dissipatum in priorem statum neruorum rursus coaptauerit resoluta compago, & armoniam viscerum iam silentem in veterem concentum spiritus viuificans animauerit. Sacerdotes ergo prædicent, quæ Saluator post resurrectionem mirabilia gessit ad superos; martyres reuelent, quanta in ipsa morte refrigeria operatus sit in defunctos. Filiæ. 89.

QVARTA DIE.

In secundo Nocturno.

Legunrur tres lect. S. Cypriani. **Quibus ego vos laudibus &c.** Quæ habentur in Breuiar. in communi mart. temp. pasch. Quod si lectæ fuerint in die festo, pro hac die, & reliquis totius octauæ sumantur lectiones de octauis commun. vnius vel plur. mart. extra tempus paschale.

INFRA OCTAVAM MARTYRVM.

Tempore paschali.

Ho-

Digitized by Google

Homil. in Euan. Ioan. c. 15.

Ego ſum vitis vera, &c. In die feſto habentur lect. de Homil. S. Auguſtini. **Iſte locus Euãgelicus &c.** in Breuiario de communi mart. tempore paſch.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. ſec. Ioan. c. 15.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

De Homilia S. Auguſt. Epiſ. *Ex tr. 80. in Io.*

DEnique cum de patre tanquam de agricola dixiſſet, quod infructuoſos palmites tollat, fructuoſos autem purget, vt plus afferant fructum, continuo etiã ſe ipſum mundatorem palmitum oſtendens. Iam vos, inquit, mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſũ vobis. Ecce & ipſe mundator eſt palmitum, quod eſt agricolæ, non vitis officium, qui etiam palmites operarios ſuos facit: nam etſi non dant incrementum, impendũt tamen aliquod adiumẽtum, ſed non de ſuo, quia ſine me, inquit, nihil poteſtis facere. ℟. Ego ſum vitis vera, & vos palmites: Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia, alleluia. ℣. Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Qui. Lec. 8.

AVdit etiam ipſos confitentes, quid autem eſt Apollo? quid autem Paulus? Miniſtri: per quos credidiſtis, & vnicuique ſicut Dominus dedit; Ego plantaui, Apollo rigauit: & hoc ergo, ſicut vnicuique Dominus dedit; non itaque de ſuo. Iam vero quod ſequitur: ſed Deus incrementum dedit, non per illos, ſed per ſeipſum facit: excedit hoc humanam humilitatem, excedit angelicam ſublimitatem, nec omnino pertinet, niſi ad agricolam Trinitatẽ. ℟. Candidi facti ſunt Nazaræi eius, alle. ſplendorem Deo dederunt, all. Et ſicut lac coagulati ſunt, alle. allel. ℣. Candidiores niue, niti-

dio-

diores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores. Et ſicut. Gloria. Et ſicut. Lec. 9.

IAm vos mundi eſtis: mundi ſcilicet, atque mundandi: neque enim niſi mundi eſſent, fructum ferre potuiſſent: & tamen omnem, fructum ferre potuiſſent: & tamen omnem, qui fert fructū, purgat agricola, vt fructum plus afferat: fert fructum, quia mūdus eſt: atque vt plus afferat, purgatur adhuc. Quis enim eſt in hac vita ſic mundus, vt non ſit magis, magiſque mundandus? Vbi ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus; & veritas in nobis nō eſt. Mundet itaque mundos, hoc eſt fructuoſos, vt tanto ſint fructuoſiores, quanto fuerint mundiores. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euangel. ſec. Ioann.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego sū vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

De Homil. S. Auguſt. Epiſc.

QVare non ait, mundi eſtis propter baptiſmum, quo loti eſtis: ſed ait, propter verbum, quod locutus ſum vobis: niſi quia & in aqua verbum mundat? detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elemētum, & fit ſacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum: nam & hoc vtique dixerat, quando pedes diſcipulis lauit: qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? R. Ego sū. 91

Lectio 8.

NOn quia dicitur, ſed quia creditur: nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, ait Apoſtolus: vnde in Actibus Apoſtolorum legimus: Fide mūdans corda eorum: Chriſtus quippe nobiſcum vitis, cum Patre agricola, dilexit

ec-

ecclesiã, & se ipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, & vide, quid adiungat: vt eam sanctificaret, inquit, mundãs eam lauacro aquæ in verbo. ℟. Candidi. 93. Lec. 9.

MVndatio igitur nequaquam fluxo, & labili tribueretur elemento, nisi adderetur, in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in ecclesia Dei, ut per ipsam credentem, offerentẽ, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum ualentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutẽ: totum hoc fit per uerbum, de quo Dominus ait: iam vos mũdi estis propter uerbum, quod locutus sum vobis. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euangel. sec. Ioann.

Lectio 7.

IN illo tẽpore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sũ uitis uera, & Pater meus agricola est. Et reliqua.

De Homil. S. Augustin. Episc. *Tract. 81. in Ioan.*

VItem se dixit esse Iesus & discipulos suos palmites, & agricolam patrem: unde lampridem, sicut potuimus, disputatum est: in hac autem lectione, cum adhuc de se ipso, qui est uitis, & de suis palmitibus, hoc est, discipulis loqueretur; Manete, inquit, in me, & ego in uobis. Non eo modo illi in ipso, sicut ipse in illis. Vtrunque autem prodest non ipsi, sed illis: ita quippe in uite sunt palmites, ut uiti non conferant, sed inde accipiant unde uiuant: ita uero uitis est in palmitibus, ut uitale alimentũ subministret eis, non sumat ab eis. ℟. Ego sum. 91. Lec. 8.

AC per hoc & manentem in se habere Christum: & manere in Christo, discipulis prodest utrumq; non Christo: nam præciso palmite prodest de uiua radice alius pullulare; qui autem præcisus est, sine radice non potest uiuere. Denique adiungit, & dicit: sicut palmes non potest ferre fructũ a se-

à ſemetipſo, niſi manſerit in uite; ſic nec uos, niſi in me manſeritis. Magna gratiæ commendatio, fratres mei, corda inſtruit humilium, ora obſtruit ſuperborum. ℟. Candidi.91. Lect. 6.

ECce ſi qui audent, reſpõdent, qui ignorãtes Dei iuſtitiam, & ſuam uolentes conſtituere, iuſtitiæ Dei nõ ſunt ſubiecti: ecce cui reſpõdeant ſibi placentes, & ad bona opera facienda Deum ſibi neceſſarium non putantes; nonne huic reſiſtunt ueritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, qui reſpondent, & loquuntur iniquitatem dicentes: A Deo habemus, quod homines ſumus, à nobis ipſis autem, quod iuſti ſumus? Hæc ſunt inania præſumptionis ueſtræ: & ſi eſt in uobis ullus ſenſus, horrete: qui enim à ſemetipſo ſe fructum exiſtimat ferre, in uite non eſt, qui in uite non eſt, in Chriſto non eſt. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. ſec. Ioan. Lec. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego sũ uitis uera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua. Homil. S. Auguſt. Epiſcopi. *Tr. 81. in Ioan. ſub med.*

NE quiſquam putaret ſaltem paruum aliquẽ fructũ poſſe à ſemetipſo palmitem ferre: cum hæc dixiſſet, Hic fert fructum multum; non ait, Quia ſine me parum poteſtis facere; ſed, Nihil poteſtis facere. Siue ergo parum, ſiue multum, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt: quia etſi parum attulerit palmes, cum purgat agricola ut plus afferat: tamen niſi in uite manſerit, & uixerit de radice, quantumlibet fructum à ſemetipſo non poteſt ferre. Quamuis autẽ Chriſtus uitis non eſſet, niſi homo eſſet: tamen iſtam gratiam palmitibus non præberet, niſi etiam Deus eſſet. ℟. Ego ſum.91. Lec. 7.

VErum, quia ita ſine iſta gratia non poteſt uiui, ut & mors in poteſtate ſit liberi arbitrij: Si quis in me,

Digitized by Google

me, inquit, nō manserit, mittetur foras sicut palmes: & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Ligna itaque uitis tanto sūt contemptibiliora si in uite non manserint, quanto glorioſiora si manserint. Denique sicut de his etiam per Ezechielem prophetam Dominus dicit, præciſa nullis agricolarum usibus prosūt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Vnum de duobus palmiti congruit, aut uitis, aut ignis: si in uite non est, in igne erit: ut ergo in igne non sit, in uite sit.

Ex Candidi. 91. Lect. 9.

SI manseritis in me, inquit, & uerba mea in uobis manserint: quodcumque uolueritis, petetis, & fiet uobis. Manendo quippe in Christo, quid uelle possunt, nisi quod conuenit Christo? Quid uelle possunt manendo in Saluatore, nisi quod non est alienum à salute? Aliud quippe uolumus quia sumus in Christo: & aliud uolumus, quia sumus adhuc in hoc sæculo. De manſione namque huius sæculi nobis aliquando subrepit, ut hoc petamus quod nobis non expedire nescimus Sed absit ut fiat nobis, si manemus in Christo, qui non facit quando petimus, nisi quod expedit nobis. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euangel. sec. Ioann.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Ego sū uitis uera, & Pater meus agricola est. Et reliqua.

De Homil. S. Augusti. Episc.

MAnētes ergo in eo cū uerba eius in nobis manent, quodcumque uoluerimus, petimus, & fiet nobis: quia si petimus, & nō fiet, non hoc petimus, quod habet māsio in eo, nec quod habent uerba eius, quæ manent in nobis, sed quod habet infirmitas, & cupiditas carnis, quæ non est in eo, & in qua non manent uerba eius; nam utique ad uerba eius pertinet oratio illa, quam docuit, ubi dicimus;

Pa-

Pater noſter, qui es in cælis. ℟. Ego ſum 91.

Lectio 8.

AB huius orationis verbis, & sẽſibus nõ recedamus petitionibus nõſtris, & quicquid petierimus fiet nobis: tũc enim dicẽda ſunt verba eius in nobis manere, quando facimus, quæ præcepit, & diligimus, quę promiſit: quãdo autem verba eius manent in memoria, nec inueniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice. ℟. Candidi. 91.

Lectio 9.

AD hanc differentiam valet, quod ſcriptum eſt: & memoria retinẽtibus mandata eius, ut faciant ea; multi enim memoria retinent, & cõtemnunt, vel etiã deridẽt, & oppugnant ea. In his verba Chriſti non manent, quia tangunt, & quodãmodo non cohærent; & ideo illis non erunt in beneficium, ſed in teſtimonium, & quia ſic inſunt eis, vt non maneant in eis, ad hoc tenentur ab eis, ut iudicentur ex eis. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euangel. ſec. Ioan.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego sũ uitis uera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

Homil. S. Ioa. Chryſ. *Hom. 75. in Ioan.*

EGo ſum uitis, uos palmites: quid vult hæc parabola ſignificare? quod qui non uacat doctrinæ, uiuere non poteſt, & quod futura ſigna Chriſti uirtute proueniunt. Pater meus agricola eſt; quid? auxilio indiget Filius? Abſit: neque ſic intelligitur. Vide quam diligenter hanc parabolam exequitur: non enim radici, ſed palmitibus agricolæ curam conferre dicit. Radicis autem non alia cauſa hic meminit, quam ut diſcerẽt, ſine ipſius potentia nihil fieri poſſe: & quod ita ipſi fide uniendi ſunt, ut palmes uiti. ℟. Ego ſum. 91.

Lect. 7.

OMnem palmitem in me non ferentẽ fructum,

Digitized by Google

ctum, tollet eum pater. Hic signat vitam, ostendens sine operibus neminem in ipso esse posse: & omnẽ, qui fert fructum, purgabit; idest, incitabit ad virtutis curam. Atqui radix circumfossione, & cultu primũ indiget: sed nihil de ea nunc dicit, sed de palmitibus, sibi ipsi se suffice re ostendens. Discipuli autẽ multa præceptoris cura indigent, etiam si studiosi sint, ideo inquit; omnem, qui fructum fert, purgabit eum; qui fructum non facit, non potest esse in vite: qui fructum fert, eum reddet fœcũdiorẽ. ℟. Cãdidi. 91. Le. 9.

DIcet aliquis: purgare palmitem, incidere est, vt fœcundiorem faciat: vnde ostendit, tentationibus effici fortiores: inde, ne de quibus dicat, interrogent, & iterum solicitarẽtur, inquit: Iã vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Vides, qualem se palmitum curatorem profiteatur? Ego vos purgaui, inquit. Atqui superius hoc Patris officium ostendit: sed nulla est inter Patrem, & Filiũ differentia: iam vestra opus est diligẽtia. T eDeũ.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. sec. Ioa. Le. 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Et rel. Homil. S. Cyrilli Epi. Ale. *L.* 10. *&* 14. *in Ioan.*

EA de causa vitem se appellasse manifeste Dominus ostendit, vt quasi oculis hoc exẽplo cerneremus, manẽtes in eo vt palmites, ex vite humore tracto, spiritalem posse fructũ afferre. Resilientes vero ab eo, vel quia in fide vel quia in seruatione mandati deficiant, nõ modo nihil fructus producturos, sed æternum etiam ignem passuros; qui enim à pietate, vel caritate Christi decidit, supplicijs seipsum tradit, sicut decisus palmes ad nihil aliud, quam ad ignẽ vtilis est. ℟. Ego sum. 91.

Lectio 8.

RAdicem supernæ beneuolentiæ, ac firmamẽtum

tum esse ait; si quasi spirituale depositum, euangelicæ disciplinæ dogmata, & mandata seruarint: seruantibus autem sine mora petita bona pollicetur affutura: si mã feritis, inquit, in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis'. Fieri enĩ potest, vt in Christo maneas, & verba eius in te non habeas. Duplex enim via est, per fidem, & per caritatem, propter quam mandata seruantur. ℣. Candidi. 91.

Lectio 9.

OVæ cũm ita sint, qui verbis nudis Christũ confitentur, sed mandatorũ obseruatione, idest caritate ad perfectionem non conformantur; quamuis Christo fide inhæreant, inque eo hac ratione maneant, verba tamen eius non habent: non obliti quidem illi prædicationis euangelicæ, sed illecebris voluptatum capti, spiritus gratiam abijciunt. Quare oportet ad fidem opera caritatis accedere: quam, qui sic facit, is & in Christo per fidem manet, & in corde suo verba eius conseruat, vt in Psalmis dicitur: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Te Deum.

INFRA OCTAVAM MARTYRVM.

Tempore Paschali.

Homi. in Euang. Ioan. c. 15. Ego sum vitis vos palmites. In die festo habentur tres lect. Homil. S. Augustini. Ne quisquam putaret &c. vt in Breu. de cõmuni Mar. temp. pasch.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eua. sec. Ioann. c. 15.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: Quia sine me nihil potestis facere. Et reliqua.

De Homil. S. Augustini Epi. *Ex tract.* 80. *in Ioan.*

MAnẽtes ergo in eo cũ uerba eius in nobis manent, quodcumque uo-

lue-

Digitized by Google

luerimus, petimus, & fiet nobis: quia ſi petimus,& nõ fiet, non hoc petimus, quod habet mãſio in eo, nec quod habent uerba eius, quæ manent in nobis, ſed quod habet infirmitas, & cupiditas carnis, quæ non eſt in eo, & in qua non manent uerba eius; nam utique ad uerba eius pertinet oratio illa, quam docuit, ubi dicimus; Pater noſter,qui es in cælis. ℟. Ego ſum 91. Le.8.

AB huius orationis verbis,& sẽſibus nõ recedamus petitionibus noſtris & quicquid petierimus fiet nobis:tũc enim dicẽda ſunt verba eius in nobis manere, quando facimus,quæ præcepit,& diligimus,quę promiſit: quãdo autem verba eius manent in memoria,nec inueniuntur in vita, non computatur palmes in vite,quia vitam non attrahit ex radice. ℟. Candidi. 91. Le.9.

AD hanc differentiam valet, quod ſcriptum eſt:& memoria retinẽtibus mandata eius, ut faciant ea; multi enim memoria retinent,& cõtemnunt, vel etiã derident,& oppugnant ea. In his verba Chriſti non manent, quia tangunt, & quodãmodo non cohærent; & ideo illis non erunt in beneficium, ſed in teſtimonium, & quia ſic inſunt eis, vt non maneant in eis, ad hoc tenentur ab eis,ut iudicentur ex eis. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S.Eua. ſec. Ioa. Le.7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis:Ego ſum vitis,vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere. Et reliqua.

De Homil. S. Auguſtini Epi.

Tract. 32. in Ioan.

IN hoc, inquit glorificatus eſt Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli; ſiue glorificatus, ſiue clarificatus dicatur,ex vno Græco uerbo vtrumque trãslatum eſt. Doxa enim quæ Græce dicitur, Latine Gloria eſt. Hæc eſt ad Deum gloria,

qua glorificatur nõn homo, sed Deus, si nõ ex operibus, sed ex fide iustificãtur, vt ex Deo illi sit, quod etiam bene operatur, quoniã palmes, sicut iam superius dixi, non potest ferre fructum à semetipso: vnde & alibi, cum dixisset; Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, ne à semetipsis putarent esse bona opera sua: mox addidit: & glorificent Patrẽ vestrum, qui in cælis est.

℟. Ego sum. 91. Lect. 8.

MAnete, inquit, in dilectione mea: quomodo manebimus? audi, quid sequitur: si præcepta mea, inquit, seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Dilectio facit præcepta seruare; an præcepta seruata faciunt dilectionem? sed quis ambigat, quod dilectio præcedit? vnde enim præcepta seruet, non habet, qui non diligit: quod ergo ait, si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, ostendit, nõ vnde dilectio generetur, sed vnde monstretur.

℟. Candidi. 91. Lect.

QVamuis quod ait: Manete in dilectione mea, non apparet, quam dixerit dilectionem, vtrum, qua eum diligimus, an qua ipse diligit nos; sed ex verbo superiore dignoscitur: dixerat quippe, & ego dilexi vos: cui verbo continuo subiunxit; Manete in dilectione mea; illa ergo, qua dilexit eos: quid est ergo, manete in dilectione mea, nisi manete in gratia mea? & quid est, si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: nisi, ex hoc scietis, quod in dilectione mea qua vos diligo, manebitis, si præcepta mea seruabitis? Non ergo vt nos diligat, prius eius præcepta seruamus: sed nisi nos diligat, præcepta eius seruare non possumus. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Ioan. Lc. 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis, vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic

hic fert fructum multũ: quia sine me nihil potestis facere. Et reliqua.

De Homi. S. Augustini Epi. *Tract. 83. in Ioan.*

AVdistis, cariſſimi, Dominum dicentem discipulis suis: Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meũ in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur: quod est gaudium Christi in nobis, nisi quod dignatur gaudere de nobis? & quod est gaudiũ nostrum, quod dicit implendum, nisi eius habere consortiũ? propter quod Petro dixerat, si non lauero te, non habebis partẽ mecũ: gaudiũ ergo eius in nobis, gratia est quam præstitit nobis, & ipse est gaudium nostrum: sed de hac ille etiam ex æternitate gaudebat, quando nos elegit ante constitutionẽ mundi. ℟. Ego sum. 91. Le. 8.

NEc recte possumus dicere, quod gaudium eius plenum non erat: non enim Deus imperfecte aliquando gaudebat; sed illud eius gaudium in nobis non erat, quia nec nos, in quibus esse posset, iam eramus; nec quando esse cœpimus, cum illo esse cœpimus, gaudium igitur eius de salute nostra quod in illo semper fuit, cũ præsciuit, & prædestinauit nos, cœpit esse in nobis, quãdo vocauit nos: & hoc gaudiũ merito nostrũ dicimus, quo & nos beati futuri sumus: sed hoc gaudium nostrum crescit, & proficit, & ad suam perfectionem perseuerando pertendit. Ergo inchoatur in fide renascentium, implebitur in præmio resurgentium. ℟. Candidi. 91. Le. 9.

ECce vnde dictum existimo; Hęc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrũ impleatur: in vobis sit meũ, impleatur vestrum; semper enim erat meũ plenũ, & antequã vocaremini, cũ vocãdi à me præsciremini: sed fit & in vobis, cũ hoc efficimini, quod præsciui de vobis: implebitur autem vestrum, quia beati eritis, quod nondum estis, sicut creati estis, qui non fuistis. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. sec. Ioannem.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis, vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Et reliqua.

Homil. S. Ioan. Chrys.

Hom. 75. in Ioan.

QVid vult hæc parabola significare? quod qui non uacat doctrinæ, uiuere non potest, & quod futura signa Christi uirtute proueniunt. Pater meus agricola est; quid? auxilio indiget Filius? Absit: neque sic intelligitur. Vide quam diligenter hanc parabolam exequitur: non enim radici, sed palmitibus agricolæ curam conferre dicit. Radicis autem non alia causa hic meminit, quam ut discerēt, sine ipsius potentia nihil fieri posse: & quod ita ipsi fide uniendi sunt, ut palmes uici. ℟. Ego sum. 91.

Lectio 8.

OMnem palmitem in me non ferentē fructum, tollet eum pater. Hic signat vitam, ostendens; sine operibus neminem in ipso esse posse: & omnem, qui fert fructū, purgabit; idest, incitabit ad virtutis curam. Atqui radix circumfossione, & cultu primum indiget: sed nihil de ea nunc dicit, sed de palmitibus, sibi ipsi se officere ostēdēs. Discipuli autem multa præceptoris cura indigent, etiam si studiosi sint, ideo inquit; omnē, qui fructum fert, purgabit eum; qui fructum non facit, non potest esse in vite: qui fructum fert, eum reddet fœcundiorē. ℟. Candidi. 91.

Lectio 9.

DIcet aliquis: purgare palmitem, incidere est, vt fœcundiorem faciat: vnde ostendit, tentationibus effici fortiores: inde, ne de quibus dicat, interrogent, & iterum solicitarētur, inquit: Iam vos mūdi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Vides, qualem se palmitum curatorem profi-

tea-

Digitized by Google

teatur? Ego vos purgaui, inquit. Atqui ſuperius hoc Patris officium oſtendit: ſed nulla eſt inter Patrem, & Filium differentia: iam veſtra opus eſt diligentia. Te Deum.

SEXTA DIE.

Intertio Nocturno.

Lec. S. Euan. ſec. Ioa. Le. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis, vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere. Et reliqua.

De Homi. S. Ioan. Chryſoſt.

COnſidera, quanta eos auctoritate alloquatur. Non enim dixit, manete in dilectione Patris, ſed mea: inde, ne dicerent: Quando nos omnibus inimicos reddidiſti, tunc nos dimittis, tunc diſcedis: hoc negat, ſed ita eis modo velint, conglutinari dicit, vt palmes viti; rurſuſque in fiducia hac pigriores ne redderentur, non duraturum bonum dixit; ſi id negligerent: & ne, ſi ad ſeipſum omnia referret, promptiores ad caſum redderet, inquit: In hoc clarificatus eſt Pater: ſemper enim & & ſuam & patris in eos dilectionem oſtendit. ℟. Ego ſum. 91. Lec. 8.

NOn ergo Iudæorum res gloria patris erat, ſed quæ ipſi erant accepturi. Inde ne dicerent; Patrias traditiones relinquimus, & tunc omnium nudi deſerimur: In me, inquit, reſpicite; diligit me Pater, & tamen hæc mihi ſubeunda proponuntur. Non igitur ego vos, quia non diligam, in præſentia relinquo: nam, ſi ego morior, nec tamen propterea non amari à Patre coniectu ram facio: neq; vos perturbari oportet; ſi in dilectione mea manebitis, nihil vobis horum nocere poterit. ℟. Candidi. 91.

Lectio 9.

MAgnũ namque & inſuperabile quiddam dilectio eſt, quæ non nudis verbis, ſed re oſtẽdenda eſt: ipſe inimicos reconciliauit, nos in amore perſtemus: ipſe incepit, nos ſaltem proſequa-

Digitized by Google

quamur: ipſe non ſui commodi gratia (nullius enim eget) nos ſaltem ad noſtram vtilitatem diligamus: ipſe inimicos, nos ſaltem amicos amore proſequamur: & è contrario facimus. Te Deum.

SEPTIMA DIE.
In tertio Nocturno.

Lect. S. Euan. ſec. Ioannem.
Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis, vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere. Et reliqua.

Homil. S. Cyrilli Epiſ. Alex. *L. 10. c. 14. in Io.*

EA de cauſa vitem ſe appellaſſe manifeſte Dominus oſtendit, vt quaſi oculis hoc exemplo cerneremus, manẽtes in eo vt palmites, ex vite humore tracto, ſpiritalem poſſe fructum afferre. Reſilientes vero ab eo, vel quia in fide, vel quia in ſeruatione mandati deficiant, non modo nihil fructus producturos, ſed æternum etiam ignem paſſuros; qui enim à pietate, vel caritate Chriſti decidit, ſuppliciis ſeipſum tradit, ſicut deciſus palmes ad nihil aliud, quam ad ignem vtilis eſt.

℟. Ego ſum. 91. Lec. 8.

RAdicem ſupernæ beneuolentiæ, ac firmamẽtum eſſe ait; ſi quaſi ſpiritale depoſitum, euãgelicæ diſciplinæ dogmata, & mandata ſeruarint: ſeruantibus autem ſine mora petita bona pollicetur affutura: ſi manſeritis, inquit, in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis: Fieri enim poteſt, vt in Chriſto maneas, & verba eius in te non habeas. Duplex enim via eſt per fidem, & per caritatem, propter quam mandata ſeruantur.

℟. Candidi. 91. Lect. 9.

QVæ cum ita ſint, qui verbis nudis Chriſtũ confitentur, ſed mãdatorũ obſeruatione, ideſt caritate ad perfectionem non conformãtur; quamuis Chriſto fide inhæreãt, inque eo

eo hac ratione maneant, verba tamen eius non habẽt: nõ obliti quidem illi prædicationis euangelicæ, sed illecebris voluptatum capti, spiritus gratiam obijciunt.

Quare oportet ad fidem opera charitatis accedere: nam qui sic facit, is & in Christo per fidem manet, & in corde suo verba eius cõseruat, vt in Psalmis dicitur: In corde meo abscondi eloquia tua, vt nõ peccem tibi. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euangel. sec. Ioann.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Ego sum vitis, uos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Et reliqua.

De Homil. S. Cyrilli Epiſc. Alexandrini.

COnsideratius videamus quid est, quod his verbis, vt gaudium meum in vobis sit, Christus significauit. Duplex igitur esse mihi sensus videtur; aut enim nihil curiosius hic locus affert, sed hoc plane dicit, vt gaudium in me habeatis, & sic ipsi quoque gaudeatis, supernæ beatitudinis, atque gloriæ magnitudinem intelligentes. Alius est, in quo altius quiddam latet, quod enodare non recusabimus. Quid igitur illud est; aut quid significat, vt gaudium meum in vobis sit? R. Ego sum. 91. Lec. 8.

HOmo factus unigenitus Dei Filius absq; peccato omnia sustinuit, quę Iudæorum excogitare puicacia potuit: nec vnquã sputis dedecoratus, uerbis derisus, uerberibus cæsus, & tandem patibulo affixus ullo mœrore affectus fuit, sed decenti semper ipse gaudio plenus (quoniam uoluntatem patris consummari uidebat, & homines hinc salutem habituros non ignorabat) illa opprobria delicias esse putabat. Exultauit enim spiritu, instante iam cruciatu, & dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ,

Digitized by Google

terræ, quia occultasti hæc á sapiẽtibus,& prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

℣. Candidi.91.

QVis ergo dubitauit, delicias illi fuisse salutem hominum? hanc enim voluntatem patris appellat: Hæc, inquit, vobis locutus sum, vt gaudium meum in vobis sit: idest, vt illis solũmodo lætari rebus velitis, quibus ego gaudeo. Sic enĩ fortes ad certamina eritis, & spe saluandorum hominũ pericula libenter subibitis, non parum gaudentes: quoniam voluntas patris, qui vult omnes ad cognitionem veritatis venire, pro virili parte vestra perficietur. Hãc ego elegi lætitiam, hãc etiã, si vos habebitis, sincero, ac integro afficiemini in gaudio. Te Deum.

INFRA OCTAVAM MARTYRVM.

Tempore paschali.

Homi. in Euang. Ioan. c. 16.

Plorabitis,& flebitis,&c.

IN DIE FESTO.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. sec. Ioa. c. 16.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amẽ, amen dico vobis: quia plorabitis,& flebitis vos, mundus autem gaudebit. Et rel. Homilia S. Io. Chrysostomi.

Hom. 78. *in Ioan.*

VT ostenderet post tristitiam gaudium secuturum naturale adducit exemplum. Mulier, cum parit, tristitiam habet, qua parabola in calamitatibus prophetæ vsi sunt: quasi dicat: Dolores capietis, sed quales partus, qui lætitiæ causa sũt. Simul & resurrectionem cõfirmat, indicans abitum suũ perinde esse, ac si ex vtero matris in lucem prodeat: quasi dicat: Nolite admirari, si per hanc tristitiam ad optima vos ducam; nam & mater in pariendo sic per tristitiam transit. ℟. Ego sum. 91. Lec. 8.

SIgnificat autem hic & mysterium quoddam, quod mortis dolores soluerit, & nouum hominem regenerari fecerit. Neque dixit

xit tantum triſtitiam tranſituram, ſed magnitudine lætitiæ ſuccedẽte, nihil eius penitus remãſurum: ita erit Sanctis. Atqui non propterea gaudet mulier, quia venit homo in mũdũ, ſed quod filium peperit. Nam, ſi id eſſet, nihil prohiberet, quin, quæ non pariunt, alijs parientibus gauderent. ℟. Candidi. 91. Lec. 9.

QVa ergo gratia ſic inquit? quia ad hoc ſolum adduxit exemplum, vt breuem triſtitiam perpetuum gaudium ſecuturum; & ſe ad vitam tranſferri, & magnum malorum lucrum oſtenderet. Et non dixit, peperit filiũ: ſed, quia venit homo in mundum, vbi ſuam ſignificat reſurrectionem, & non morti illi, ſed regno parturiendum. Ideo nõ dixit, quia natus eſt filius, ſed homo. Et vos nunc quidem triſtitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum: inde, quod nõ amplius morietur, inquit: & gaudium veſtrũ nemo tollet à vobis. Te Deũ.

Infra octauam legatur Euangelium in Miſſ. & Offic. Ego ſum vitis vera: cum ſuis Homil. ſupra 91. In die vero oct. vt in die feſto.

INFRA OCTAVAM PLVRIM. MART. SECVNDA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Ex epiſt. S. Cypriani Epiſc. & Mart. ad Martyres. *Epiſt.* 25. Lec. 4.

IMpoſuerunt compedes pedibus veſtris, & membra felicia, ac Dei templa, infamibus vinculis ligauerunt, quaſi cum corpore ligetur & ſpiritus, aut aurum veſtrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus, & fidem ſuam religioſa virtute teſtantibus, ornamenta ſunt iſta, non vincula; nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non à fabro, ſed à Domino reſoluuntur. O pedes feliciter uincti, qui itinere ſalutari ad paradiſum diriguntur. O pedes in ſæculo ad præſens

ſens ligati, vt ſint ſemper ad Dominum liberi. ℟. Sancti tui Domine mirabile conſecuti ſunt iter, ſeruientes præceptis tuis: vt inueniren tur illæſi in aquis ualidis: Terra apparuit arida, & in mari Rubro uia ſine impedimento. ℣. Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ & torrentes inundaue runt. Terra.

Lectio 5

QVis non libenter, & prompte calcem ſalutis accipiat? Quis non appetat gaudibundus, & lætus, in quo aliquid & ipſo Domino ſuo retribuat? quis non pretioſam in conſpectu Dei mortẽ fortiter, & conſtanter excipiat, placiturus eius oculis, qui nos in cõgreſſione nominis ſui deſuper ſpectans uolẽtes comprobat, adiuuat dimicãtes, uincentes coronat, retributione bonitatis, ac pietatis paternæ remunerans in nobis quicquid ipſe præſtitit, & honorans, quod ipſe perfecit? ℟. Verbera carnificũ non timuerunt ſancti Dei, morientes pro Chriſti nomine; Vt hæredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora ſua propter Deum ad ſupplicia. Vt hæredes.

Lectio 6.

QVis nunc uobis dilectiſſimi fratres, conſcientiæ uictricis uigor? quæ ſublimitas animi? quæ in ſenſu exultantia? qui triumphus in pectore? unũquemque ueſtrum ſtare ad promiſſum Dei præmium, de iudicij die eſſe ſecurum? ambulare, captiuo quidem corpore; ſed corde regnante ſcire Chriſtum ſecum eſſe præſentem, gaudentem tolerantia ſeruorum ſuorum per ueſtigia, & uias ſuas ad regna æterna gradientium? Plane, quia nunc uobis in precibus efficacior ſermo eſt, & ad imperandum quod petitur facilior oratio eſt: petite impenſius, & rogate, ut qui hic caritatis, & pacis uinculo copulati ſtetimus, pariter in regnis cæleſtibus gaudeamus. ℟. Tanquam aurum in fornace probauit

ele-

electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: Quoniam donum, & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum intelligent ueritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam donum. Gloria Patri. Quoniam donum.

TERTIA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Basilij Episcopi. *In Psalm.* 115.

RE uera pretiosa est mors sanctorum eius, cum uidelicet anima per uitæ istius curriculum expurgata, ab omni eluuie, & inquinamento carnis emancipata, ac libertati reddita, nullam in se retinens maculam, aut rugam, duris propietate agonibus iam exantlatis probata, insignita corona iustitiæ, perque hæc omnia admirabili decore uirtutis interlucent Domino suo, atque omnium iudici se præsentarit, lapide omni pretioso rutilantior, Dei munere eam adepta, claritatem, quonam pacto non censeri debet pretiosa hominis istius mors in conspectu Domini. ℟. Sancti tui. 108

Lectio 5.

EXitus itaque Sanctorũ uirorum è uitæ istius stadio ne lugeamus, imo flentu magis prosequenda uenit ipsa natiuitas, & ex utero in hanc uitam progressio: naturæ etenim necessitas præscripsit nobis, & sanxit carnalis generationis ingressũ: contra, exitus atque hinc emigratio pretiosa est, & illustris, neque interim omniũ talis est, sed eorum, qui uitã hanc suam sancte & iuste traduxerunt: itaque pretiosa est mors, non item pretiosa natiuitas, nam teste Apostolo: seminatur in ignobilitate, surgit in gloria: seminatur in corruptione, surgit in incorruptione. ℟. Verba. 108.

PRo legis Iudaicæ ritu, si qui moriebantur, horum morticina habebantur abominationi; contra, mors si cuipiam irrogatur pro Christi nomine, prætiosæ cen-

censentur reliquiæ Sanctorũ eius: in priori lege dicebatur Sacerdotibus: & Nazaræis illud: Non contaminabitur super ullo mortuo: &: si quis tetigerit cadauer immundus erit, & hic lauabit uestimenta sua. Nunc è diuerso, Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem fit quadãtenus sanctificationis particeps; quare pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius. ℟. Tanquã aurum. 108.

QVARTA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Ambrosij Episc. *Sermo 77.* Lect. 4.

EX exemplo Martyrum didicimus Christo credere, didicimus contumelijs uitam æternam quærere, mortem didicimus non timere. Videte ergo quid martyribus debeamus, in quo alter tortus est, ut alius saluaretur. Alter carnificem pertulit, ut Christum alter agnoscceret. Alter morti addictus est, ut alius uita potiretur æterna: & ad postremum Sanctus occisus est, ut peccator euaderet. Beati igitur martyres nec sibi uixerunt, nec sibi sunt mortui: exemplum enim nobis reliquerunt, bene uiuendo, conuersationis; tolerando fortiter passionis. ℟. Sancti tui. 108. Lect. 5.

NAm ideo Dominus per totum mundum diuersis in locis pati martyres uoluit, ut tanquam idonei testes nos præsenti quodam fidei exemplo suæ confessionis urgerent, ut humana fragilitas, quæ prædicationi Dominicæ aditu longiore uix credit, uel præsenti oculorũ testimonio martyrio crederet beatorum. Cuncti igitur martyres deuotissime percolendi sunt: sed specialiter ij uenerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus: illi enim nos orationibus adiuuant, isti etiam adiuuant passione. Cum his autem nobis familiaritas est; semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, & in corpore nos uiuentes custodiũt,

&

& de corpore recedẽtes excipiunt. ℟. Verbera. 108.

Lectio 6.

CVm ſanctis ergo Martyribus quieſcentes, euadimus inferi tenebras eorum proprijs meritis, attamen conſocij ſanctitate, Martyres enim inferni porta non poſſidet: quoniam eos paradiſi regna ſuſcipiũt. Nam videmus eos vtique iã regnare: cernimus enim ab iis frequenter obſeſſos immundiſſimis Dæmonibus homines liberari, ita vt cæleſti medicina, & captiua anima de diaboli laqueis eruatur, & ipſe diabolus vinculis igneis alligatus producatur de ſua captiuitate captiuus, ut qui prædam paulo ante ceperat, ipſe ſubdatur in prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per Sanctos fieri omnibus notum eſt; & ideo, fratres, veneremur eos in ſæculo, quos defenſores habere poſsumus in futuro.

℟. Tanquam. 108.

QVINTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Serm S. Gregorij Nyſſeni. *In* 40. *mar. or.* 2. *poſt init.*

Lectio 4.

QVale in cæleſtibus accidit miraculis, cum ſerena, ac pura nocte ſtellarũ decor alius per alium diſtinguitur, & ornatur, vnaquaque earum ſuum ſplendorem ad communem ornatum cæli ſimul contribuente: tale erat Sanctorum ſpectaculum, uere ut alicubi inquit Ezechiel Propheta, uiſio lampadarum inter ſe coeuntium, & quaſi conuolutarum. Quam pulchrũ igitur tunc intuentibus erat ſpectaculum? pulchrum, inquam, ijs, qui pulchra, atq; præclara contueri uolunt: pulchrum angelis, pulchrũ ſupramundanis uirtutibus: acerbum uero dæmonibus, & quotquot dæmonũ cultum amplectebantur: homines, ſi modo homines dicendi, qui tanta magnitudine indolis excelluerunt, milites Chriſti. Sancti ſpiritus armigeri, fidei anteſignani, turres diuinæ ciuitatis.

℟. Sancti tui. 108. Lect. 5.

Qui

QVi omnem tormentorum pœnam, atque contumeliam, omnes terrores ingruentes, omnem minarum vim tãquam puerilem quandam amentiã deridebant: perinde ac si nõ corpora verberibus præberent, sed corporum vmbras: qui cum carne carnem deuicissent, & contemptu mortis, omnes tyrannorum terrores magnitudine animi superassent, humana conditione superiores visi sunt. O qui præclare corporeis trophæis excitati; qui peritiam bellandi in aciem aduersus diabolum instructam transtulerunt: non gladio manus armantes, neque clypeum ligneum obijcientes, sed armaturam Dei sumentes, quam Prætor & Dux ecclesiæ, diuinus ille Apostolus describit, scutum, & loricam, & galeam, & gladium ita tendebant aduersus copias aduersariorum. ℟. Verbera. 108.

Lectio 6.

DVx autem erat, horum quidem cælestis gratia; diaboli autem aciei, is, qui mortis imperium tenet. Locus eis aciei, nẽfariorum, & sanguinariorum tribunal erat: illic congressi decertabant, illi quidem minis pugnam lacessentes; hi vero per patientiam propulsantes, & resistentes. Ignis sub hæc intẽtabatur, & gladius, & barathrum, & quæcũque sunt alia nomina supplicio-rum. Vna vox ad hæc omnia audiebant, Christus quem ore Sancti illi confitebantur: Hoc erat aduersariorũ vulnus: hanc cuspidem aduersariis obijciebant: per hanc vocem in medio corde vulnus aduersarius accepit. Hic est lapis, qui per manũ Dauidis funda emittebatur, qui à galea aduersarij, quo destinatus erat, non aberrauit: nam Christi confessio, boni militis funda existit: cadit inimicus & caput amittit. ℟. Tanquam. 108.

SEXTA DIE.

In secundo Nocturno.

Tres lect. Sancti Augustini. Quotiescumque fratres &c.

vt in Breuiar. ac cõmuni

plur. mar. Quod si lectæ fuerint in die festo, legantur sequentes.

Sermo S. Augustini Episc. Lectio 4.

50. *de Sanctis.*

QVoniam dies Sanctorum martyrum est, vnde potius aliquid delectet nos dicere, nisi de gloria ipsorum. Adiuuet nos Dominus martyrum. Audiuimus paulo ante beatum Apostolum prædicantem, Quis nos separabit à caritate Christi? Ista vox est martyrum; tribulatio an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est: propter te mortificamur tota die, deputati sumus vt oues occisionis; sed in his omnibus superamus propter eũ, qui dilexit nos. Hæc est vox martyrum, omnia tolerare, & de se nihil præsumere, illum diligere, qui glorificatur in suis, vt qui gloriatur, in Domino glorietur.

℣. Sancti tui. 118 Lect. 5.

NOuerãt, & illud, quod nos cãtauimus paulo ante: lætamini in Domino, & exultate iusti: si iusti in Domino lætantur, iniusti vero non nouerunt lætari, nisi in sæculo; sed ipsæ sunt primæ acies debellandæ, primo vincẽdæ sunt delectationes, & postea dolores: quomodo potest superare mundum sæuientem, qui non potest superare blandientem? Blanditur hic mundus pollicendo honores, diuitias, voluptates. Minatur hic mundus intendendo dolores, egestates, humilitates; qui non contemnit, quod pollicetur, quomodo superare potest, quod minatur? ℣. Verbera. 118. Lect 6.

MOdo elige, modo pugna, modo videamus, si non sine causa cantasti: lætamini in Domino, & exultate iusti: modo videamus, si non sine causa audisti: Quis non separabit à caritate Christi? equidem prætermisit omnia, quibus blanditur mundus, & te voluit commemorare, cui blanditur mundus. Quare? Quia certamina martyrum præ-

Digitized by Google

seminant in lachrymis, in gaudio metent: euntes ibant & flebant. ℟. Verbera. 108

Lectio 6.

SIc perrexerunt, quomodo reuertuntur? non flentes, sed gaudentes: non adhuc seminantes, sed manipulos suos læta ceruice portantes. O germina, quæ non vrit flamma, quia iuxta flumen sunt vitreum in Ierusalem, & perpetuo viresçunt flore immortalitatis vitæ æternæ. Nesciunt marcescere, quia non timuerunt pro iustitia flammis arderi, quia agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & delebit omnem lachrymam ab oculis eorum, & florebunt sicut lilium in medio angelorum. ℟. Tanquam aurum. 108.

INFRA OCTAVAM

FLVR. MARTYRVM.

Homil. in Euan. Lucæ c. 11.

Cum audieritis prælia, &c. In die festo habentur tres lect. Homil. S. Gregorij. **Dominus ac Redemptor &c.** in Breuiar. de cõmuni plur. martyr.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euan. sec. Luc. c. 21.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus Discipulis suis: Cũ audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri: sed nondum statim finis. Et reliqua.

De Hom. S. Gregorij Papæ.

Ex hom. 35. in Luc.

OMnia, quæ ad vsum vitæ accepimus ad vsũ conuertimus culpæ; sed cuncta: quæ ad vsum prauitatis inflexi mus, ad vsum nobis vertuntur vltionis: tranquillitatem quippe humanæ pacis ad vsum uertimus vanæ securitatis: peregrinationẽ terræ pro habitatione dilexi mus patriæ: salutem corporum redegimus in vsum vitiorum. Ipsa serena blandimenta aeris ad amorem nobis seruire coegimus terrenæ delectationis. Iure igitur restat, vt simul nos omnia feriant, quæ simul omnia vitijs nostris male subacta seruiebant: vt quot prius

in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta. ℟. Propter testamentum Domini, & leges paternas sãcti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: Quia vnus fuit semper spiritus in eis, & vna fides. ℣. Ecce quam bonum. & quam iucundum habitare fratres in vnum. Quia.

Lectio 8.

QVia autem cuncta hęc non de iniustitia ferientis sunt, sed de merito mundi patientis, facta prauorum hominum præmittuntur, cum dicitur: sed ante hæc omnia inijciẽt vobis manus suas. Ac si aperte dicat: Prius corda hominum, & post elementa turbantur: vt cum rerum ordo confunditur, ex qua iam retributione veniant, demonstretur; nam quamuis finis mundi ex ipso suo ordine pendeat, peruersiores tamẽ quosque inueniens, quia digne ruinis illius opprimantur, innotescit. ℟. Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis: Mercedem laboris ego reddam vobis. ℣. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem. Gloria. Mercedem.

Sequens Resp. dicitur infra octauam plur. martyrum fratrum post octauam lectionem.

℟. Hæc est vera fraternitas, quæ nunquam potuit violari certamine: qui effuso sanguine secuti sunt Dominũ: Contemnentes aulam regiam peruenerunt ad regna cælestia. ℣. Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum. Contemnentes. Gloria. Contemnentes.

Lectio 9.

SEd auditis tot terroribus turbari poterãt infirmorum corda: atque ideo consolatio adiungitur, cum protinus subinfertur: Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari, quemadmodum respondeatis: Ac si aperte membris suis infirmantibus dicat; Nolite terreri; nolite pertimescere:

vos

vos ad certamen acceditis, ſed ego prælior. Vos verba editis, ſed ego ſum, qui loquor. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cũ audieritis prælia, & ſeditiones nolite terreri: oportet primũ hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis: Et reliqua. De Homil. S. Greg. Papæ.

SEquitur: Trademini autem à parentibus, & fratribus. Minorem dolorẽ mala ingerunt, quæ ab extraneis inferuntur; plus vero in nobis ea tormenta ſæuiunt, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præſumebamus, quia cum damno corporis, mala nos cruciant amiſſæ caritatis. Hinc eſt enim quod de Iuda traditore ſuo per Pſalmiſtam Dominus dicit: Homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos, ampliauit aduerſum me ſupplantationem. Ac ſi dicat: tranſgreſſionem eius tanto grauius pertuli, quanto hanc ab eo, qui meus eſſe videbatur, ſenſi. ℟. Propter. 116.

Lectio 8.

OMnes ergo electi, quia ſummi capitis membra ſunt: caput quoque ſuũ in paſſionibus ſequuntur, & ipſos quoque aduerſarios in ſua morte ſentiunt, de quorum vita præſumebant; vt tanto eius creſcant merces operis, quanto eis virtutis lucrum proficit ex alienæ damno caritatis. Sed quia dura ſunt, quæ prædicuntur de afflictione mortis, protinus conſolatio ſubditur de gaudio reſurrectionis, cum dicitur: Capillus de capite veſtro non peribit. ℟. Sancti mei. 116 Lect. 9.

SCimus, fratres, quiã caro inciſa dolet, capillus inciſus non dolet. Ait ergo martyribus ſuis: capillus de capite veſtro non peribit, videlicet aperte dicẽs: cur timetis ne pereat, quod incisũ dolet, quando & illud in vobis perire non poteſt, quod inciſum non dolet? ſe-

quitur in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras: idcirco poſſeſſio animæ in in virtute patiẽtiæ ponitur, quia radix omnium, cuſtoſque virtutum patientia eſt. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. 5. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cum audieritis prælia,& ſeditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis: Et reliqua. De Homilia S. Greg. Papæ.

PEr patiẽtiam vero poſſidemus animas noſtras: quia dum nobis ipſis dominari diſcimus, hoc ipſum incipimus poſſidere, quod ſumus. Patientia vero eſt, aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore morderi; nam qui ſic proximi mala portat, vt tamen tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet,ſed oſtendit. Scriptum quippe eſt: caritas patiens eſt,benigna eſt. Patiens eſt, vt aliena mala toleret: Benigna vero eſt, vt ipſos etiam, quos portat,amet. ℟. Propter. 116. Lect. 8.

SEd quia natalem martyrum hodierna die colimus, fratres mei,nequaquã nos à virtute eorum patientiæ exiſtimare extraneos debemus: ſi enim adiuuante nos Domino virtutem patientię ſeruare cõtendimus, & in pace eccleſię viuimus, & tamen martyrij palmam tenemus. Duo quippe ſunt martyrij genera, vnum in mente, aliud in mente ſimul & actione: itaque eſſe martyres poſſumus,etiamſi nullo ferro percutientium trucidemur;mori quippe à perſequente, martyrium in aperto opere eſt: ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione. ℟. Sancti mei. 116. Lect. 9.

PRobamus quotidie verum eſſe, quod ante nos dictum eſt,quia ſancta eccleſia: electorum floribus ple-

Digitized by Google

plena, habet in pace lilia, in bello roſas. Sciendum præterea eſt, quod tribus modis virtus patientiæ exerceri ſolet. Alia nanque ſunt, quæ à Deo; alia, quæ ab antiquo aduerſario; alia, quæ à proximo ſuſtinemus. A proximo nãque perſecutiones, damna, & contumelias: ab antiquo aduerſario, tentamenta: à Deo autem flagella toleramus. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cũ audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis: Et reliqua. De Hom. S. Gregorij Papæ.

SEd in omnibus his tribus modis vigilãti oculo ſemetipſam debet mens circumſpicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali ne contra tentamenta aduerſarij ſeducatur ad delectationem, vel conſenſum delicti, ne contra flagella opificis ad exceſſum proruat murmurationis. Perfecte enim aduerſarius vincitur, quando mẽs noſtra, & inter tẽtamẽta eius ad delectationẽ, atque conſenſum non trahitur, & inter contumelias proximi cuſtoditur ab odio, & inter flagella Dei compeſcitur à murmuratione. ℟. Propter. 116. Lec. 8.

NEc hæc agentes, retribui nobis præſentia bona requiramus. Nam pro labore patientiæ, bona ſperanda ſunt ſequentis vitæ: vt tunc præmium noſtri laboris incipiat, quando omnis iam labor funditus ceſſat: vnde & per Pſalmiſtam dicitur. Non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem: quaſi enim perijſſe patientia pauperum cernitur, cum nihil pro illa in hac vita humilibus recompenſatur; ſed patientia pauperum in finem non peribit: quia tunc eius gloria percipitur, cum ſimul omnia laborioſa terminantur. ℟. Sancti. 116

Digitized by Google

Lectio 9.

SEruate ergo fratres in mente patientiam, eãque cum res exigit, exercete in operatione, nullum veſtrum ad odium proximi contumelioſa verba commoueãt, nulla perituraru rerum damna perturbent. Si enim fixa mente manſura damna pertimeſcitis, dãna rerum tranſeuntium grauia non putatis. Si æternæ retributionis gloriam concupiſcitis, de temporali iniuria non doletis. Tolerate ergo aduerſarios veſtros, ſed vt fratres diligite, quos toleratis. Aeterna præmia pro damnis temporalibus quærite: nec quiſquam veſtrum ſuis ſe viribus hanc implere poſſe confidat, ſed obtinete precibus, vt ipſe, hanc qui imperat, præſtet. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Cum audieritis prælia, & ſeditiones nolite terreri: oportet primum hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis: Et reliqua. Hom. Venerab. Bedę Presb. *Lib. 6. in Luc. 21.*

CApillus de capite diſcipulorum Domini non peribit, quia non ſolum fortia quæque geſta, vel dicta Sanctorum, de quibus dicitur: Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum; ſed & volatilis, vt ita dicam, ac tenuiſſima cogitationum fidelium ſuperficies, quæ de occulta cordis radice, quaſi de cerebro cæſaries exit, apud iuſtũ iudicem conſeruata digna mercede donabitur.

℟. Propter. 116. Lec. 8.

VNde recte propheta, vt bonorum etiam cogitatuum merita, Domino quam ſint accepta, demõſtret: & reliquiæ, inquit, cogitationum diem feſtum agent tibi. Vnde etiam Nazareni in lege tempore conſecrationis comam nutrire iubentur, & nouacula ſuper caput Samuel non aſcendiſſe perhibetur. At cõtra mulier captiua, vt viro Iſraelitæ

tæ nubere queat; mundatus à lepra, vt eccleſiæ communicare mereatur, omnes ſui corporis pilos præcipiũtur eradere. ℟. Sancti. 116.

Lectio 9.

QVia videlicet omnis ſapientum cogitatio, quæ bona, placens, & perfecta eſt, ſaluatur in perpetuum, & apud Dominum eſt merces eius: ſtultorum vero, prauorumque quaſi Dei aſpectibus indigna radix, operum cogitatio pœnitendo debet excidi. Et in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras: Sic enim cõditi mirabiliter ſumus, vt ratio animam, & anima poſſideat corpus; ius vero animæ à corporis poſſeſſione repellitur, ſi non prius anima à ratione poſſidetur. Cuſtodem igitur cõditionis noſtræ patientiam Dominus eſſe monſtrauit, qui in ipſa nos poſſidere noſmetipſos docuit. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euan. ſec. Luc. Le. 7

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cum audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, ſed nondũ ſtatim finis: Et reliqua.

Homil. S. Ambroſij Epiſc. *In Luc. lib.* 10. *c.* 21.

QVia in occaſu ſæculi ſumus, præcedũt quędam ægritudines mundi. Aegritudo mundi eſt fames, ægritudo mundi eſt peſtilentia, ægritudo mundi eſt perſecutio: Sunt autem & alia bella, quæ vir ſuſtinet Chriſtianus. Diuerſarum quoque prælia cupiditatum; ſtudiorumque conflictus, multoq; grauiores domeſtici hoſtes, quam extranei. Nunc auaritia ſtimulat, nunc accendit libido, nunc metus terret, nũc iracundia exagitat, nunc ambitio mouet, nunc terrere tentant ſpiritalia nequitiæ, quæ ſunt in cæleſtibus. ℟. Propter. 116.

Lectio 8.

ITaque quaſi quibuſdam vrgetur prędijs, & quibuſdam terrędmotibus quatitur mobilis animi nutãtis affe-

Digitized by Google

affectus: ſed fortior dicit: ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat in me prælium, in hoc ego ſperabo: ſtat in acie ferens hoſti obuium pectus: etiam ſi quis Golias exurgat immitis, atque præcelſus; timent bus tamen ceteris, exurgit humilis qua ſi Dauid Regis abijciens arma terreni, ſumens fidei tela leuiora, & triplici ſparto iaculum puræ confeſſionis intorquēs, perſecutoris vulnerat impudentiam, contēptor minarum, negligens poteſtatum: etiam idoneus, in quo Chriſtus loquatur.

℟. Sancti mei. 116.

Lectio 6.

ALibi Chriſtus, alibi Pater, alibi Spiritus loquitur Patris: non diſcordant iſta, ſed congruunt. Quod vnus loquitur, tres loquuntur: quia vox vna eſt Trinitatis. Huic victori, qui ſuo Goliam gladio peremerit, dum mortem pro Chriſto excipit, fugatis Allophylis, occurrunt iuuenculæ, illæ ſcilicet ſicut aquilæ dicentes. Percuſſit Saul in millibus, Dauid in decem millibus; quod indicio eſt, victores ſæculi principibus anteferri. Denique mortuis Regibus in perpetuū, Martyres regno, cæleſtis gratiæ honore ſuccedunt: & illi fiunt ſupplices, hi patroni. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cū audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, ſed nondū ſtatim finis: Et reliqua. Homilia S. Auguſtini Epiſc. *Ser.* 14. *lib.* 50. *Hom.*

DOminus noſter Ieſus Chriſtus teſtibus, id-eſt, martyribus ſuis pro humana fragilitate ſollicitis, ne forte eum confitendo atque moriendo perirent, magnam ſecuritatem dedit, dicens: capillus de capite veſtro non peribit. Times ergo, ne pereas, cuius capillus non peribit? ſi ſic cuſtodiun-

cur

tur ſuperflua tua, in quanta ſecuritate eſt anima tua? Non perit capillus, qui cum tondetur, non ſentis; & perit anima, per quam ſentis? Sane multa dura eos paſſuros eſſe prædixit, vt prædicendo faceret paratiores, dicerentque illi: Paratum cor meum. ℟. Propter. 116.

Lectio 8.

QVid eſt, paratum cor meum, niſi parata voluntas mea? paratam ergo habent martyres voluntatẽ in martyrio, ſed præparatur voluntas à Domino. Illis autem in malis duris, atque aſperis futuris commemorans adiecit: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. In veſtra patientia, inquit; non enim eſſet patientia tua, ſi non ibi eſſet & voluntas tua: in veſtra patientia, ſed vnde veſtra? Noſtrum eſt, quod à nobis habetur, noſtrum eſt & quod nobis donatur. ℟. Sancti mei. 116. Lec. 8.

QVomodo enim aliquid donans, niſi vt eius ſit, cui donas? Aperta eſt enim illa confeſſio. Nonne Deo ſubijcietur anima mea, ab ipſo enim eſt patientia mea? Dicit nobis ipſe, in veſtra patientia. Dicamus illi & nos, Patientia mea ab ipſo eſt: tuum fecit donando, noli ingratus eſſe, tibi aſſignando. Nonne in oratione dominica dicimus, & noſtrum eſt, quod à Deo eſt? quotidie dicimus; Panem noſtrum quotidianum; iam dixiſti, noſtrum; & dicis, da nobis: ecce, noſtrum, ecce, da nobis: Illo dante fit noſtrum. Te Deũ.

INFRA OCTAVAM PLVR. MARTYRVM.

Homil. in Euang. Lucæ c. 6.

Deſcendens Ieſus &c.

In die feſto habetur tres lectiones Homi. S. Ambroſij. **Aduerte omnia &c.** in Breuiar. de com. plur. mart.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam. *cap.* 6. Lectio 7.

IN illo tempore: Deſcendens Ieſus de monte, ſtetit in loco campeſtri, & turba

ba discipulorũ eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa,& Ierusalem,& maritima, & Tyri, & Sydonis. Et reliqua.

De Homil. Sancti Ambrosij Episcopi.

L.5. in Luc. c. 6.

SEcunda benedictio, Beati,inquit,mites. Tertia, Beati,qui lugent. Quarta, Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Quinta,Beati misericordes. Sexta,Beati mundo corde. Septima,Beati pacifici; & bene septima;quoniam eo die ab omnibus mundi operibus requieuit Deus. Dies enim quietis,& pacis est. Octaua, Beati qui persecutionẽ patiũtur propter iustitiam. Veni Domine Iesu , doce nos ordinem beatitudinum tuarum.

℣. Propter 116. Lect.8.

NEque enim sine ordine dixisti primo, beatos pauperes spiritu, secundo beatos mites,tertio beatos qui lugent; etiam si cognosco aliquid , tamen ex parte cognosco. Si enim Paulus ex parte cognouit ; quantum ego possum cognoscere, qui Paulo quantum vita , tãtum etiam verbo inferior sum? vita enim verbum exigit, & acquirit: sermo autem sine vita non est sermo Dei:quanto me sapientior Paulus?ille gloriatur in periculis , ego glorior in successibus.

℣. Sancti. 116.

Lectio 9.

SEd tamen potest Deus de lapidibus homines suscitare, & verbum proferre de clausis,vocem elicere de mutis. Quia si asinæ oculos aperuit , vt videret angelum ; potens est & nobis quoque aperire oculos , vt possimus Dei videre mysterium. Beati, inquit,pauperes; non omnes beati pauperes:paupertas enim media est; possunt & boni esse, & mali pauperes ; nisi forte ille intelligendus pauper beatus , quem propheta describit dicens : Quia melior iustus pauper , quam diues mendax. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Le-

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Descendens Iesus de monte, stetit in loco campestri; & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sydonis. Et reliqua.

De Homil. S. Ambrosij Epi.

BEatus pauper, qui clamauit, & Dominus exaudiuit eum. Pauper à crimine, pauper à vitijs, pauper, in quo mundi princeps nihil inuenit. Pauper illius æmulus pauperis, qui, cum dives esset, propter nos pauper factus est. Vnde plene Matthæus aperuit dicens: Beati pauperes spiritu. Pauper enim spiritu non inflatur, non extollitur mente carnis suæ. ℟. Propter. 116

Lectio 8.

PRima ergo ista benedictio est, cum deposuero omne peccatum, & exuero omnem malitiam, & simplicitate cõtentus fuero, inops malorum; superest vt mores meos temperem: quid enim mihi prodest carere sæcularibus, nisi fuero mitis, atq; mansuetus? Nam qui sequitur viam rectam, sequitur vtique illum, qui ait; Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. ℟. Sancti mei. 116.

DEpone igitur, quæ improba sunt, egeto vitijs secundum bonam paupertatem, mitiga affectum tuum, vt non irascaris, aut certe iratus ne peccaueris, iuxta quod scriptum est: Irascimini, & nolite peccare. Præclarum est enim motum temperare consilio; nec minoris virtutis docetur cohibere iracundiam, indignationem compescere, quam omnino non irasci, cum plerumque illud lentius, hoc fortius æstimetur. Cum hoc feceris, memento, quia peccator es, & lugeto peccata tua, lugeto delicta. Te Deũ.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 9.

IN illo tempore: Descendens Iesus de monte, ste-

Digitized by Google

ſtetit in loco campeſtri;& turba diſcipulorum eius, & multitudo copioſa plebis ab omni Iudęa,& Ieruſalem, & maritima, & Tyri,& Sydonis.Et reliqua.

De Hom. S. Ambroſij Epiſ.

ET bene tertia benedictio eſt peccata deflentis,qa Trinitas eſt,quæ peccata condonat. Ablue igitur te lachrymis tuis,laua fletibus ; ſi tu ipſe te fleueris, alius te non flebit: nam ſi Saul defleſſet peccata ſua, Samuel eum non fleuiſſet. Habet vnuſquiſque , quos fleat,mortuos ſuos. Mortui ſumus , quando peccamus: quando implemur oſſibus mortuorum:mortuus eſt ſermo malus,qui exit ex ore; exit enim de ſepulchro malo;ſepulchrum autem patẽs eſt guttur eorum.

℟. Propter. 116. Lec. 8.

IDeo dicit Apoſtolus: Imitatores mei eſtote: vult nos delictorum meminiſſe noſtrorum. Paulus non habebat , quod lugeret, ex quo in Chriſtum credidit; & tamen priora defleuit , dicens: Quia non ſum dignus vocari Apoſtolus,quia perſecutus ſum eccleſiam Dei. Ille igitur peccator ante fidem, nos vero adhuc peccamus poſt fidem. Qui peccator eſt , defleat ſe , & arguat ſe,vt fiat iuſtus. Iuſtus enim accuſator eſt ſui. Ordinem igitur perſequamur , quia ſcriptum eſt: ordinate in me caritatem. ℟. Sancti mei. 116.

Lectio 9.

DEpoſui peccatum:tem peraui mores : delicta defleui : eſurire incipio , & eſurire iuſtitiam. Aeger enim cum in graui morbo eſt , non eſurit , quia ægritudinis dolor excludit famem , ſed quæ eſt iſta fames iuſtitiæ?qui ſunt iſti panes, quos eſurit iuſtus ? Ne forte panes illi , de quibus dictum eſt: Iuuenis fui,& ſenui; & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem? qui eſurit, vtique virium quærit augmentum: quod autem maius virtutis incrementum, quam norma iuſtitiæ? Te Deum.

QVIN-

Digitized by Google

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Descendens Iesus de monte, stetit in loco campestri; & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sydonis. Et reliqua.

De Homilia S. Ambr. Epis.

POst has, Beati, inquit, misericordes: iustitiam enim sequitur misericordia; vnde dictum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum; sed etiam qua misericordiam defert, mercedem amittit, nisi mundo corde misereatur: nam si iactantiam quærat, nullus est fructus: emunda igitur interiora mentis tuæ, &, si diligenter pectoris tui secreta mundaueris, compatere ijs, qui impugnãtur: & intellige quanti hominum, quanti fratrum tuorum auxilium tuũ quærant; sed nisi tu prius interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, ne dissensiones, contentionesque ex affectu tuo prodeant, non potes alijs ferre medicinam. ℟. Propter. 116.

Lectio 8.

ATe igitur pacem incipe, vt, cum fueris ipse pacificus, pacem alijs feras. Quomodo enim potes aliorum corda mundare, nisi tuum mundaueris ante? Profuisti igitur alijs: tulisti auxilium pluribus, festina, contende ad finem. Multi cum essent exitus vitæ, vnus Domino cõpetebat. Nam, quod natum erat secundum carnem, oportebat secundũ carnem mori: elegit passionem, vt moreretur pro nobis: & tu dic de omnibus, quę retribuit tibi Dominus: Calicem. Saluatoris accipiã & nomen Domini inuocabo, hoc est passionem. ℣. Sancti mei. 116.

Lectio 9.

VIde igitur ordinem, oportet te pauperem fieri spiritu. Humilitas enim spiritu diuitiæ virtutum sũt, nisi pauper fueris, mitis esse non

Digitized by Google

non poteris. Qui mitis eſt, poteſt lugere præſentia. Qui inferiora luget, poteſt deſiderare meliora. Qui ſuperiora quærit, inferiora deuitat, vt ipſe à ſuperioribus adiuuetur. Qui miſeretur, cor ſuum mundat. Patientia vero perfectio eſt caritatis. Qui autem patitur perſecutionē in vltimo certamine conſtitutus, probatur aduerſis: vt, cum legitime certauerit, coronetur.

℟. Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam. Lectio 7.

IN illo tempore: Deſcendens Ieſus de monte, ſtetit in loco campeſtri; & turbt diſcipulorum eius, & multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa, & Ieruſalem, & maritima, & Tyri, & Sydonis. Et reliqua.

De Hom. S. Ambroſij Epiſc.

HOs quidem gradus volunt eſſe virtutum: per quos ab vltimis ad ſuperiora poſſimus aſcendere: denique ſicut incrementa virtutum; ita etiam ſunt incrementa præmiorum. Plus eſt enim Dei eſſe filium, quam poſſidere terram, & conſolationem mereri; ſed quia & primum præmium regnum cælorum eſt, & vltimum præmium regnum cælorum eſt; nunquid æquale præmium incipientibus, atque perfectis eſt?

℟. Propter. 116. Lect. 8.

HAbes primum regnū, quando Sancti rapiūtur in nubibus obuiā Chriſto in aera. Multi enim dormientium ſurgent, iſti in vitam æternam, illi in opprobrium. Primum ergo regnū cælorum Sanctis propoſitū eſt in abſolutione corporis. Secūdum regnum cælorum eſt, poſt reſurrectionem eſſe cum Chriſto. Cum fueris in regno cælorum, tunc proceſſus eſt manſionum: etſi vnum regnum, diuerſa tamē merita ſunt in regno cęlorū.

℟. Sancti mei. 116. Lect. 9.

POſt reſurrectionem terram tuā incipies poſſidere abſolutus à morte. Ille enim, cui dicitur: Terra

es,

es, & in terram ibis: non possidet terram suam: non enim potest esse possessor, qui non capit fructum. Absolutus igitur per dominicã crucem, si tamen intra iugum Domini fuerisinuẽtus, consolationẽ in ipsa possessione reperies. Consolationem sequitur delectatio, delectationem diuina miseratio: quem autem misereatur Dominus, & vocat: qui vocatur, videt vocantem: qui Deum viderit, in ius diuinæ generationis assumitur: tũc demum quasi Dei filius cælestis regni diuitijs delectatur: ille igitur incipit, hic repletur. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Descendens Iesus de monte, stetit in loco campestri; & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sydonis. Et reliqua.

De Homilia S. Ambr. Epis.

NVnc dicamus, quemadmodũ in quatuor benedictionibus Sanctus Lucas benedictiones sit octo amplexus; & quidem scimus virtutes esse quatuor cardinales, temperantiam, iustitiam, prudentiam, fortitudinem. Qui pauper est spiritu, auarus non est. Qui flet, non superbit, sed mitis est, & pacatus. Qui luget, humiliatur. Qui iustus est, non negat, quod scit omnibus ad vsum communiter datũ. Qui miseretur, largitur de suo. Qui suum donat, non quærit alienum, nec dolum proximo suo instruit.

℟. Propter. 116. Lect. 8.

COnnexæ igitur sibi sũt concatenatæque virtutes, vt, qui vnam habeat, plures habere videatur: & sanctis vna competit virtus; sed eius, quæ fuerit vberior, vberius est præmium: quanta hospitalitas in Abraham? quanta humilitas, quanta sanctitas, vt fratris filium ab hoste seruaret: & quanta abstinentia, vt nihil de præda quæreret; sed quia fide

præstitit, fidei præ cæteris meruit principatum: ergo vnicuique plura præmia, quia plura incentiua virtutum. ℟. Sancti mei. 116.

Lectio 9.

SEd quòd in aliquo merito copiosius, hoc etiã in præmio redundantius. Beati igitur pauperes spiritu. Habes temperantiam, quæ à peccato abstinet, sæculum calcat, illecebrosa non quærit. Beati, qui esuriunt, & sitiunt, qui enim esurit, esuriẽti compatitur, compatiendo largitur, largiendo fit iustus: quia iustitia eius manet in æternum. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Descendens Iesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorũ eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sydonis. Et reliqua.

De Homil. S. Ambr. Episc.

ET in Matthæo sitim, & famẽ intelligimus spiritualem, qua cibus iustitiæ desideratur, aut potus: quia virtus quasi materia quædã virtutum est: vt iustus æqualem se inferioribus præstet, dolum excludat, veritatem requirat. Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis. Habes prudentiam, cuius est flere occidua, & ea, quæ æterna sunt, quęrere, lugere sæcularia, quæ se ipsa impugnent, Deum pacis inquirere, qui stulta mundi elegit, vt confundat sapientes & qui ea, quæ non sunt, destruat, vt, quæ sunt, possit adipisci.

℟. Propter. 116. Lec. 8.

BEati eritis, cum vos oderint homines. Habes fortitudinem, sed eam, quæ non odium mereatur ex crimine, sed persecutionem patiatur ex fide. Sic enim ad passionis peruenitur coronam, si gratiam hominum negligas, diuinam sequaris, Denique, vt scias consummationẽ esse fortitudinis passionem, secũdum hæc, inquit, faciebant prophe-

Digitized by Google

phetis patres eorum: quia prophetas Iudæi vsque ad mortem corporis persecuti sunt. ℟. Sancti mei. 116.

Lectio 9.

EST etiam fortitudinis, iram vincere, indignationemque cohibere: ac per hoc fortitudo animum, corpusque confirmat. Nec perturbari sinit timore aliquo vel dolore: quibus velut pra uis interpretibus plerumq; percellimur. Ergo temperantiam cordis habet, animique munditiam; iustitia misericordiam; pacem prudentia; mansuetudinem fortitudo. ℣. Te Deum.

INFRA OCTAVAM PLVRIM. MART.

Homil. in Euang. Matt. c. 24.

Sedente Iesu super mõtem.

IN DIE FESTO.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Matthæum. Cap. 24.

IN illo tempore: Sedente Iesu super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli eius secreto, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt. Et reliqua.

Homil. S. Hilarij Episcopi. *Comment. in Matt. c. 25.*

DIscipuli Dominum interrogãt quando hæc fierent, quodue signum & aduẽtus sui & consũmationis sæculi noscerẽt. Et quia tria hæc in vnum quæsita sunt: distinctis & temporis intelligentiæ significationibus separantur. Respondetur igitur primum, de ciuitatis occasu: & confirmãtur veritate doctrinæ, ne quis fallax ignorantibus posset obrepere. Vẽturi enim erãt etiã eorũ tẽpore qui se Christum essent nuncupaturi. Vt igitur fides pestifero mendacio detrahi posset, admonitio præcessit. ℟. Propter. 116.

Lect. 8.

CONfirmat igitur eos ad tolerantiam passionũ; fugæ, verberationis, interitus, & publici in eos odij propter nomen eius. Atque his quidem vexationibus multi turbabuntur, & tantis insurgentibus malis scandalizabuntur; & vsque in mutuum odium excitabuntur.

tur. Et falſi prophetę erunt, multoſque ementita veritate peruertent: & abundante nequitia caritas refrigeſcet. ℟. Sancti mei. 116.

Lectio 9.

SEd vſque in finem perſeuerantibus ſalus reſeruata eſt: ac tum per omnes orbis partes viris Apoſtolicis diſperſis, Euangelij veritas prædicabitur. Et cũ vniuerſis fuerit cognitio ſacramenti cæleſtis inuecta, tum Ieruſalem occaſus, & finis incumbet: vt prædicationis fidẽ & infidelium pœna, & metus ciuitatis erutæ conſequatur. Hæc igitur in eam vt fuerant prædicta, perfecta ſunt: & lapidatis, fugatis, peremptis Apoſtolis, fame, bello, captiuitate conſumpta eſt. Ac tum fuit digna non eſſe, cum eiectis prædicatoribus Chriſti, indignam Dei prædicationẽ ſe præbuit. Te Deum.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Matt. Lc. 7.

IN illo tempore: Sedente Ieſu ſuper montem Oliueti, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius ſecreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt. Et reliqua.

Hom. S. Hieron. Preſb. *Lib. 4. in Matt. c. 24.*

VBi verum lumen ſcientiæ naſcebatur; accedunt ad eum diſcipuli ſecreto, qui myſteria, & futurorũ reuelationem noſſe cupiebant, & interrogant tria: quo tempore Ieruſalem deſtruenda ſit: quo venturus Chriſtus: quo conſummatio ſæculi futura ſit: multi enim venient in nomine meo, dicentes; Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent, quorum vnus eſt Simõ Samaritanus, quem in Actibus Apoſtolorum legimus, qui ſe magnã dicebat eſſe Dei virtutem: hęc quoque & cætera in ſuis voluminibus ſcripta dimittens: Ego ſum ſermo Dei, ego ſum ſpecioſus, ego paracletus, ego omnipotens, & ego omnia Dei.

℟. Propter. 116. Lect. 8.

HÆc autem omnia initia ſunt dolorum. Non ambigo, hæc quidem iuxta

iuxta litteram futura, quæ ſcripta ſunt, ſed mihi videtur regnum cõtra regnum, & peſtilentia eorum, quorũ ſermo ſerpit vt cancer, & fames audiẽdi verbũ Dei, & cõ motio vniuerſę terræ, & à vera fide ſeparatio in hęreticis magis intelligi: qui contra ſe inuicem dimicantes, eccleſiæ victoriam faciunt, quod autem dixit: Hæc autem omnia initia ſunt dolorum: melius transfertur, parturitionum: vt quaſi conceptus quidam aduentus Antichriſti: non partus intelligatur. ℟. Sancti mei. 116.

Lectio 9.

ET quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet caritas multorum. Non omnium negauit fidem, ſed multorum: multi enim vocati, pauci vero electi. Nam in Apoſtolis, & ſimilibus eorum permanſura eſt caritas, de qua ſcriptum eſt: aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem. Et ipſe Paulus, quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames? Et reliqua. Te Deũ.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Sedente Ieſu ſuper montem Oliueti, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius ſecreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt. Et reliqua.

Homilia S. Io. Chryſoſtomi.

Ex Hom. 76. in Matth.

IDcirco ſeorſum acceſſerunt, quia de magnis, & occultioribus rebus interrogaturi erant. Duo igitur interrogant: vnum, quando hæc erunt; templi huius ſcilicet euerſio: alterum, quod aduentus tui ſignum eſt. Lucas vero vnum, de Ieroſolymis videlicet interrogaſſe ipſos exponit: putabant enim tunc ſtatim aduentum eius futurum. Marcus autẽ non omnes de Ieroſolymorum euerſione, ſed Petrum & Ioannem, qui maiorem apud eum fiduciam habebant, interrogaſſe ait.

℟. Propter. 116.

Lectio 8.

QVid igitur ipſe? Videte, ne quis vos ſeducat: nam; quoniam de Ieroſolymæ ſupplicijs audiẽtes, quaſi omnes periculi inexpres futuri, de ſecũdis ſolũmodo cogitabant, quæ ſe cito conſecuturos arbitrabantur; idcirco rurſus difficiliora eis prædicit, ſuſpenſos faciens, & dupliciter ad vigilandum exhortans, ne adulatione ſeducentium circũueniantur, neve periculorũ vi opprimãtur: duplex enim bellum futurum aſſerit, alterum à ſeductoribus, alterum ab hoſtibus: ſed illud multo grauius: atque periculoſius, quod in confuſione atque turbatione rerum hominibus timore perterritis incumbet.

℟. Sancti mei. 116.

Lectio 9.

MAgna enim tunc profecto tempeſtas Iudæam turbabat, Romana vi ſuperante, multis vrbibus expugnatis, & armis vniuerſa regione referta; qua de cauſa multa facillime credebantur. Nam bella nunc non ea, quę in alijs partibus orbis geſta fuerunt, nulla enim illorum cura erat; ſed ea, quæ aduerſus Ieruſalem Romani ſuſceperunt, prænuntiat: iam enim Romanorum potentia ſollicitos eos faciebat: ac, quoniam turbatura ipſos erat, hæc omnia prædicuntur: vt qſiẽdat deinde ſe quoque ipſum in Iudæos inſurrecturum, non pugnas ſolum, verum etiam illata diuinitus vulnera prædicit. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matt.

Lectio 7.

IN illo tempore: Sedente Ieſu ſuper montem Olineti, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius ſecreto, dicẽtes: Dic nobis: quando hæc erũt. Et reliqua.

De Hom. S. Io. Chryſoſt.

POſteaquã ſollicitos, curioſoſque reddidit, & ad vigilandum paratiores, ſeductorum, & pſeudochriſtorum facta mentione, tũc demum Ieroſolymorum exponit afflictiones, à præteritis

Digitized by Google

tis ſemper ita futura confirmans, vt vel rudiores ad credenda hæc facile induci queant. Bella vero, & bellorum auditum, primos impetus appellat: & ne poſt illa bella conſumptionem omnium futuram putarent, præmuniens intulit: ſed nõdum eſt finis: ſurget enim, ait, gens aduerſus gentem. Afflictionum originem intelligit, hæc autem omnia dolorum principium ſunt, eorum, videlicet, quæ illis accident. ℣ Propter. 116.

Lectio 8.

OPportune pericula diſcipulorum inſeruit, vt à communibus eos conſolaretur, nec tamen id ei ſuffecit, ſed adiecit: propter nomen meum: eritis enim, ait, odio omnibus propter nomen meum. Tunc ſcandalizabuntur multi: maius id malum eſt, ſiquidem inteſtina quoque bella ipſis imminent: multi enim falſi fratres facti, eos turbabũt. Vides bellum triplex futurum? Vnum ab hoſtibus, alterum à ſeductoribus, tertiũ à falſis fratribus. ℣ Sancti mei. 116. Lec. 9.

AVdi nunc Paulum de his plangentem, atque dicentem; Deforis pugnæ, intus timores, & pericula in falſis fratribus. Et rurſus, tales enim falſi apoſtoli sũt, doloſi operarij, in Apoſtolos Chriſti ſe transformantes. Affert inde, quod multo cęteris grauius erat, nec ab ipſa quidem caritate vllum eos ſolamen habituros. Deinde oſtẽdens, generoſo, excelſoque animo nihil hæc officere poſſe, nolite timere, aut turbari, ait; nam ſi tolerantiam, vt decet, habebitis, non ſuperabunt vos hæc mala. ℣ Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eua. ſec. Matthæum.

Lectio 7.

IN illo tempore: Sedente Ieſu ſuper montem Olieti, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius ſecreto, dicẽtes: Dic nobis, quando hęc erũt. Et reliqua.

Hom. Venera. Bedæ Presb. *Ex lib. 4. com. in Marcum.*

Digitized by Google

SEdet Dominus in mon te Oliuarum contra tẽplum, cum de ruina templi, & excidio gentis diſputat, vt etiam ipſo corporis ſitu verbis, quæ loquitur congruat, myſtice deſignans, quia quietus manens in factis ſuperborum deteſtatur amentiam. Quis enim non videat, quod mons Oliueti fructiferam deſignet ſanctæ Eccleſiæ celſitudinem, quam Dominus ſemper inhabitare delectatur? quia videlicet mons ille non infructuoſas habere arbores, & ſyluam ſterilem, ſed oliuas gignere ſolebat, quibus ad repellendas noctium vmbras lumen alitur, ſoluũtur infirmitates, & requies laſſis tribuitur.

℣. Propter. 116. Lect. 8

QVæ cuncta ſpecialiter in Eccleſia fieri probat ipſa, cum dicit: Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Domini ſperabo in miſericordia Dei mei. Videte, ne quis vos ſeducat, multi imminente Ieroſolymorum excidio Principes extitere, qui ſe eſſe Chriſtos dicerent, tempuſq; libertatis iamiamque appropinquare referrẽt. Multi in Eccleſia ipſis etiam temporibus Apoſtolorum hæreſiarchæ prodiere: qui inter alia plurima veritati cõtraria, diem Domini prædicarent inſtare; quos Apoſtolus in epiſtola ad Theſſalonicenſes damnat. ℟. Sancti mei. 116. Lect. 9.

MVlti in nomine Chriſti venere Antichriſti, quorum primus eſt Simõ Magus, cui, ſicut in Actibus Apoſtolorum legimus, auſcultabant omnes, qui in Samaria erant, à minimo vſque ad maximum, dicẽtes; Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna, eo quod multo tempore magicis artibus ſuis dementaſſet eos. Cum audieritis autem bella, & opiniones bellorum, ne timueritis. Bella ad hoſtes pertinent, ſeditiones ad ciues. Quæ vtraque à tempore dominicæ paſſionis in populo Iudæorum, qui ſibi pro Saluatore Chriſto ſedi-

tio-

Digitized by Google

tiosum latronem elegit, satis superque constat abundasse. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Sedente Iesu super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli eius secreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt. Et reliqua.

Homil. S. Augustini Episc. *De corrept. & grat. c. 6.*

NEgare non possumus, etiam perseuerantiã in bono proficientem vsque in finem, magnum esse Dei munus; nec esse nisi ab illo, de quo scriptum est, omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum; nam si dixerimus, istã perseuerantiam tam laudabilem, tamque felicem sic esse hominis, vt ei non sit ex Deo: illud primitus euacuamus, quod ait Dominus Petro: Rogaui pro te, ne deficiat fides tua: quid enim ei rogauit, nisi perseuerãtiam vsq; in finẽ? ℟. Propter. 116.

Lectio 8.

DEinde cum dicit Apostolus: Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali: procul dubio perseuerantiam eius orat ad Deũ: neque enim nihil mali facit, qui bonum deserit, & à quo declinare debet, inclinatur in malum, non perseuerans in bono. Nec aliud oramus, cum oramus, vt qui stat, stet, nisi vt perseueret. Quid est etiam, quod in Apostolorũ Actibus legimus: Audientes autem gentes gauisæ sunt, & exceperunt verbum Domini, & crediderunt, quotquot erant ordinati in vitam æternam. Quis in æternam vitã potuit ordinari, nisi perseuerantiæ dono? ℟. Sancti mei. 116.

Lec. 9.

QVi perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Qua salute, nisi æterna? cum in oratione Dominica Deo Patri dicimus; Sanctificetur nomen tuum: quid aliud dicimus, quam vt nomen eius sanctificetur in nobis? quod

cum

Digitized by Google

cùm iam per lauacrum regenerationis effectum sit, quare quotidie à fidelibus poscitur, nisi vt in eo, quod factum est in nobis, perseueretur à nobis? nullo autem dubitante quisquis à Domino, vt in bono perseueret, precatur; donum eius esse talem perseuerantiam confitetur. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Sedente Iesu super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli eius secreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt. Et reliqua.

Homilia S. Io. Chrysostomi.

Ex hom. 34. in Matt.

QVi autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hæc etiam alioquin animos discipulorum extollere possent, atque cõfirmare: quoniam tantam prædicationis suæ virtutem audiebant futurã, vt omnis sanguinis cõiunctio virtute illius cõtemneretur, omnis affinitas sperneretur, omnia illi cederent aduersa, omnis potestas vndique pelleretur. Nam si nulla naturæ vis aduersus sermonem vestrum potest reluctari, sed vniuersa deprimitur, atque resoluitur, quidnam aliud vincere vos poterit? ℟. Propter. 116.

Lectio 8.

EGo certe stupeo, quod nulla ambiguitate detenti fuerunt, nullam liberationem ab his malis quæsierunt, præsertim cum non per duos, vel tres annos, sed per totam vitam hoc impẽdere sibi perciperent. Hoc enim ipsum signanter expressit, cum dixit: Qui autẽ in finem perseuerauerit, hic saluus erit. Vult quippe non solum gratia sui ipsos esse munitos, sed à se ipsis etiam nonnihil conferre. Quod ita esse videbis, si altius consideraueris, alia omnino ad eũ, alia etiã ad discipulos posse referri. ℟. Sãcti mei. 116.

Lectio 9.

COntinuam ergo patiẽtiam quæritinam, ne quis

quis nihil Apoſtolis ſed totum Chriſto attribuat; ne quis nihil mali pertuliſſe Apoſtolos putet, atque ideo de patientia ipſorum non admiretur, idcirco patientia quoque veſtra opus eſt, ait: nam etſi primo vos à periculis eruam, grauiora tamen alia, atque alia deinde ſuccedent, nec exitus vnquã illorum erit in hac vita; qui enim perſeuerauerit in finẽ, hic ſaluus erit. Te Deum.

IN DIE OCTAA.

In tertio Nocturno.

Homil. S. Gregor. in Euang.

Cum audieritis, &c.

Vt in Breuiario in cõmuni plur. mar. Vel ea, quæ in hac octaua fortaſſe fuerit omiſſa ob Dominicam, vel feſtum infra oct. occurrens.

INFRA ŌCTAVAM ILLVR. MARTYRVM.

Homil. in Euang. Matt. c. 5.

Videns Ieſus turbas.

IN DIE FESTO.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. ſec. Matt. c. 7.

IN illo tempore: Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem; & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſc. *Lib.* 1. *de ſer. Dom. in monte, ſub init.*

SI quæritur quid ſignificet mons, bene intelligitur ſignificare maiora præcepta iuſtitiæ, quia minora erant, quæ Iudæis data ſunt. Vnus tamen Deus per ſanctos Prophetas, & famulos ſuos, ſecundum ordinatiſſimam diſtributionem temporum dedit minora præcepta populo, quem timore adhuc allegari oportebat: & per filium ſuum maiora populo, quem caritate iam liberari conuenerat. Cum autem minora minoribus, maiora maioribus dantur, ab eo dantur, qui ſolus nouit congruentem ſuis temporibus generi humano exhibere medicinam.

℟. Propter. 116. Ie 8.

NEc mirum eſt, quod dantur præcepta maiora propter regnum cælorum, & minora data ſunt propter regnum terrenum,

ab

ab eodem vno Deo, qui fecit cælum & terram. De hac ergo iuſtitia, quæ maior eſt, per Prophetam dicitur: Iuſtitia tua ſicut mõtes Dei: & hoc bene ſignificat, quod ab vno magiſtro, ſolo docendis tantis rebus idoneo, docetur in monte. Sedens autẽ docet, quod pertinet ad dignitatem magiſterij. Et accedũt ad eum diſcipuli eius, vt audiendis illius verbis hi eſſent etiam corpore viciniores, qui præceptis adimplendis etiam animo propinquabant. Et aperiens os ſuũ docebat eos, dicens. Iſta circumlocutio fortaſſis ipſa mora commendat aliquanto longiorem futurum eſſe ſermonem. Niſi forte non vacet, quod nũc eum dictum eſt aperuiſſe os ſuum, quod ipſe in lege veteri aperire ſoleret ora Prophetarum.

℟. Sancti mei. 116.

Lectio 9.

QVid ergo dicit? Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Legimus ſcriptum de appetitione rerum temporalium: Omnia vanitas, & præſumptio ſpiritus. Præſumptio autem ſpiritus, audaciam & ſuperbiã ſignificat. Vulgo etiam magnos ſpiritus ſuperbi habere dicuntur: & recte, quandoquidem ſpiritus etiam ventus vocatur. Vnde ſcriptum eſt: Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarũ. Quis vero neſciat, ſuperbos inflatos dici, tamquam vento diſtentos? Vnde eſt etiam illud Apoſtoli: Scientia inflat, caritas vero ædificat. Quapropter recte hic intelliguntur pauperes ſpiritu, humiles, & timentes Deum, ideſt, non habentes inflantẽ ſpiritũ. Te Deum.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem: & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius. Et reliqua.

De Homi. S. Auguſtini Epiſ. *Ex l. 1. de Serm. Dom. in mon. c. 1. & 2.*

Non

Digitized by Google

NOn aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem, quam à paupertate ſpiritus, ſiquidem peruentura eſt ad ſummam ſapientiam. Initium autem ſapientiæ, timor Domini: quoniã & è contrario, initiũ omnis peccati ſuperbia ſcribitur. Superbi autem appetunt & diligunt regna terrarum. Beati mites, quoniam ipſi hæreditate poſſidebunt terram. Illam credo terram, de qua in Pſalmo dicitur: Spes mea es tu, portio mea in terra viuentium. Significat enim quandã ſoliditatẽ & ſtabilitatem hęreditatis perpetuę, vbi anima per bonum affectum, tanquam loco ſuo requieſcit, ſicut corpus in terra: & inde cibo ſuo alitur, ſicut corpus ex terra: ipſa eſt requies, & vita ſanctorum. Mites autem ſunt, qui cedunt improbitatibus, & non reſiſtunt malo, ſed vincunt in bono malũ. ℟. Propter. 116.

Lectio 8.

BEati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur. Luctus eſt triſtitia de amiſſione carorum: conuerſi autem ad Deum: ea quæ in hoc mũdo cara amplectebãtur, amittunt. Non enim gaudent ijs rebus, quibus ante gaudebant: & donec fiat in illis amor æternorum, nonnulla mœſtitia ſauciantur. Conſolabuntur ergo Spiritu ſancto, qui maxime propterea Paraclitus nominatur, ideſt, conſolator: vt temporalia amittentes, æterna lætitia perfruãtur. ℣. Sãcti mei. 116

Lectio 9.

BEati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniã ipſi ſaturabuntur. Iam iſtos amatores dicit veri & incõcuſſi boni. Illo ergo cibo ſaturabuntur, de quo ipſe Dominus dicit: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatẽ Patris mei, quod eſt iuſtitia, & illa aqua, de qua quiſquis biberit, vt idem dicit, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Beati miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus. Beatos eſſe dicit, qui ſubueniũt miſeris: quod eis ita rependitur, vt

de

de miseria liberentur. Et Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth. Lectio 7.

IN illo tempore: Videns Iseus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Et reliqua.

De Hom. S. Augustini Episc. *Lib. 1. de serm. Domini in monte c. 2.*

BEati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quàm ergo stulti sunt, qui Deum istis exterioribus oculis quærunt, cum corde videatur, sicut alibi scriptum est: Et in simplicitate cordis quærite illum. Hoc est enim mundum cor, quod & simplex cor. Et quemadmodum lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis: ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud, quo videri potest. Beati pacifici, quoniam ipsi, Filij Dei vocabũtur. In pace perfectio est, vbi nihil repugnat: & ideo Filij Dei pacifici, quoniã nihil in his resistit Deo, & vtique filij similitudinem patris habere debent.

℣. Propter. 116. Lect. 8.

PAcifici, autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subijcientes rationi, idest menti, & spiritui, carnalesque cõcupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, vt id quod est in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet ceteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia: atque idipsum quod excellit in homine; idest, mens & ratio, subijciatur potiori, quod est ipsa veritas, vnigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subijciat. Et hæc est pax, q̃ datur in terra hominibus bonę volũtatis: hęc vita cõsummati perfectique sapientis. ℟. Sancti mei. 116

Lectio 9.

DE huiusmodi regno pacatissimo & ordinatissimo missus est foras princeps

Digitized by Google

ceps huius ſæculi, qui perueršis inordinatiſque dominatur. Hac pace intrinſecus conſtituta atque firmata, quaſcumque perſecutiones ille qui foras miſſus eſt, foriſſecus concitauerit, auget gloriam quę ſecundum Deũ eſt, non aliquid in illo ædificio labefactans, ſed deficientibus machinis ſuis innoteſcere faciens, quanta firmitas intus extructa ſit. Ideo ſequitur: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt, regnum cælorum. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem: & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius. Et reliqua.

De Homil. S. Auguſt. Epiſc. *Lib.* 1. *de ſerm. Domini in monte, c.* 3.

SVnt autem omnes iſtæ octo ſententiæ. Iam enim cetera compellans loquitur ad illos qui aderant, dicens: Beati eritis, cum vobis maledicent, & perſequentur vos. Superiores autem ſententias generaliter dirigebat. Non enim dixit: Beati pauperes ſpiritu, quoniam veſtrum eſt regnum cælorum: ſed, Quoniam ipſorum eſt, inquit, regnum cælorum: neque, Beati mites, quoniam vos poſſidebitis terrã; ſed; Quoniam ipſi poſſidebunt terram: & ita cæteras, vſque ad octauam ſententiam, vbi ait: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. R. Propter. 116.

Lectio 8.

INde iam incipit loqui, præſentes compellans; cum & illa quæ ſupra dicta ſunt, ad eos etiam pertinerent, qui præſentes audiebant: & hæc poſtea, quæ videntur præſentibus ſpecialiter dici, pertineant etiam ad illos, qui abſentes, vel poſt futuri erant. Quapropter iſte ſententiarum numerus diligenter conſideran-

Digitized by Google

randus est. Incipit enim beatitudo ab humilitate: Beati pauperes spiritu, idest, non inflati, dum se diuinæ auctoritati subdit anima, timens post hanc vitam ne pergat ad pœnas, etiam si forte in hac vita, beati sibi esse videantur. ℟. Sancti mei. 116.

Lect.

INde venit ad diuinarum scripturarum cognitionem, vbi oportet eam se mitem præbere pietate: ne id quod imperitis videtur absurdum, vituperare audeat, & peruicacibus concertationibus efficiatur indocilis. Inde iam incipit scire, quibus nodis sæculi huius per carnalem consuetudinẽ ac peccata teneatur. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Videns Iesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: Et reliqua.

De Homil. S. August. Episc.

ITaque in hoc tertio gradu, in quo scientia est, lugetur amissio summi boni, quia inhæretur extremis. In quarto autem gradu labor est: vbi vehementer incumbitur, vt sese animus auellat ab eis, quibus pestifera dulcedine innexus est. Hic ergo esuritur & sititur iustitia, & multum necessaria est fortitudo: quia non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur. Quinto autem gradu perseuerantibus in labore, datur euadendi consilium: quia nisi quisque adiuuetur à superiore, nullo modo sibi est idoneus, vt sese tantis miseriarum implicamentis expediat. Est autem iustum consilium, vt qui se à potentiori adiuuari uult, adiuuet & infirmiorem, in quo est ipse potentior. Itaque beati miseticordes, quia ipsorum miserebitur Deus. ℟. Propter. 116.

Lect. 8.

SExto gradu est cordis munditia de bona conscientia bonorum operum, valens ad contemplandum sum-

Digitized by Google

ſummum illud bonũ, quod ſolo puro & ſereno intellectu cerni poteſt. Poſtremo eſt ſeptima ipſa ſapientia, ideſt, contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, & ſuſcipiẽs ſimilitudinem Dei; quæ ita concluditur: Beati pacifici, quoniam ipſi filij Dei vocabuntur. Octaua tamquam ad caput redit, quia conſummatum, perfectumque oſtendit, & probat. Itaque in prima & in octaua nominatum eſt regnum cælorum: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: &, Beati qui perſecutionem patiũtur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnũ cælorum. ℟. Sãcti mei. 116.

Lectio 9.

CVm iam dicitur: Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Septem ſunt ergo quæ perficiunt: nam octaua clarificat, & quod perfectum eſt demonſtrat, vt per hos gradus perficiantur & ceteri, tamquam à capite rurſum exordiens. Videtur ergo mihi etiam ſeptiformis operatio Spiritus ſancti, de qua Iſaias loquitur, his gradibus, ſententijſque congruere. Sed intereſt ordinis: nam ibi enumeratio ab excellentioribus cœpit, hic vero ab inferioribus. Ibi namque incipit à ſapientia Dei, & deſinit ad timorem Dei: ſed initium ſapiẽtiæ timor Domini eſt. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. & S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius. Et reliqua.

De Homilia S. Augu. Epiſc. *Lib. 1. de ſer. Dom. in monte cap. 4.*

QVapropter ſi gradatim tãquam aſcendẽtes numeremus, primus ibi eſt timor Dei, ſecunda pietas, tertia ſcientia, quarta fortitudo, quintum conſiliũ, ſex-

randus eſt. Incipit enim beatitudo ab humilitate: Beati pauperes ſpiritu, ideſt, non inflati, dum ſe diuinæ auctoritati ſubdit anima, timens poſt hanc vitam ne pergat ad pœnas, etiamſi forte in hac vita, beati ſibi eſſe videantur. ℣. Sancti mei. 116.

INde venit ad diuinarum ſcripturarum cognitionem, vbi oportet eam ſe mitem præbere pietate: ne id quod imperitis videtur abſurdum, vituperare audeat, & peruicacibus concertationibus efficiatur indocilis. Inde iam incipit ſcire, quibus nodis ſæculi huius per carnalem conſuetudinẽ ac peccata teneatur. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

IN illo tempore: Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem: & cum ſediſſet, accеſſerunt ad eum diſcipuli eius: Et reliqua.

De Homil. S. Auguſt. Epiſc.

ITaque in hoc tertio gradu, in quo ſcientia eſt, lugetur amiſſio ſummi boni, quia inhæretur extremis. In quarto autem gradu labor eſt: vbi vehementer incumbitur, vt ſeſe animus auellat ab eis, quibus peſtifera dulcedine innexus eſt. Hic ergo eſuritur & ſititur iuſtitia, & multum neceſſaria eſt fortitudo: quia non relinquitur ſine dolore, quod cum delectatione retinetur. Quinto autem gradu perſeuerantibus in labore datur euadendi conſilium: quia niſi quiſque adiuuetur a ſuperiore, nullo modo ſibi eſt idoneus, vt ſeſe tantis miſeriarum implicamentis expediat. Eſt autem iuſtum conſilium, vt qui ſe a potentiori adiuuari uult, adiuuet & infirmiorem, in quo eſt ipſe potentior. Itaque beati miſericordes, quia ipſorum miſerebitur Deus. ℣. Propter. 116.

Lect. 2.

SExto gradu eſt cordis munditia de bona conſcientia bonorum operum, valens ad contemplandum ſum-

ſummum illud bonũ, quod ſolo puro & ſereno intellectu cerni poteſt. Poſtremo eſt ſeptima ipſa ſapientia, ideſt, contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, & ſuſcipiẽs ſimilitudinem Dei; quæ ita concluditur: Beati pacifici, quoniam ipſi filij Dei vocabuntur. Octaua tamquam ad caput redit, quia conſummatum, perfectumque oſtendit, & probat. Itaque in prima & in octaua nominatum eſt regnum cælorum: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: &, Beati qui perſecutionem patiũtur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnũ cælorum. ℟. Sãcti mei. 116.

Lectio 9.

CVm iam dicitur: Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Septem ſunt ergo quæ perficiunt: nam octaua clarificat, & quod perfectum eſt demonſtrat, vt per hos gradus perficiantur & ceteri, tamquam à capite rurſum exordiens. Videtur ergo mihi etiam ſeptiformis operatio Spiritus ſancti, de qua Iſaias loquitur, his gradibus, ſententijſque congruere. Sed intereſt ordinis: nam ibi enumeratio ab excellentioribus cœpit, hic vero ab inferioribus. Ibi namque incipit à ſapientia Dei, & deſinit ad timorem Dei: ſed initium ſapiẽtiæ timor Domini eſt. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. & S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius. Et reliqua.

De Homilia S. Augu. Epiſc. *Lib.* 1. *de ſer. Dom. in monte cap.* 4.

QVapropter ſi gradatim tãquam aſcendẽtes numeremus, primus ibi eſt timor Dei, ſecunda pietas, tertia ſcientia, quarta fortitudo, quintum conſiliũ, ſex-

sextus intellectus, septima sapientia. Timor Dei congruit humilibus, de quibus hic dicitur. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: ideſt, non inflati, non superbi, de quibus Apostolus dicit: Noli altum sapere, sed time; ideſt, noli extolli. Pietas congruit mitibus. Qui enim pie quærit, honorat sanctam scripturam, & non reprehēdit quod nondum intelligit, & propterea non resistit; quod est mitem esse. Vnde hic dicitur: Beati mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terrā. ℣. Propter. 116

Lectio 8.

SCientia congruit lugentibus, qui iam cognouerunt in scripturis, quibus malis vincti teneantur, quæ tanquā bona & vtilia ignorantes appetierunt; de quibus hic dicitur: Beati qui lugent nunc. Fortitudo congruit esurientibus & sitientibus. Laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, & amorem à terrenis & corporalibus auertere cupientes, de quibus hic dicitur: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Consilium congruit misericordibus: hoc enim vnum remedium est de tantis malis euadendi vt dimittamus, sicut nobis dimitti volumus: & adiuuemus, in quo possumus alios, sicut & nos, in quo non possumus, cupimus adiuuari; de quibus hic dicitur: Beati misericordes, quoniam ipsorū miserebitur Deus. ℣. Sancti mei. 116. Lect. 9.

INtellectus congruit mūdis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni possit quod corporeus oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit; de quibus hic dicitur: Beati mūdo corde, quoniā ipsi Deum videbūt. Sapientia congruit pacificis, in quibus iam ordinata sunt omnia, nullusq; motus aduersus rationem rebellis est, sed cuncta obtēperāt spiritui hominis, cum & ipse obtemperet Deo; de quibus hic dicitur: Beati pacifici. Vnum autem præmium, quod est regnum cælorum,

lorum, pro his gradibus varie nominatum est. Ie Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Videns Iesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Et reliqua.

De Hom. S. Augu. Episcopi. *Ex lib. 1. de ser. Domini in monte, cap. 4.*

IN primo gradu, sicut oportebat, positum est regnum cælorum, quod est perfectæ summæque sapientię animę rationalis. Sic itaque dictum est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnum cælorum: tamquam diceretur, Initium sapientiæ timor Domini. Mitibus hereditas data est, tanquam testamentum Patris cum pietate quærentibus. Beati mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram. Lugentibus consolatio, tanquam sciẽtibus quid amiserint, & quibus mersi sunt. Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur. Esurientibus & sitientibus saturitas, tanquam refectio laborantibus, fortiterque certantibus ad salutem. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

℟. Propter. 116. Le. 8.

MIsericordibus misericordia, tanquam vero & optimo consilio vtentibus, vt hoc eis exhibeatur à potentiore, quod inualidioribus ipsi exhibent. Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Mundis corde facultas est videndi Deum, tamquam purum oculum ad intelligẽda æterna gerentibus. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Pacificis Dei similitudo est, tanquam perfecte sapientibus, formatisque ad imaginem Dei per regenerationem renouati hominis. Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur. Et ista quidem in hac vita possunt compleri, sicut completa esse in Apo-

Digitized by Google

ſtolis credimus. Nam illa omnimoda & in Angelicam formam mutatio, quæ poſt hanc vitam promittitur, nullis verbis exponi poteſt.

℟. Sancti mei. 116. Le. 9.

BEati ergo qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorū. Hæc octaua ſententia, quæ ad caput redit, perfectumq; hominem declarat, ſignificatur fortaſſe, & circumciſione octauo die in veteri teſtamēto, & Domini reſurrectione poſt Sabbatum, qui eſt vtiq; octauus, idemque primus dies, & celebratione octauarum feriarum, quas in regeneratione noui hominis celebramus; & numero ipſo Pentecoſtes: nam ſeptenario numero ſepties multiplicato, quo fiūt quadraginta nouem, quaſi octauus additur, vt quinquaginta compleantur. Et tanquā redeatur ad caput, quo die miſſus eſt Spiritus ſanctus, eo in regnum cælorum ducimur, & hereditatem accipimus, & conſolamur, & paſcimur, & miſericordiam conſequimur, & mundamur, & pacificamur. Atque ita perfecti, omnes extrinſecus illatas moleſtias pro veritate, & iuſtitia ſuſtinemus. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 5.

IN illo tempore: Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem: & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius. Et reliqua.

De Hom. S. Auguſt. Epiſc. *Ex lib. 1. de ſerm. Domini in monte, cap. 5.*

BEati eritis, cum vobis maledicent, & perſequentur vos, & dicent omne malum aduerſum vos, mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniā merces veſtra multa eſt in cælis. Animaduertat quiſquis delicias huius ſæculi, & facultates rerum temporalium quærit in nomine Chriſtiano, intrinſecus eſſe beatitudinem noſtram, ſicut de anima eccleſiaſtica ore pro-

prophetico dicitur: Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. Nam extrinsecus maledicta, & persecutiones, & detractiones promittuntur: de quibus tamen magna merces est in cælis, quæ sentitur in corde patientium, eorum qui iam possunt dicere. Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spē, spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. ℟. Propter 116.

Lectio 8.

NOn enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine non solum æquo animo, sed etiã cum exultatione tolerare. Nam multi hæretici nomine Christiano animas decipientes, multa talia patiuntur: sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non dictũ est tantum, Beati qui persecutionem patiuntur: sed additum est, Propter iustitiã. Vbi autem sana fides non est, non potest esse iustitia: quia iustus ex fide viuit. Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittãt: quia similiter vbi caritas non est, non potest esse iustitia. Dilectio enim proximi malum non operatur: quam si haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia. ℟. Sancti mei. 116.

Lectio 9.

QVid est sane, quod etiã hoc non est nude posi tum, vt diceretur: Et dicent omne malum aduersum vos: sed additũ est, mentiẽtes: additum est etiã, propter me? Propter eos additum puto, qui volunt de persecutionibus, & de famæ suæ turpitudine gloriari; & ideo dicere, ad se pertinere Christum, quia multa de illis dicuntur mala: cum & vera dicantur, quando & de illorum errore dicuntur: etsi aliquando etiam nonnulla falsa iactantur, quod temeritate hominum plerumque accidit, non tamen propter Christum ista patiuntur. Nõ

Digitized by Google

enim Christum sequitur, qui non secundum veram fidem, & Catholicam disciplinã Christianus vocatur. Te Deum.

INFRA OCTAVAM PLVR. MARTYRVM.

Hom. in Euang. Matt. c. 11.

Confiteor tibi Pater, &c.

IN DIE FESTO.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth. *cap.* 11. Lect. 7.

IN illo tempore: Respõdens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et reliqua.

Homilia S. Aug. Episcopi. *Serm.* 10. *de verbis Domini.*

VEnite, inquit, ad me omnes qui laboratis. Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus homines mortales, fragiles, infirmi, lutea uasa portantes, quæ faciunt inuicem angustias? Sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia caritatis. Quid ergo dicit, Venite ad me omnes qui laboratis, nisi vt non laboretis? Denique promissio eius in promptu est, quoniam laborantes vocauit. Quærent forte, qua mercede vocati sunt. Et ego vos, inquit, reficiam. Tollite iugum meũ super vos, & discite à me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia & inuisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare; sed quoniam mitis sum, & humilis corde. ℟. Propter. 116.

Lectio 8.

MAgnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam cõstruere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult & disponit superimponere molem ædificij, quanto erit maius ędificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum cõstruitur, in suprema consurgit: qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fasti-

stigium post humiliationem erigitur. ℟. Sanctimei. 116

Lectio 9.

QVod est fastigium cõstruendæ fabricæ, quã molimur? quo peruenturum est cacumen ædificij? Cito dico, vsque ad cõspectum Dei. Videtis quam excelsum est, quanta res est conspicere Deum. Qui desirat, & quod dico, & quod audit intelligit. Promittitur nobis conspectus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, vidẽtem videre. Nam qui colũt falsos deos, facile illos vident: sed eos vident, qui oculos habent, & non vident. Nobis autem promittitur visio Dei viuentis & videntis. Te Deum.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Respondens Iesus dixit; Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homil. S. Io. Chrysostomi.

Hom. 39. in Matt.

NOn hic, aut ille, sed omnes, qui curis, qui doloribus, qui peccatis laboratis, venite ad me, non vt pœnas luatis, verum vt dolores, peccataque vestra resoluantur, venite ad me, non quia glorificari me à vobis opus est mihi, sed quia salutem vestram maxime sitio. Ego, inquit, requiem vobis tribuam: non dixit, saluos faciam, sed, quod maius est, in omni quiete constituam. Tollite iugum meũ super vos, Nolite onus pertimescere; suauitatis enim eximiæ plenum. ℟. Propter. 116. Lect. 8.

QVomodo autem in superioribus dicebat angustam esse ianuã, & arduam tribulationibus viam? quando videlicet desidia, quando ignauia dissolutus es. Nam, quando, quæ dicta sunt, perfeceris, leue tunc erit onus: quapropter magnitudine retributionis etiam nunc leue appellatur. Quomodo autem, inquies,

quæ dicta ſunt, perficiam animo? ſi humilitate ſyncera, ſi manſuetudine vera, ſi moderatione integra te cõmunies. Humilitas quippe virtus eſt, & ſublimioris philoſophiæ mater eſt, atque origo. ℣. Sancti mei. 116.

Lectio 9.

COnſidera, quomodo his omnibus vt humilitatem præcipue colant, ipſis perſuadet. Primo in ijs, quæ ipſe peregit: Diſcite, inquit, à me, quoniam mitis ſum. Deinde magnitudine retributionis; Inuenietis enim requiem animabus veſtris. Præterea ijs, quæ ipſe gratis affert: Ego enim inquit, requiem vobis compræſtabo: ad hæc, quia facilem rem, atque ſuauem eſſe approbauit: Suaue namque iugum eſt, inquit, & onus meum leue. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Reſpondens Ieſus dixit; Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et reliqua.

De Homil. S. Io. Chryſoſt.

SEd quomodo, inquies, leue hoc onus eſt? doceat te Paulus dicens: Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Doceant te illi, qui à ſynagogis Iudæorũ poſt mille flagella, ac verbera ſummo gaudio affecti redibant, quia videlicet digni ſunt inuenti, qui pro Chriſti nomine vexarentur: quod ſi adhuc iugum, ac onus audiendo, formidas nimium, atque perhorreſcis, non naturæ rerum huiuſmodi timorem, ſed ignauiæ totum attribuas. ℣. Propter. 116.

Lectio 8.

QVapropter etiã Chriſtus, vt quanta cura vigilandum eſſet certiores nos redderet: non ſiluit onera, nec ſuauia tacuit: ſed vtrumque complexus, & iugum dixit, & ſuaue ap-

appellauit: onus apposuit, & leue adiecit: vt ne, aut tanquam laborioſa nimium fugeres, aut tanquam nimiũ facilia contemptu proſequereris: quod ſi poſt hæc omnia vehementer ardua, difficiliſque tibi virtus videtur, veniat in mentem tibi, quãto difficilior vitioſitas eſt: quod ipſe occultius ſignificat, cum antequam de iugo ſuo aliquid dixerit: Venite ad me omnes, exclamauerit, qui laboratis, & onerati eſtis. ℟. Sancti 116.

Lectio 9.

HIc enim oſtendere voluit, quantum laborem, quantum grauamen intolerabile, peccatum hominibus afferat: idcirco nõ, qui laboratis, ſolummodo ait, ſed etiam, qui onerati eſtis: quod Pſalmiſta ſignificauit apertius, & naturam ipſius peccati deſcripſit, dicens: ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Zacharias quoque ſimiliter plumbi talentum eſſe ait. Nullo enim pondere grauius premitur anima, nihil tam vehementer mentis reſtringit oculos, nihil magis deijcit, atque proſternit, quam male actæ vitæ, ac peccatorum conſcientia, & recordatio. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Reſpondens Ieſus dixit; Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et reliqua.

Hom. S. Hieron. Presb. *Lib. 2. in Matth. c. 11.*

AVdiant, qui Saluatorẽ non natum, ſed creatũ calumniantur: quod patrem ſuum vocet cæli & terræ Dominum: ſi enim & ipſe creatura eſt; & creatura conditorem ſuum patrem appellare poteſt: ſtultum fuit non, & ſui, & cæli ac terræ Dominum, vel patrem ſimiliter appellare. Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus. Gratias agit, & exultat in patre, quod Apoſtolis ſui ad-

aduentus aperuerit sacramenta, quæ ignorauerint Scribæ, & Phariſæi, qui ſibi ſapientes videntur, & in conſpectu ſuo prudentes, iuſtificata eſt ſapientia a filijs ſuis. ℟. Propter. 116.

Lectio 8.

OMnia mihi tradita sũt à patre meo; & tradẽtem patrem, & accipiẽtem filium myſtice intelligo. Alioquin ſi iuxta fragilitatem noſtram ſentire volumus; cum cœperit habere, qui accipit, incipiet non habere, qui dederit: tradita autem ſibi omnia, non cælum, & terra, & elementa intelligenda ſunt, & cætera, quæ ipſe fecit, & condidit, ſed hi, qui per filium acceſſum habent ad patrem, & ante rebelles Deum poſtea ſentire cœperunt. ℟. Sãcti mei. 116

Lectio 9.

EOs, qui grauiſſimo legis iugo premebantur ad euangelij inuitat gratiam: Iugum enim meũ ſuaue eſt, & onus meum leue, quomodo leuius lege euangelium: cum in lege homicidium; in Euangelio ira damnetur? qua ratione Euangelij gratia facilior; cũ in lege adulterium; in Euangelio concupiſcentia puniatur? In lege multa præcepta ſunt, quæ Apoſtolus non poſſe compleri, pleniſſime docet. In lege opera requiruntur, quę qui fecerit, viuet in eis. In Euangelio voluntas quęritur: quæ etſi effectum non habuerit, tamen præmium non amittit. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Reſpondens Ieſus dixit; Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hęc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et reliqua.

Homilia S. Auguſ. Epiſc.
Serm. 8. *de ver. Dom.*

SI digne, ſi diligenter, ſi quod primum eſt pie conſideremus, inuenimus primitus, non ſemper cum in ſcripturis legimus confeſſionem, debere nos intelligere

ligere vocem peccatoris : maxime autem hoc dicendum fuit,& hinc admonenda caritas vestra, quia mox vt hoc verbum sonuit vox lectoris, secutus est etiam sonus tunsionis pectoris vestri,audito scilicet,quod Dominus ait , Confiteor tibi Pater : tundere autem pectus quid est, nisi arguere, quod latet in pectore , & cuidenti pulsu occultum castigare peccatum ?

℣. Propter. 116. Lect. 8.

NVnc ergo aduertite. Si,Cõfiteor,Christus dixit, à quo longe est omne peccatum non solius est cõfiteri peccatoris, sed etiam aliquando laudatoris. Confitemur ergo,siue laudantes Deum, siue accusantes nosmetipsos . Pia est vtraque confessio,siue cum te reprehendis, qui non es sine peccato,siue cum illum laudas, qui non potest habere peccatum : si autem bene cogitemus,reprehensio tua,laus ipsius est;quare enim iam cõfiteris in accusatione peccati ; in accusatione tui ipsius?quare confiteris?quia ex mortuo factus es viuus.

℣. Sancti mei. 116. Lect. 9

SCriptura ait: A mortuo quasi qui non sit, perit confessio : si perit à mortuo confessio, qui confitetur,viuit : & si peccatum confitetur, vtique à morte reuixit: si peccati confessor reuixit à morte: quis illum suscitauit ? nullus mortuus est sui ipsius suscitator:ille solus se potuit suscitare,qui mortua carne non mortuus est : etenim hoc suscitauit , quod mortuum fuit : ille suscitabat, qui viuebat in se. Mortuus est autem peccator , maxime ille , quem moles consuetudinis premit, quasi sepultus Lazarus: quis eum suscitauit , nisi qui remoto lapide clamauit,dicens: Lazare veni foras? ergo in confessione sui accusatio, Dei laudatio est . Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Matt. Le. 7.

IN illo tempore: Respondens Iesus dixit ; Confiteor tibi Pater,Domine cæli

Digitized by Google

li & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus,& prudẽtibus, & reuelaſti ea paruulis. Et reliqua.

De Hom.S.Auguſtini Epiſc.

AVdi ergo Dominum confitentem,Cõfiteor tibi pater, Domine cæli & terræ. Quid confiteor? in quo te laudo?hæc enim confeſſio, vt dixit, laudem habet.Quia abſcõdiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Quid eſt hoc,fratres?A contrario ſenſu intelligite, abſcõdiſti hæc,inquit,à ſapientibus,& prudentibus: & nõ dixit, reuelaſti ea ſtultis, & imprudentibus,ſed ait, & reuelaſti ea paruulis. Sapientibus & prudentibus irridendis, arrogantibus falso grandibus, vere autem tumentibus oppoſuit non inſipientes, non imprudentes, ſed paruulos. ℟. Propter. 116.

Lect. 8.

QVi ſunt paruuli?humiles: ergo abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus:nomine ſapientium & prudentium, ſuperbos intelligi poſſe ipſe expoſuit,cum ait,reuelaſti ea paruulis; ergo abſcõdiſti non paruulis: quid eſt,non paruulis? non humilibus: quid eſt non humilibus, niſi ſuperbis? O via Domini, aut non erat, aut latebat, vt reuelaretur nobis? vnde Dominus exultauit: quia reuelatum eſt paruulis. Debemus eſſe paruuli: nam ſi voluerimus eſſe magni, quaſi ſapientes, & prudentes, non nobis illud reuelatur. ℟. Sancti. 116.

Lectio 9.

QVi ſunt magni?Sapiẽtes,& prudentes; Dicentes ſe eſſe ſapiẽtes:ſtulti facti ſunt. Habes remedium à contrario. Si dicendo te eſſe ſapientem, ſtultus factus es; dic te ſtultum, & ſapiens eris; ſed dic, dic, & intus dic: quia ſic eſt, vt dicis. Si dicis,noli coram hominibus dicere,& coram Deo non dicere. Prorſus, quod ad te ipſum pertinet, quod ad tua, tenebroſus es; quid enim eſt aliud, eſſe ſtultum, niſi eſſe tenebroſum in corde? Dic, quia tu tibi lumen

Digitized by Google

men non es. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Respondens Iesus dixit; Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis. Et reliqua.

De Hom. S. Augustin. Episc. *Ser. 9. de verb. Dom.*

MIrum quibusdam videtur, cum audiunt Dominum dicentem: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum leue est, & sarcina mea leuis; & considerant eos, qui iugũ ipsũ intrepida ceruice subierunt, & illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari, & exerceri difficultatibus huius sæculi, vt non à laboribus ad quietem, sed à quiete ad laborem vocati videantur: cum & Apostolus dicat: omnes, qui volunt in Christo pie viuere, persecutionem patientur.

℣. Propter. 116. Lect. 8.

AIt ergo aliquis: quomodo iugum leue est, & sarcina leuis: quandoquidẽ illud iugum, & sarcinã ferre, nihil est aliud, quam pie viuere in Christo? & quomodo dicitur: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos; ac non potius dicitur: Venite, qui vacatis, vt laboretis? nam & vacantes inuenit, quos conduxit in vineã, vt ferrent æstum diei; & sub illo iugo leui, & sarcina leui audiamus Apostolum dicere; in omnibus commendãtes nosmetipsos, tanquam Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in angustijs, in plagis.

℣. Sancti mei. 116. Lect. 9.

OMnia ergo illa, quę cõmemorauit aspera, & grauia, frequentius, & abundantius sustinebat, sed profecto aderat ei Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis

nis corruptione, interiorem renouaret de die in diem, & gustata requie spiritali in affluentia deliciarum Dei, in spe beatitudinis futuræ, omnia præsētia deliniret aspera, & omnia grauia releuaret: omnia enim sæua, & immania, prorsus facilia, & prope nulla efficit amor.

Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eua. sec. Matthæum.

Lectio 7.

IN illo tempore: Respondens Iesus dixit; Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ. *Ex lib. moral. 34. cap. vlt. post med.*

AVdiamus cuncti, quod magistra veritas docet, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Ad hoc namque vnigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc inuisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta tolerauit, vt superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quãta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is', qui sine æstimatione magnus est, vsque ad passionem factus est paruus? ℟. Propter. 116

Lectio 8.

OVia enim originem perditionis nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas Dei. Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus. Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est paruus, sed melius & elationis causam detegimus, & fundamenta humilitatis aperimus, si breui commemoratione perstringimus, quid mortis auctor, quid vitæ conditor dicat: ille nãque ait: In cælum

ascen-

aſcendam; iſte autem per Prophetam dicit: vita mea inferno appropinquauit.

℟. Sancti mei. 116. Lect. 9.

ILle nihil aliud mentes ſibi ſubditas docet, quam celſitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore tranſcendere, ſocietatem omnium hominum alta elatione tranſire, ac ſeſe & contra potentiam conditoris erigere, ſicut de eiſdem per Pſalmiſtã dicitur: Tranſierunt in diſpoſitionem cordis, cogitauerunt, & locuti ſunt nequitias, iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Iſte ad ſpinta, ad palmas, ad colaphos, ad ſpineam coronam, ad crucẽ, ad lanceam, vſque ad mortẽ veniens, membra ſua admonet dicens: ſi quis mihi miniſtrat, me ſequatur. Te Deum.

IN FRA OCTAVAM FLVR. MARTYRVM.

Homil. in Euang. Luc. 11.

Væ vobis qui ædificatis, &c.

IN DIE FESTO.

Lect. S. Eu. ſec. Luc. c. 11. Lectio 7.

IN illo tempore: Dicebat Ieſus turbis Iudæorum, & principibus Sacerdotum: Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem veſtri occiderũt illos. Et reliqua.

Homi. Venerab. Bedæ Preſ. *Lib. 4. in Luc. 11.*

NOn monumenta Prophetarum ornare, ſed interfectores Prophetarum imitari, ſceleris eſt. Iudæi ergo Prophetarum monumenta ædificando, patrum ſuorum facta, qui eos occiderunt, arguebant, ſed paterna facinora æmulando, dum Chriſtum, Apoſtoloſq; illius inſequuntur, in ſe ipſos ſententiam retorquebant, eadem videlicet ipſi, quæ in parentibus damnabant, agentes: ſimulabant quidem ſe ob fauorem vulgi captandum, patrum ſuorum horrere perfidiam, memorias Prophetarum, qui ab eis occiſi ſunt, magnifice ornando: ſed ipſo opere teſtificantur, quantum paternæ nequitiæ conſentiant,

Do-

Digitized by Google

Dominum, qui ab ijſdem Prophetis eſt prænũtiatus, iniuriis agendo. ℟. Propter. 116.

Lect. 8.

VT inquiratur ſanguis omnium Prophetarũ, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi à generatione iſta. Quęritur, quomodo ſanguis omnium Prophetarũ, atque iuſtorum ab vna Iudęorum generatione requiratur, cum & multi Sanctorum, ſiue ante Incarnationem, ſeu poſt mortem; reſurrectionemque Saluatoris, ab alijs ſint nationibus interempti, & ipſe Dominus, Iudęis licet acclamantibus, à Romano tamen Præſide, Romaniſque ſit militibus crucifixus? ℟. Sancti. 116.

Lectio 9.

SEd moris eſt ſcripturarum, duas ſæpe generationes hominum, bonorum ſcilicet, malorumque computare, hoc eſt, eorum, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt: & eorum, quibus dicitur; Vos ex patre diabolo eſtis: & alibi: ſerpentes generatio viperarum. A ſanguine Abel vſque ad ſanguinem Zachariæ. Quare vſque ad ſanguinem Zachariæ, cũ & multi poſt eum ſint ab hac generatione perempti; niſi forte, quia Abel paſtor ouium, Zacharias Sacerdos fuit; & ille in campo, hic in atrio templi necatus eſt, vtriuſque gradus martyres, & laici ſcilicet, & altaris officio mancipati, ſub eorum voluit intimare vocabulo? ℟. Deum.

Intra octauam in Miſſa & Officio legatur Euan. Deſcendens Ieſus: cum ſuis Homil. vt in hoc eodem communi ſupra. 123.

In die octaua, vt in die feſto.

INFRA OCTAVAM PLVRIM. MART.

Homil. in Euang. Luc. c. 10.

Qui vos audit me audit.

IN DIE FESTO.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eua. ſec. Luc. c. 10.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dxit Ieſus Diſcipulis ſuis: Qui vos

vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et reliqua.

Hom. Venerab. Bedæ Preſ.

Lib. 3. in Luc. c. 42.

VT in audiendo quiſq; vel ſpernendo Euangelij prædicatore non viles quaſque perſonas, ſed Dominum Saluatorem, imo ipſum Patrem ſpernere ſe, vel audire diſceret, ait: Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit; qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui me miſit: quia procul dubio in diſcipulo magiſter auditur, & in filio pater honoratur. Poteſt & ita intelligi: qui nō facit miſericordiam vni de fratribus meis minimis, nec mihi facit, quia & ipſe pro his formam ſerui, & pauperis habitū ſuſcepi.

℣. Propter. 116. Lect. 8.

REuerſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubijciūtur nobis in nomine tuo. Bene quidem confeſſi ſunt, deferentes honorē nomini Chriſti, ſed quia infirma adhuc fide gaudebāt in virtutibus, vide quid audiunt. Et ait illis: Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem: non modo video, ſed prius videbam, quando corruit; quod autem ait: ſicut fulgur, vel præcipitem de ſupernis ad ima lapſum ſignificat, vel quia deiectus, adhuc transfigurat ſe in angelum lucis.

℣. Sancti mei. 116. Lect. 9.

ECce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpētes, & ſcorpiones. Hoc eſt, omne genus immundorum ſpirituum de obſeſſis corporibus eijciendi: quamuis & ad litteram rectiſſime poſſit accipi: ſiquidem & Paulus à vipera inuaſus, nihil aduerſi patitur. Hoc ſane inter ſerpentes, qui dente; & ſcorpiones, qui cauda nocent, diſtare arbitror; quod ſerpentes aperte ſæuientes, ſcorpiones clāculo inſidiantes, vel homines, vel dæmones ſignificent: ſerpentes, qui inchoandis virtutibus venena prauę perſuaſionis obijciūt: ſcorpiones, qui conſummatas virtutes

ad finem vitiare contendũt. Veruntamen in hoc nolite gaudere; quia ſpiritus eijcere, ſicut & virtutes alias facere, interdum nõ eſt eius meriti, qui operatur, ſed inuocatio nominis Chriſti hoc agit. Te Deum.

Infra octauam in Miſſa & Officio legetur Euang. Sedente Ieſu cum ſuis Homil. ſup. 131.

In die oct. vt in die feſto.

INFRA OCTAVAM PLVR. MARTYRVM.

Homi. in Euang. Lucæ c. 12.

Attendite à fermento, &c.

IN DIE FESTO.

In tertio nocturno.

Lect. S. Eua. ſec. Luc. c. 12.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Attendite à fermento Phariſæorũ, quod eſt hypocriſis. Et reliqua.

Homil. venerab. Bedæ Preſ. *Lib. 4. in Luc. c. 52.*

DE hoc fermento Apoſtolus præcipit: Itaq; epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ; ſed in azymis ſinceritatis & veritatis. Nam ſicut modicum fermentum totam farinæ, cui injicitur, maſſam corrumpit, vniuerſamque mox conſperſionem ſuo ſapore commaculat: ſic nimirum ſimulatio, cuius ſemel animum imbuerit, tota virtutũ ſinceritate & veritate fraudabit. Eſt ergo ſenſus: Attendite ne æmulemini ſimulatores, quia veniet profecto tempus, in quo & veſtra virtus omnibus, & eorum reueletur hypocriſis.

℣. Propter. 116. Lect. 8.

VErum quod ſequitur: Quoniam quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur: nõ ſolum in futuro, quando cuncta cordium abſcondita proferentur ad lucem, ſed & in præſenti tempore poteſt congruenter accipi: quoniam quæ inter tenebras quondam preſſurarum, carcerumque vmbras vel locuti vel paſſi ſunt Apoſtoli, nunc clarificata per orbem Eccleſia, lectis eorum actibus publice prædicãtur,

Ne

Ne terreamini ab his qui occidunt corpus. Si persecutores Sanctorum, occisis corporibus nō habent amplius quid contra illos agant: ergo superuacua furunt insania, qui mortua Martyrum membra feris auibusque discerpenda proijciunt, cum nequaquam omnipotentiæ Dei, quin ea resuscitando viuificet, obsistere possint.

℣. Sancti mei. 116. Lec. 9

DVo autem sunt genera persecutorum: vnum palam sæuientium, alterum ficte fraudulenterque blandientium. Contra vtrumque nos munire atque instituere volens Saluator, & supra ab hypocrisi Pharisæorum attendere, & hic à carnificum cæde præcipit non timere: quia videlicet post mortem nec horum crudelitas, nec illorum ualeat simulatio durare. Nonne quinque passeres dipondio veneunt? Si minutissima, inquit animalia, quæ quolibet per aera feruntur volatilia, Deus obliuisci non potest; vos qui ad imaginem facti estis creatoris, non debetis terreri ab his qui occidunt corpus: quia qui irrationabilia animalia gubernat, rationabilia curare non desinit. Ad Deum.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Attendite à fermento Pharisæorū, quod est hypocrisis. Et reliqua.

De Hom. vener. Bedæ Pres.

QVærit fortasse aliquis, quomodo dicat Apostolus, nunquid de bobus cura est Deo? cum vtique bos passere pretiosior existat, sed aliud cura, aliud vero est scientia. Denique numerus capillorum, de quo cōsequenter ait: Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt: non in actu computationis, sed in facultate cognitionis accipitur. Non enim sollicitam Deus curæ numerantis intendit excubiam, sed cui cognita sunt omnia, quasi nu-

merata ſunt omnia. Bene tamen numerata dicuntur: quia quæ volumus ſeruare, numeramus.

℟. Propter. 116. Lec. 8.

DEridentintelligẽtiam eccleſiaſticam in hoc loco, qui carnis reſurrectionem negãt, quaſi nos ipſam terrenam materiem, quæ diſcedente anima fit cadauer, ita reſurrectione reparandã dicamus, vt ea, quæ dilabuntur, & in alias, atque alias aliarum rerum ſpecies, formaſque vertuntur, quamuis ad corpus redeant, vnde dilapſa ſunt, ad eaſdem quoq; corporis partes, vbi fuerũt, redire neceſſe ſit: alioquin, ſi capillis capitis redit, quod tam crebra tonſura detraxit; ſi vnguibus, quod toties dempſit exſectio immoderata, & indecens cogitantibus, & ideo reſurrectionem carnis non credentibus occurrit informoſitas.

℟. Sancti mei. 116. Lec. 9.

SEd quemadmodum ſi ſtatua cuiuslibet ſolubilis metalli, aut igne liqueſceret, aut confunderetur in maſſam, & eam vellet artifex rurſus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil intereſſet ad eius integritatem, quæ particula materiæ, cui membra ſtatuæ redderentur, dum tamen totum, ex quo conſtituta fuerit, reſumeret: ita Deus mirabiliter, atque ineffabiliter artifex de toto, quo caro noſtra conſtiterat, eam reſtituet, nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues, an quicquid eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur, curante artificis prouidentia, ne quid indecens fiat. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Attendite à fermento Phariſæorũ, quod eſt hypocriſis. Et reliqua.

Hom. S. Petri Chryſologi.

Ex ſerm. 172.

Quia

QVia in fermento non eſt moles magnitudinis, ſed tumoris, & conſperſio tali ſpecie inflata eſt, non ditata; quantũ enim efferbuerit feruentius, tantum farris maſſa turgeſcit, & totam formam leuitatis implet, & tumoris: cõgrue à Domino dictũ eſt: Attẽdite vobis à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis. Quid eſt hypocriſis, niſi ſpecies arte compoſita, quæ aliud in re agit, aliud promit in vultu? Hæc penes Phariſæos per ſcientiam tumeſcebat: Apoſtolo ſic dicente: Scientia inflat. Illos namque ſcientia inflabat ad ſuperbiam, non inſtruebat ad vitam: & corrumpebat ad malitiam, non ad prudentiam promouebat.

℣. Propter. 116. Lect. 8.

ERat in eorum facie hypocriſis; erat in eorum mẽte inuidiæ hydrops: erat in pectore ſiticuloſus fons: erat ardẽs vnda, q̃ ſuis magis ac magis inflãmabatur fluẽtis, vt bibentis ſitim, non extingueret ſitim, ſed augeret incendium. Sic, ſic hypocriſi miniſtrante ſuis ſemper inuidia propinat. Ab hoc nos morbo ſubtrahit Apoſtolus: cum nos non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis ſanctum paſcha Domini celebrare compellit. ℣. Sancti mei. 116. Lect. 9.

VEritas neſcit tumorẽ, ſimplicitas hypocriſim prorſus ignorat, in azymis ſinceritatis, & veritatis. Hæc ſunt cordis azyma; hęc cæleſti dulcedine confecta; hæc gratiæ ſaporata pingue dine: hæc sãcti Spiritus igne decocta: hæc nos manducantes agnum Dei, agnum, qui tollit peccatum mundi, noſtrum paſcha ſolemniter immolamus: quibus Chriſtus ad lætitiam totam eſt natus, & immutatus ad gloriã. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: At-

Digitized by Google

tendite à fermento Phariſæorũ, quod eſt hypocriſis. Et reliqua.

Homil. S. Ambroſij Epiſc. *Lib. 7. in Luc. c. 12.*

PVlcherrimum locum tenendæ ſimplicitatis, & æmulãdæ fidei Saluator intexuit; ne Iudaicæ perfidiæ more alia premamus affectu, alia voce ſimulemus: cum vltimo tempore occulta cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium, ſecretum noſtræ mentis aperitura videantur: quæ enim maior eſt ſimplicitatis illecebra, quam vt vnuſquiſque cognoſcat, latebrã fraudis eſſe non poſſe?

℟. Propter. 116. Lect. 8.

SEd quoniam gemina eſt cauſa perfidiæ, quia aut ex inolita malitia, aut ex accidenti metu naſcitur: nequis metu territus poteſtatis, Deum, quem corde cognoſcit, negare cogatur; pulchre addidit, animæ tantùm formidabile eſſe ſupplicium, pœnam corporis non eſſe metuendam. Mors enim naturæ finis, non pœnæ eſt; & ideo mortem ſupplicij corporalis eſſe defectum, pœnam vero animæ eſſe perpetuam; eoque Deũ ſolum eſſe metuendum, cuius poteſtati nõ natura præſcribat, ſed eadem natura ſubiaceat. ℟. Sancti, 116.

Lectio 8.

INſpirauerat Dominus ſimplicitatis affectum, virtutem mentis erexerat, fides ſola nutabat: bene eam de vilioribus roborauit. Nã ſi Deus obliuionem paſſerũ non habet, hominum habere qui poteſt? quod ſi tanta eſt Dei, & tam æterna maieſtas, vt vnus ex paſſeribus, aut noſtrorum numerus capillorum præter ſcientiam Dei non ſit; quam indignum eſt æſtimare, quod fidelium corda Dominus, aut ignoret, at ſpernat, qui viliora cognoſcat? Te Deum.

QVINTÁ DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Attendite à fermento Phariſeo-

seorũ, quod est hypocrisis. Et reliqua.

De Homil. S. Ambr. Episc.

VIdentur quinque isti passeres, quinque esse corporis sensus, tactus, odoratus, gustus, visus, auditus, qui modo passerum, si terrenarum sordium rimentur illuuiem, atque ex incultis locis, & fœtidis cibum quærant, delictorum suorum laqueis occupati, ad superiorum operum fructus, quibus epulantur animi, reuolare non possunt. Itaque variarũ capti illecebris voluptatũ, aut venũdamur sub peccato, aut redimimur à peccato. Christus nos redimit, aduersarius vendit.

℟. Propter. 116. Lect. 8.

ITaque docemur, quia volandi nobis gratiam natura dedit, voluptas abstulit, quæ malorum escis grauat animam, atque in naturam corporeæ molis inclinat. Meritoque posuit Matthæus, quia nemo illorũ cadit sine voluntate Dei: quod enim cadit, vergit in terram; & quod volat, ad fastigium immortalitatis euehitur. Ne cui autem dubiũ esset, quod Matthæus dixit, Lucas euidenter absoluit; quia voluntas Dei, cognitio Dei; non enim quisquam voluntate Dei cadit; sed qui delictorum suorum mole ruerit, Deum latere non potest. ℟. Sancti mei. 116.

Lectio 9.

ERgo passer bonus est, cui volandi vim natura suppeditat. Est etiam malus passer, qui volandi vsum terrenæ vitio labis aboleuerit; quales sunt isti passeres, qui dipondio veneunt: alibi asse veneunt, alibi dipõdio. quanta vtilitas delictorum? mors enim vtilis, sed pretiosa virtus. Etenim aduersarius tanquam captiua mancipia vilioris pretio æstimationis addicit. At vero Dominus, tanquam speciosa seruitia, quæ ad imaginem, & similitudinem sui fecit, idoneus sui operis æstimator, magno pretio nos redemit, sicut sanctus Apostolus dixit: empti enim estis pretio magno. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Attendite à fermento Pharisæorũ, quod est hypocrisis. Et reliqua.

Homil S. Petri Chrysologi.

Serm. 101.

VObis autem dico amicis meis, ne terreamini: quia libertatem probat virtus, metus indicat seruitutem: nam liber ad gloriã, seruus natus est ad timorẽ. Merito ergo ad Dei amicitias sublimatur, qui propter Deum humanas despicit mortes, nescit timores: si amicos morum facit imitatio, morum similitudo coniungit, conuenienter eos amicos vocat Christus, quos imitatione sua mundi iacula, & ipsam mortis formidinem conspicit, & præuidet calcaturos. ℟. Propter. 116

Lectio 8.

VObis autẽ dico, idest, nõ omnibus, sed amicis. Vobis autem dico, quos mors absoluit ista, non finit. Vobis dico, quos corporis resolutio promouet ad melius, non trãsducit ad pœnã. Vobis dico: quibus morte vita inchoatur, non finitur. Vobis dico, quorum mors pretiosa fit non sui qualitate, sed causa, dum vitæ magis lucra inuenit, quam vitæ perdat vsurã: sed audiamus quid dicat amicis suis. Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus. ℟. Sancti mei. 116.

Lect. 9.

AVdiant, qui de bono mortis veterum vetusta volumina detriuerunt, nihil tamen inde capere virtutis, aut consolationis aliquid inuenire valuerũt, quis homini, quis sapienti dicat? Mori naturę est; necesse est deperire: nobis vixerunt veteres, viuimus nos futuris; nemo sibi: quod non potest tolli, velle, virtutis est: suscipe voluntarius, ad quod vrgeris inuitus: mors antequã veniat, non est, cum autem venerit, venisse nescitur. Nec ergo amisisse te doleas, quod, cum amiseris, non dolebis.

Digitized by Google

lebis. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In primo Nocturno.

Lec. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Attendite à fermento Pharisæorū, quod est hypocrisis. Et reliqua.

Homil. S. Augustin. Episc. *Ser. 18. de ver. Ap. circ. me.*

CVm dicis mihi gehennam timeo, ardere timeo; quid dicturus sum? Male times? vane times? Non audeo, quandoquidem ipse dominus ablato timore subiecit timorem, & ait, vbi dixit; Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciāt: sed eum timete, qui habet potestatem & corpus & animam mittere in gehennam ignis: ita dico vobis hunc timete. Cum ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum, comminationem ingeminauerit, dicturus ego sum, male times ista? non dicam; Plane time, nihil melius times, nihil est, quod magis timere debeas. ℣. Propter. 116. Lect. 8.

SEd interrogo te; si non te videret Deus, quando facis, nec quisquam te conuinceret in iudicio illius, faceres? tu te vide: non enim potes ad verba omnia mea respondere, inspice te ipsum. Faceres? si faceres, ergo pœnam times, caritatem nondum habes, seruiliter times, formido est mali, nondum delectatio boni; sed time etiam, vt ista formido custodiat te, vt perducat ad dilectionem. Timor enim iste, quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & sic volentem peccare animo interiore non finit; est quidam custos timor, quasi pædagogus legi, littera est minans, nondum gratia iuuans. ℣. Sancti mei. 116 Le. 6.

CVstodiat tamen timor iste, dum non facis timendo, & veniet caritas: intrat in cor tuum, & quātum illa intrat, tantū timor exit: timor enim id agebat, ne fa-

Digitized by Google

faceres, caritas hoc agit, vt nolis facere, etiam si impune possis admittere. Dixi quid timeatis, dixi quid appetatis. Sectamini caritatẽ, intret caritas, admittite illã timendo peccare, admittite amorem non peccantem, admittite amorem bene viuentem. Habet secum suum timorem, quem introducit ipsa caritas, sed illum castũ permanentem in sæculum sæculi. Amen Deum.

IN DIE OCTAA.

In tertio Nocturno.

Lect. & S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Attendite à fermento Pharisæorũ, quod est hypocrisis. Et reliqua.

Homil. S. Ioan. Chrysost. *Hom. 35. in Matt.*

VIdes, quod non promittit ipsis huius vitę perpetuitatem, mori autẽ promittit, vt maiora sublimioraque conferat, quam si nũquam morti traderentur. Et certe multo melius est mortem omnino despicere, quã eam effugere: quocirca non in periculum mortis, cũ nati essent homines, ipsos introducit; sed terrore moriendi morte superiores facit. Ita breui oratione duobus, vel tribus verbis absoluta, salutarem de immortalitate opinionem in animis eorum fixit, atque locauit.

℟. Propter. 116. Lect. 8.

POstea ne putarentur quasi se derelictos ab eo, ad cædem, & violentum peruenturos interitum, de prouidentia Dei disputat, dicens; Nonne duo passeres asse venduntur, & vnus ex ipsis non cadit in laqueum sine patre vestro, qui est in cælis? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt: quid enim vilius passeribus? ait, sed tamen nunquã ignorante Deo capiuntur: non enim cooperante Deo incidere in laqueum passeres ait, quod diuinæ maiestatis indignum est, sed non esse clam Deo, etiam vilissimarum auium causam ostendit; quod si nihil penitus Deus ignorat: at vos pa-

ter-

terna caritate prosequitur, & ita amat, vt pilos capitis quoque vestri non negligat, quid timendum vobis est?

℣. Sancti mei. 116. Lect. 6.

HOc autem dicebat, nō quod Deus capillos numeret, sed quia perfectam cognitionem rerum omniū, & summā de omnibus Dei prouidentiam ostendere voluit. Si ergo cuncta nouit, quæ fiūt, si vult, potest simul seruare vos: nolite cum tribulationes vobis acciderit, derelictos vos esse à Deo existimare: non enim ab incommodis corporis liberare vos vult, sed ad eam perfectionem adducere studet, vt incommoda corporis cōtemnatis. Te Deum.

INFRA OCTAVAM CONFESS. PONTIFICIS.

SECVNDA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Ambrosij Episc. *De S. Euseb.* 70. Lect. 4

DE positione Sancti N. hodie celebramus: quid est depositio? non illa vtique, quæ sepeliendis in terra membrorum reliquijs clericorum manibus procuratur; sed illa, qua homo vinculis carnalibus absolutus, liberiturus ad cælum terrenum corpus exponit. Ipsa plane est depositio, in qua concupiscere abijcimus, cessamus delinquere, peccare desinimus, & totū quicquid saluti est graue, quasi abiecta sarcina oneris, exponimus. Nam ideo hæc dies pro celebritate maxima procuratur, quia vere est sūma festiuitas mortuū esse vitijs, soli vigere iustitiæ.

℟. Inueni Dauid seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum: Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei, Manus. Lect. 5.

VNde & depositionis ipsa dies natalis dicitur, quod delictorum carcere liberati, libertati nascimur Saluatoris, sed videamus, Sanctus N. cum qua gloria ad hanc diem depositionis aduenerit. Volare nō potest, nisi quod purum, le-

ue,

ue, atque ſubtile eſt, cuius nec ſinceritas intemperantia retardatur, nec alacritas, nec velocitas mole grauatur: grauari autem volatum dico, non tam mole membrorum, quam delictorum. Vnde puto etiam in ipſis auibus ideo velocius columbam pene præ omnibus volitare, quod alacritatem, & innocentiam comitetur.

℟. Poſui adiuutorium ſuper potentem, & exaltaui electum de plebe mea: Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣ Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. Manus. Le.6

DEnique ſanctus Dauid cum puritate mentis volare concupiſceret, non alterius animantis, niſi columbæ optauit alas, dicens: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? intelligebat enim, quod altiora facilius penetrentur ſimplicitate mentis, quam leuitate pennarū. Volauit ergo hac die Sanctus N. feſtinemus: iam eius innocentiam de volatu, & puritatem eius de ipſa elatione iudicemus: tanquã columba enim in domo Dei degens aſſumpſit ſpirituales pennas, & requieuit in monte. ℟. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina eius repleta eſt: Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣ Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cæleſtia regna. Ipſe intercedat. Gloria Patri. Ipſe intercedat.

TERTIA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Gregorij Nyſſeni. *In fun. mag. Melet.* Lec.4.

CVm primum bene morata, ac modeſta Eccleſia beatum N. vidit, vidit faciem ad imaginẽ Dei vere formatam: vidit dilectionem fontis modo ſcaturiẽtem: vidit gratiam labijs circumfuſam, animi demiſſionis ſummum gradum, poſt quẽ amplius quicquam cogitari non poteſt; vidit manſuetudinem, atque clementiam, qualis in Dauide fuit:

fuit: qualis in Salomone, intelligentiam, atque prudentiam: qualis in Moyſe, bonitatem: qualis in Samuele, perfectionem: qualis in Ioſepho, continentiam, pudicitiamque; qualis in Daniele ſapiẽtiam: quemadmodum magnus Elias, zelo fidei præditum: ſicut ſublimis Ioannes, integritate corporis ornatum: ſicuti Paulus, inexuperabili prædítum dilectione: vidit tot bonorum circa vnam animam concurſum: amore beato vulnerata eſt, caſto, bonoq; ſpõſum ſuum amore atque beneuolentia proſecuta dilexit. ℟. Inueni. 171. Lect. 5.

SEd priuſquam cupiditatem expleret, antequam deſiderium recrearet, atque ſedaret, amoris vi feruens, tentationibus athletã ad certamina vocantibus, ſola relicta eſt. Atque ille quidẽ in certaminibus pro pietate ſuſceptis deſudabat; hæc vero durabat in caſtitate matrimoniũ conſeruans. Non ablatus eſt à nobis ſpõſus, in medio noſtrum ſtat, etiam ſi nos non videamus, in adytis, ac penetralibus Sacerdos eſt: in interioribus veli, quæ præcurſor pro nobis ingreſſus eſt Chriſtus: reliquit carnis tegumentum: non amplius ſigno, & vmbræ cæleſtium ſeruit, ſed in ipſam rerum imaginem intuetur: non amplius per ſpeculum, atque per tranſennam, & ænigma: ſed ipſa facie cum facie collata intercedit apud Deum. ℣. Poſui. 172. Lect. 5

INtercedit autem pro nobis, & populi erratis: depoſuit tunicas pelliceas, neque enim talibus tunicis opus habent, qui in paradiſo degunt: ſed habet indumenta, quæ puritate vitę ſuę cõtexuit, ijſque ſeſe exornauit. Honorata, ac pretioſa coram Domino talis viri mors eſt: immo vero non mors, ſed ruptura membrorum eſt. Diſrupiſti enim, inquit, vincula mea: dimiſſus eſt Simon, liberatus eſt à vinculis corporis: laqueus contritus eſt, & auicula auolauit: ingreſſus eſt terram pro-

promissionis: in monte cum Deo philosophatur: soluit animæ calceamentum, vt pura planta mentis terram sanctam, vbi conspicitur Deus, conscéderet. ℟. Iste est. 172

QVARTA DIE.

In secundo Nocturno.

Serm. S. Ioan. Chrysostomi. *In cap. 15. epistol. ad Rom. serm. 29. circa fin.*

Lectio 4.

CHristum diligens, & gregem illius vtique diligit: & Moysen tum primum super populum Iudæorum posuit, quando qua esset in illum beneuolentia re ipsa iam declarauerat. Dauid quoque simili modo regno inauguratus est, postea quam apparuerat, quã amico esset in populum affectauit: quippe iuuenis adhuc populi causa doluit, ac zelauit, vt & animam suam exponeret, cum videlicet barbarum illum è medio tolleret. Quod vero dicebat: quid dabitur ei, qui alienigenam hunc interfecerit? non ideo dicebat, quod mercedem exigeret, sed quo sibi crederetur, & in pugnam cum illo committeretur, nã cum adepta iam victoria ad regem esset ingressus, nihil de mercede meminit.

℟. Inueni. 171. ℣. 5.

ET Samuel quoque benignus erat, & amator populi: vnde & dicebat: Absit autem hoc à me peccatum, vt cessem pro vobis orare Dominum. Ita & Paulus, imo non ita, sed multo plus omnibus ardebat erga subditos. Vnde & discipulos ita erga se animauit, vt diceret: si possibile fuisset, oculos vestros eruissetis, mihique dedissetis. Et Christus optimi Pastoris regulam proferens dixit: Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus: sunt enim sanctorum animæ vehementer mites, & hominum amantes, non solum erga domesticos, sed alienos, ita vt hanc suam mansuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Propterea & Sapiens quispiam dixit: iustus miseretur animarum iumẽtorum suorum: si iumento-

rum,

rum, multo magis hominũ.

℟. Posui. 172. Lect. 3.

VErum quoniam pecorum mentionem feci, perpendamus & ouium pastores illos, qui in Cappadocum regione sunt, qualia & quanta pro pecorum suorum custodia patiantur: illi sæpenumero vniuersum triduum niue obruti perdurant. Dicuntur autem, & qui in Lybia sunt, non minora mala ferre, dum integros mẽses difficilem illam solitudinem pessimarumque bestiarum plenam vagando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentiæ impendunt pastores illi, quam quæso excusationẽ habebimus, quibus rationales animæ concreditæ sunt, quod profundum hunc somnum dormimus? An ignoras gregis huius dignitatem? An illius gratia Dominus tuus innumera non fecit? Annon postremo & sanguinem suum fudit? Tu vero requiem quæris; & quid poterit peius esse pastoribus istis? ℟. Iste est. 172.

QVINTA DIE.

In secundo Nocturno.

De Serm. S. Ioan. Chrysost.

Lect. 4.

ET homines quidem, qui populis præsunt, si quãdo de rebus fortuitis consultaturi sunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent; nos vero qui pro ipso cælo certamen habemus, ipso quoque die dormimus? quis quæso ab eo nos supplicio eripiet, quod istis debetur? si enim corpus trucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat, nunquid ad hoc munus, tanquam ad nundinas currendum erat? Hæc autem non solum pastores, sed & oues audiant, vt alacriores faciant pastores, aliud quidem nihil, verum omnem obedientiam, animumque, cui persuaderi queat, exhibentes.

℟. Inueni. 171. Lect. 5.

ITa Paulus præcipit dicens: Obedite ducibus vestris, & subditi estote: nã ipsi vigilant pro animabus vestris, tanquam rationem da-

daturi. Quando vero dicit: nam ipsi vigilant: innumeros labores, curas, & pericula cõplectitur. Bonus enim pastor, & talis, qualem Christus vult, innumeris certat martyrijs. Propter ipsum quippe Christus semel quidem est mortuus, hic vero millies propter gregem, siquidem talis sit grex, qualẽ esse oportet. Talis enim pastor singulis diebus mori potest. Propterea & vos, cognito isto labore, & precibus, & diligentia, & animi alacritae, & dilectione nos iuuate, ut & nos uestra, & uos uicissim nostra gloriatio sitis. ℟. Posui. 172.

Lectio 6.

NAm ideo Christus istud Apostolorum, Summati, & plus ipsum, qnam reliqui, diligenti, commendans, & iniungens primum rogabat, an ab ipso diligeretur; ut discas, quod istud sit ante omnia reliqua dilectionis in Christum positum signum strenuo siquidem animo hic opus est. Hæc uero mihi de optimis pastoribus dicuntur, non de me ipso, & mei similibus: sed si quis talis sit, qualis erat Paulus, qualis Petrus, qualis N. Istos itaque imitemur, & superiores, & subditi: licet enim & subdito pro parte pastorem agere, nempe, domus suæ, amicorum, domesticorum, uxoris, liberorum. ℟. Iste est. 172.

SEXTA DIE.

In secundo Nocturno.

Tres lect. serm. S. Maximi Ad Sancti, ac Beatissimi Patris &c. ut in Breuiario de communi Confes. Pontific. Quod si lectæ fuerint in die festo, sumantur hodie lect. ex sequenti die septima.

SEPTIMA DIE.

In secundo Nocturno.

Tres lect. serm. S. Maximi Beati Patris N. &c. ut in Breuiar. in hoc eodem communi. Quod si lectæ fuerint in die festo sumantur pro hac die lect. sequentis diei octauæ.

IN DIE OCTAVA.

In secundo Nocturno.

Si sequentes lectiones lectæ fuerint in præcedenti die, su-

Digitized by Google

sumantur hodie lect. recitatæ in die festo.

Sermo S. Gregorij Papæ. 2. *p. pastor. c.* 1. Lect. 4.

TAntum debet actione populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Oportet namque, vt metiri se sollicite studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cuius æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo, necesse est, cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam in internorum sollicitudine non relinquens. ℟. Inueni. 171. 1. *par. c.* 9. 10. Le. 5.

COnsiderandum quoq; est: quia cum curam populi electus præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Si ergo adhuc in eius opere passiones viuũt, qua præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat? Ille modis omnibus debet ad exemplum bene viuendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens iam spiritaliter viuit: qui prospera mundi postponit: qui nulla aduersa pertimescit: qui sola interna desiderat: cuius intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus; nec valde per contumaciam repugnat spiritus: qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur. ℟. Posui. 172. *Ibid. cap.* 8. Le. 6.

VNde ipsum quoque Episcopatus officium boni operis expressione diffinitur, cum dicitur: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: Ipse ergo sibi testis est, quia Episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriã quærit. Sacrum quippe offi-

m cium

cium non ſolum non diligit omnino, ſed neſcit, qui ad culmen regiminis anhelans in occulta meditatione cogitationis cæterorũ ſubiectione paſcitur, laude propria lætatur, ad honorem cor eleuat, rerum affluentiũ abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quæritur ſub eius honoris ſpecie, quo mundi deſtrui lucra debuerant. ℟. Iſte eſt. 172.

INFRA OCTAVAM CONFESS. PONTIF.

Hom. in Euang. Matt. c. 25. **Homo** quidam peregre, &c. In die feſto habetur Homil. S. Greg. Lectio S. Euãg. &c. in Breuiar. in eodem communi confeſſ. Pont.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et reliqua.

De Hom. S. Gregorij Papæ.

SCiendum vero eſt, quod nullus ab hac talẽti acceptione ſecurus eſt: nullus namque eſt, qui veraciter dicat: talentum minime accepi, non eſt vnde rationem ponere cogar; talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipſum reputabitur quod vel nimium accepit. Alius namque accepit intelligentiam; prædicationis miniſterium debet ex talento. Alius terrenam ſubſtantiam accepit: erogationem talenti debet ex rebus. Alius didicit artem, qua paſcitur, ipſa ars ei in talenti acceptione reputatur. Alius locum familiaritatis apud diuitem meruit; talentum profecto familiaritatis accepit. Si ergo nihil pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur. ℟. Amauit eum Dominus, & ornauit eum: ſtolã gloriæ induit eum, Et ad portas Paradiſi coronauit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornauit eum. Et ad portas.

Lectio 8.

Tan-

TAntum quippe ab vnoquoque noſtrum venturus iudex exigit, quãtum dedit. Vt ergo de talenti ſui rationibus redeunte Domino quiſque ſecurus ſit, cum timore penſet quotidie, quod accepit: ecce namque iam iuxta eſt, vt ille, qui peregre profectus eſt, redeat: quaſi peregre quippe abijt, qui de hac terra, in qua natus eſt, longe diſceſſit, ſed profecto reuertitur, vt de talentis rationes ponat: quia ſi à bona actione torpeſcimus, de ipſis donis, quæ cõtulit, nos diſtrictius iudicat. ℟. Sint lũbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et vos, ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs.

℣. Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et vos. Gloria. Et vos.

Lectio 9.

COnſideremus igitur, quæ accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos à ſpiritua-li opere terrena cura impediat, ne ſi in terra talentum abſconditur talenti Dominus ad iracundiam prouocetur. Piger etenim ſeruus, cum iam iudex culpas examinat, talentum de terra leuat: quia ſunt plerique, qui tunc ſe à terrenis deſiderijs, vel operibus ſubtrahũt, quando iam per animaduerſionem iudicis ad æternum ſupplicium trahuntur. Ante ergo de talenti noſtri ponenda ratione vigilemus, vt cũ iam iudex ad feriendum imminet, lucrum nos, quod fecimus, excuſet. Te Deũ.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et reliqua.

Homilia S. Io. Chryſoſtomi.

Ex Hom. 79. in Mat.

TAlẽta hic pro eo, quod vnuſquiſq; facere po-

teſt,accipimus,ſiue auctoritate protegere, ſiue pecunijs iuuare, ſiue doctrina admonere, ſiue alia quapiã re proximis prodeſſe queas. Nemo ſecum dicat: cum vnum talentum habeam,nihil poſſum efficere:potes ꝓfecto ex ea vna re ſola comprobari. Non es pauperior illa vidua; non es Petro atq; Ioanne ruſticior:qui quamuis rudes ſimul,atque illitterati fuerunt, quoniam magno ſtudio communem vtilitatem complexi fuerant, cælorũ principes facti ſunt.

℟. Amauit. 178 Lec. 8

QVippe nulla res Deo gratior eſt, quam vt vniuerſam vitam ad commune commodum conferas: idcirco ratione, atq; oratione nos Deus decorauit, mentem & ingeniũ conceſſit, manus, pedes,vires corporis dedit, vt his omnibus & nos ipſos, & proximos tutemur. Non enim ad agendas gratias ſolummodo confert oratio, verum etiam ad docẽdum, & admonendum perutilis eſt:qua in re ſi ea diligenter vtemur,Dominum; ſin vero in contrarijs, Diabolũ imitabimur. ℣. Sint lũbi. 179.

Lectio 6.

NAm & Petrus quandoquidem Chriſtum confitebatur,quaſi ea dicẽs, quæ Patris ſunt, beatificabatur: quod autem crucem horrebat, atque repellebat, quaſi ea, quæ Diaboli ſunt ſapiens, acriter increpabatur. Si ergo ignoratione crucem recuſando reprehenſus eſt, quam nos ſponte peccantes veniam impetrabimus? Ea ergo loquamur,quę Chriſti verba eſſe confeſtim cognoſcuntur. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et reliqua.

Homilia S. Hierony. Presb. *Lib. 4. in Matt. c. 25.*

Ho-

Digitized by Google

HOmo iſte paterfamilias, haud dubium quin Chriſtus ſit: qui ad Patrem poſt reſurrectionem victor aſcendens, vocatis Apoſtolis, doctrinam Euangelicam tradidit: non pro largitate, & parcitate alteri plus, & alteri minus tribuens, ſed pro accipientium viribus, quomodo & Apoſtolus eos, qui ſolidum cibum capere non poterant, lacte potaſſe ſe dicit. Denique & illum, qui de quinque talentis decem fecerat; & qui de duobus quatuor, ſimili recepit gaudio: non conſiderans lucri magnitudinem, ſed ſtudij voluntatem.

℟. Amauit. 178. Lec. 8.

IN quinque, & duobus, & vno talento: vel diuerſas gratias intelligamus, quæ vnicuique traditæ ſũt. Vel in primo omnes ſenſus examinatos: in ſecundo intelligentiam & opera: in tertio rationem, qua homines à beſtijs ſeparamur. Acceptis ille terrenis ſenſibus, cæleſtium ſibi notitiam duplicauit, ex creaturis intelligens creatorem, ex corporalibus incorporalia, ex viſibilibus inuiſibilia, ex breuibus æterna. Et iſte pro viribus quicquid in lege didicerat, in euangelio duplicauit: ſiue ſcientiam & opera præſentis vitæ, futuræ beatitudinis typos intellexit.

℟. Sint lumbi. 179.

Lectio 9.

GRande tempus eſt inter aſcenſionem Saluatoris, & ſecundum eius aduentum: ſi autem Apoſtoli reddituri ſunt rationem, & ſub metu iudicis ſurrecturi, quid nos oportet facere? Et notandum, quod omnia, quę in præſenti habemus, licet magna videantur & plurima: tamen comparatione futurorum, parua & pauca ſunt: Intra, inquit, in gaudium Domini tui; & ſuſcipe, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt; quid autem poteſt maius dari fideli ſeruo, quam eſſe cum Domino, & videre gaudiũ Domini ſui. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homil. S. Hilarij Episcopi.

can.27.

DIuisio pecuniæ inæqualis est, sed non ad dividentem referenda diuersitas est. Ait enim vnumquemque secundum virtutem suam accepisse. Igitur vnusquisque secundum fidei suæ mensuram, talentum, idest Euangelij prædicationem, à prædicatione suscepit: sed seruus ille, qui quinque talẽta accepit, populus ex lege credentium est; ex qua profectus, meritum ipsius recte probeque perfunctus, euangelicæ fidei operatione duplicauit: in ratione autem ponenda iudicij examen est, quo cælestis verbi vsus, & redditus dispensati talenti postulatur.

℟. Amauit. 178. Lect. 8.

IGitur cui erant quinque commissa, Domino reuerso, de quinque decem obtulit: talis scilicet in fide repertus, qualis in lege: qui decem verborum quinque libris Moysi præceptorum obedientiam per gratiam euãgelicæ iustificationis expleuerit. Igitur iubetur in gaudium Domini introire, id est, in honorem gloriæ Christi recipitur: Ille vero seruus, cui duo talenta commissa sunt, gentium populus est fide atque confessione, & Filij iustificatus & Patris: Dominum nostrum Iesum Christum Deum atque hominem, & spiritu, & carne confessus; nam & corde fides, & ore confessio est. Hæc ergo huic sunt duo talenta commissa. ℣. Sint lumbi. 179. Lect. 9.

SEd vt prior ille omne Sacramentum in quinque talentis, idest in lege cognouerat, idque ipsum fide Euangelij duplicauerat: ita iste incremento duum talentorum, atque operatione pro-

promeruit, ratione ac reditu diſſimili. Par tamen à Domino munus amborum eſt, vt gentium fidem exequatam credentium ex lege ſcientiæ noſceremus; nam cum laudatione eadem iubetur in gaudium Domini introire. Eſt autem duplicatio ſumptæ pecuniæ operationem fidei addidiſſe; & quæ opinione crediderant, rebus factiſque geſſiſſe. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et reliqua.

Homil. S. Io. Chryſoſtomi. *In Gen. c.* 18. *homil.* 41.

NObis non ſatis eſt, quod extra damnum ſumus, & quod noſtrum eſt implemus: ſed volumus, ut & uos ex dinumeratis pecunijs multum negotiemini, ut ne obnoxij fiatis ſupplicio, quod luit ille, qui talentum recondidit, & dominicam pecuniam non ſolum non multiplicauit, ſed & ipſam in terra defodit: tales enim ſunt, qui ſermones audiunt: talentum enim hoc uocat, & pecuniam; neque operam dant, ut fructum afferant. R. Amauit. 178.

Lectio 8.

SEd forte dixerit quiſpiã, parabolam iſtam talentorum de doctoribus eſſe dictam: nec ego hoc nego; uerum ſi diligenter eam intueamini, ſcietis, quod doctores quidem debent dinumerare pecuniam; ſed uos non ſolum eam ſeruare, ſed & ſimiliter negotiari debetis. Et quare ille, qui duo attulit talenta, eundem conſequitur honorem, quem ille, qui talenta quinque attulerat? merito; augmentationem enim & imminutionẽ, non uel huius diligentia, uel illius negligentia fecit, ſed concreditorum quantitas; nam quod ad diligentiã attinet, ambo pares fuerũt,

proinde & eandem dignitatem assecuti sunt. ℟. Sint lumbi. Lect. 9

VErum alius ille nihil tale fecerat, sed quid? Accessit, dicens: Cognoui te, quod austerus homo sis, metens ubi non seminas, & congregans, ubi nõ spargis: & ueritus abij, & occultaui talentum in terra. O nequitiam serui, ò insignem ignauiam. Nam non solum iussa cõtempsit, & nihil negotiatus est talento sibi concredito, sed & pro lucro accusationem attulit: ita enim solet malitia; obtenebrat rationem, & eum, qui semel à uia aberrauit, per abrupta præcipitem dat. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiscens, uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

De Homil. S. Io. Chrysost.

HÆc autem omnia de magistris dicta sunt, ut talenta sibi concredita, non abscondant, sed omni diligentia discere cupientibus apponant. Verum ultra audi, dilecte, ex indignatione erga illum, quomodo & discipuli rei sunt: & non solum illa repetuntur, quæ cõcredita, sed & cum lucro operatio quæritur: quid igitur dicit illi Dominus? Serue nequam. Terribilis indignatio, & minæ ualentes per se percellere animum. Oportebat te pecuniam tuam dinumerare mensarijs, & ego, cum ueniissem cum lucro repetissem illam. Pecuniam dicẽs eloquia pretiosa: nummularios autem uos, qui suscipitis.

℟. Amauit. 178. Lect. 8.

QVo circa, dilecti, tum uobis concredita dinumerauimus, nobis necessarium erit duplicem afferre laborem & uigilantiam; tum quod dinumerata custodienda sunt, ut fixa maneant; tum quod o-

pe-

Digitized by Google

perandum, vt & alijs communicetur, & multos in viã virtutis inducant: vt bifariã vobis lucrum accreſcat, tũ prò ſalute veſtra, tum pro aliorum vtilitate. Igitur fratres veſtros nolite negligere, neque ſolum ſpectate, quæ ad vos attinent; ſed vnicuique cura ſit, quomodo proximum ſuum è diaboli faucibus eripiat. ℣. Sint lumbi. 179. Lec. 9.

SImili modo & nos erga fratres noſtros bene affecti magnam adhibeamus diligentiam, & obluctemur maligno illi Dæmoni, vt irritos eius faciamus conatus: nã ſi ſinguli, qui adſint, vnum lucrifacere poſſent, cogita quantam nobis lætitiam Eccleſia multitudine filiorum ſuorum afferret: & quomodo diabolus confunderetur, videns in vanum & fruſtra extendi ſua retia: quod ſi hoc feceritis, audietis & vos in die illo: Serue bone, & fidelis, in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſc. 2. *de voc. gen. c. 2. poſt med.*

DAtur vnicuique ſine merito, vnde tendat ad meritum, & datur ante vllum laborem, vnde quiſq; mercedem accipiat ſecundum ſuum laborem: quod ita eſſe euangelicæ veritatis teſtimonio agnoſcitur, vbi per comparationẽ dicitur, quod homo peregre proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis ſubſtantiam ſuam, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique ſecundum propriam virtutem, id eſt, ſecundum propriam, & naturalem poſſibilitatem, non autem ſecundum proprium meritum: quia aliud eſt poſſe operari, aliud operari:

Digitized by Google

rari: & aliud est, posse habere caritatem, aliud habere caritatem. ℟. Amauit. 178.

Lectio 8.

NOn itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est, quia reparabilem & sanabilem esse, de natura est; reparatum autem & sanatū esse, de gratia est. Denique isti, quibus secundum modulum capacitatis suæ, quem in eis distributor substantiæ præuidebat, dispar creditus est numerus talentorum; non meriti remunerationē, sed operis accepere materiam. ℟. Sint lumbi. 179.

Lectio 9.

IN qua duorum seruorū vigilantissima industria non solum gloriosis laudibus honestatur, sed etiam in æterna Domini sui gaudia intrare præcipitur. Tertij vero pigrum otium, & desidiosa nequitia sic punitur, vt & vituperationis dedecore retur opprobrio, & portione, quam acceperat, exuatur. Dignus enim erat perdere inutilem fidem, qui nō exercuerat caritatatem. Te Deum.

INFRA OCTAVAM CONFESS. PONTIFICIS.

Homil. in Euang. Matt. 24. Vigilate, quia nescitis, &c. In die festo habetur homil. S. Hilarij Vt ignorātiā, &c. vt in Breuiar. de communi Confess. Pont.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. sec. Matt. c. 24.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

Homilia S. Fulgentij Episc. *Serm. de Confessorib.*

DOminicus sermo, quē debemus omnes non solum studiose, verum etiā sapienter audire, cui nos oportet humiliter, ac delectabiliter obedire, moderationis suæ tenens vbique temperiem, vt nec ouibus desint pabula, nec pastoribus alimenta: quædam specialiter solis præcipit nobis, quæ-

quædam vero generaliter & nobis,& vobis. Nobis nãq; (ideſt ſeruis, quos pater ille familias, rerum omniũ Dominus,ad hoc in ſua magna domo conſtituit, vt populo eius verbũ gratiæ miniſtremus) ſpecialiter iniungitur ſanctæ prædicationis officium: generaliter vero & nobis & vobis ſalutaris indicitur obedientia mandatorum. ℟. Amauit. 178.

Lectio 8.

SEruorum igitur, quos populo ſuo præpoſuit Dominus,ſpecialiter volens officium demonſtrare, ait, quod ex euangelio modo audiuimus: quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam,vt det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſeruus, quem cum venerit Dominus inuenerit ita faciẽtem. Quis eſt iſte Dominus, fratres? Chriſtus ſine dubio,qui ſuis diſcipulis ait, Vos vocatis me, magiſter & Domine, & bene dicitis, ſum etenim. ℟. Sint lũbi. 179.

Lectio 9.

QVæ eſt etiã huius Domini familia? Nimirum illa eſt,quam ipſe Dominus de manu inimici redemit, & ſuo dominio mancipauit. Hæc familia eſt Sancta Catholica Eccleſia,quæ per orbem terræ copioſa fertilitate diffunditur, & redemptam ſe pretioſo ſui Domini ſanguine gloriatur. Filius enim hominis,ſicut ipſe ait,non venit miniſtrari,ſed miniſtrare,& dare animam ſuam redemptionẽ pro multis. Ipſe eſt etiam paſtor bonus,qui animam ſuã poſuit pro ouibus ſuis: Grex ergo boni paſtoris,ipſa eſt familia Redemptoris. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect.S.Euangel.ſec.Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vigilate,quia neſcitis,qua hora Dominus veſter vẽturus ſit. Et reliqua.

De Homilia S. Fulgentij Epiſcopi.

Diſpen-

Digitized by Google

DIſpẽſator vero quis ſit, quem oportet eſſe fidelem pariter & prudentẽ. Paulus nobis oſtendit Apoſtolus, qui de ſe, ſuiſque ſocijs loquens ait: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpẽſatores myſteriorum Dei. Ne quis autem veſtrum ſolos Apoſtolos diſpenſatores factos exiſtimet, neglectoque militiæ ſpiritalis officio, ſeruus piger, infideliter, imprudenterque dormitet: Ipſe beatus Apoſtolus, Epiſcopos quoque diſpenſatores eſſe oſtendẽs, ait: Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem. ℟. Amauit. 178.

Lectio 8.

SErui autem patris familias ſumus, diſpenſatores Domini ſumus, menſuram tritici, quam vobis erogemus, accepimus: quæ vero ſit iſta menſura tritici, ſi quæramus, ipſam quoque nobis Beatus Paulus Apoſtolus oſtendit dicens: Vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei; quam ergo menſuram tritici Chriſtus nuncupat, ipſam menſuram fidei Paulus appellat: vt agnoſcamus, non aliud eſſe ſpiritale triticum, quam Chriſtianæ fidei venerabile Sacramentum. ℟. Sint lumbi. 179.

Lect. 9.

HVius tritici mẽſuram vobis in nomine Domini damus: quotiens illuminati dono gratiæ ſpiritalis, ſecundum regulam veræ fideì diſputamus: & eandem tritici menſuram per Dominicos diſpenſatores accipitis, cum quotidie per Dei famulos verbum veritatis auditis. De ipſa ergo tritici menſura loquamur; ex ipſa, ſicut Deus diuidit, vniuerſi paſcamur; inde alimenta bonæ vitæ ſumamus, vt ad æternæ vitæ præmia peruenire poſſimus: in illum credentes, in illum ſperantes, illum præ omnibus & in omnibus diligẽtes, qui ſeipſum nobis & alimentum præſtat, ne deficiamus in via: & præmium ſeruat, vt gaudeamus in patria. Te Deum.

QVAR-

QVARTA DIE.
In tertio Nocturno.

Lect. S. Euan. sec. Matth.
Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

Homilia Sancti Ioan. Chrysostomi.

Ex Hom. 78. in Matth.

PRopterea hæc dicit Dominus discipulis, vt vigilent, vt iugiter parati sint, quia qua non existimant hora, venturus est: sollicitos igitur facit, & curiosos, ne vnquam virtutem negligant; tale quid autem est, quod dicitur: si præscirent homines, quando morituri sunt, diligẽtiam suam circa illam horam ostenderent. Ne igitur in illo solummodo tempore, sed continue diligentes sint, nec generalem, nec singularem horam prædicit, vt semper expectando semper vigilent: hac enim ratione terminum vitæ non occuluit. Amauit. 178.

DEinde liquido, adeo vt nũquam liquidius, Dominum se ipsum appellauit. Hæc autem etiam ad erubescentiam desidiæ mihi dicta videntur; maiorem enim diligentiam habent furem expectantes, quam vos salutis animæ; vigilãt enim tunc, ne aliquid sibi surripiatur. Vos vero, quamuis certe sciatis venturum Dominum, non perseueratis tamen; neque ita vigilatis, vt possitis non impræparati ex hac vita discedere; quapropter cum pernicie dormiẽtium dies ille venturus est. Sint lumbi. 179. Lec. 9.

NAm quemadmodum nõ læderetur ille furto, si furem sciret vẽturum: sic & vos, quoniam scitis Dominum venturum, paratiores esse debetis. Cæterũ quoniam iudicij mentionẽ fecit, ad Doctores etiam vertit orationem de pœna, & meritis differens, & primo bonis collatis, ad peccatores exitum facit, commodissime orationem concludens: Quis ergo, inquit, fide-

fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore? Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter vēturus ſit. Et reliqua.

De Homil. S. Io. Chryſoſt.

DIc, quæſo, num & hoc ignorantis eſt? Nam, ſi quoniam nec Filium ſcire dictum eſt, ignorare ipſum affirmas: quid modo dices, cum dubitando dicere videatur, quis igitur fidelis ſeruus? An & hoc ipſum ignorare confinges? Nequaquam: nullus enim niſi mente captus id diceret: atqui cauſam de illo dicere poſſumus, de hoc vero nullā. quid porro, quando interrogando dicit: Petre, diligis me: neque illud ſciebat? aut quando quærit: vbi poſuiſtis eum? ℟. Amauit. 178.

Lectio 8.

EGo vero etiam Patrem ita loquētem inuenio: Ipſe enim eſt, qui dicit: Adā vbi es? & Clamor Sodomorū multiplicatus eſt in me, deſcendens igitur videbo, ſi ſecūdum clamorem vēnientem opera fiant: ſi autem non ita; vt cognoſcam. Et alibi; Si forte audierint, ſi forte intellexerint; & in Euangelio: Verebuntur fortaſſe filium meum: quæ omnia verba quamuis ignorationem ſignificent non ignorans tamen, ſed vt eum decet diſpenſans ita dicebat. ℟. Sint lumbi. 179.

Lectio 9.

DE Adam ergo illo modo quæſiuit, vt ad apologiam, hoc eſt, ad dicendā cauſam peccati eum induceret. De Sodomis autem ita locutus eſt, vt nos erudiret, nihil antea eſſe determinandum, quam ad rem ipſā certius peruenirēmus. Per prophetam autem ambigue loqui videtur, ne prædictio inobedientiam neceſſario facere videretur. In

Euan-

Digitized by Google

Euangellio vero oſtendere voluit, quia reuereri filium debuiſſent. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter vēturus ſit. Et reliqua.

De Hom. S. Io. Chryſoſt.

HOc autem in loco, ne rurſus curioſius perſcrutētur, & adhuc, vt, quod rarius eſt, pluris oſtendat. Expende autem qualem hęc verba ignorantiam ſignificare poſſunt, ſiquidem à te cōſtitutum ſuper familiam tuam ignorare non potes. Præterea beatificat quidem eum. Beatus enim, inquit, ſeruus ille: quis vero ſit, ſilentio tradidit: quis enim eſt: aut quomodo conſtituet Dominus ſuper familiam ſuam quem inueniet ſic facientem? Hæc non de pecunijs ſolummodo, verum etiā de verbis, de virtute, de omni diſpenſatione ſingulo homini conceſſa dicta ſunt.

℣. Amauit. 178.

HÆc parabola vel ad gerentes gubernanteſque rempublicam accommodari poteſt. Docet enim vnumquemque ad communem vtilitatem omnia conferre, quæ ſua ſunt, ſiue ſapientiam, ſiue principatum, ſiue quicquid aliud, non ad detrimentum cōſeruorum, nec ad perditionem ſuam. Quapropter vtrūque ab eo flagitat, prudentiam ſcilicet, atque fidē. Delicta enim ab amentia originem habent. ℟. Sint lumbi. 179.

Lectio 8.

FIdelem igitur appellat, quoniam nihil ex rebus domini ſibi attribuit, nec incaſſum quicquam expendit. Prudentem autem, quia diſpenſare nouerit; opportune ſiquidem vtraque nobis opus eſt, ne ſcilicet, quæ domini ſunt, ad proprios vſus rapiamus, & vt opportune omnia diſpenſemus. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In 3. Nocturno.

Lect.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

De Homil. S. Io. Chrysost.

NAm si alterum horum absit, eius absentia alterum omnino claudicat: si enim fidelis ita sit, vt non furetur, disperdat autem non necessario consumens impendio, non paruum id crimen est. Si uero è contrario recte dispenset, sibi vero accumuler, ingens rursus hæc culpa. Audiamus etiam, qui pecunioſi sumus: R. Amauit. 178. Lect. 8.

NOn enim doctoribus hæc solum, sed diuitibus etiam dicit, cum vtrisq; Dominus, diuitias suas crediderit, maximas quidem doctoribus, sed locupletibus non paruas. Si ergo docentes maiores diuitias seminent, atque dispergant; uos autem nullam in minoribus liberalitatem ostendatis (cur liberalitatem, & nõ gratitudinem dixi? nõ enim uestra, sed aliena tribuitis) quænam vobis futura est excusatio? R. Sint lumbi. 179.

Lectio 9.

SEd interim, antequam de punitione dicatur, approbati prȩmia serui qualia sint, audiamus. Amen dico uobis, in omnibus suis constituet eum: quid hoc honore maius? quæ oratio hãc dignitatem, hanc beatitudinem assequi poterit, cum cȩlorum conditor, cui omnia seruiunt, hominem in omnibus suis constituturus sit? Præterea & prudentem eum appellauit, quia nouit magna pro paruis perdenda non esse: quia moderate uitam hic peragens, cælos consecutus est. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus uester uẽturus sit. Et reliqua.

Hom. S. Aug. Episcopi.

Ec

De fide lib.5.c.8.

QVærimus, qua ratione Dominus designare momenta noluerit: si quæramus, non ignorantiæ inueniemus esse, sed sapientiæ. Nobis enim scire non proderat, vt dum certa futuri iudicij momenta nescimus, semper tanquam in excubijs cõstituti, & in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinẽ declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat. ℟. Amauit. 178.

Lectio 8.

NOn enim prodest scire, sed metuere, quod futurum est: scriptum est enim. Noli alta sapere, sed time. Nam si diem designasset expresse, vni ætati hominum quæ proxima erat iudicio, videretur disciplinam præscripsisse viuendi superioris temporis; aut iustus esset remissior, aut peccator securior. Namque adulter, nisi quotidianam pœnam metuat, non potest adulterandi cupiditatem desinere. ℟. Sint lumbi. 179.

Lectio 9.

PLerumque enim, quibus incentiuum est impunitas, timor tædium est. Ideo ergo dixi, quod scire non proderat, imo proderat ignorare, vt ignorantes timeremus vt obseruantes emendaremur, sicut ipse dixit: Estote parati, quia nescitis, qua hora filius hominis vẽturus est. Namque miles, nisi bellum in manibus esse cognoscat, prætendere non nouit in castris. Te Deum.

INFRA OCTAVAM CONFESS. PONTIF.

Homil. in Euang. Lucæ 11.

Nemo accendit lucernã, &c.

IN DIE FESTO.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed, supra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrosij Episcopi.

Lib.7. comment. in Lucam.

QVia in superioribus Ecclesia synagogæ p̃tulit, hortatur nos, vt fidem potius nostram ad Ecclesiam transferamus. Lucerna enim fides est, iuxta quod scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuũ, Domine. Verbum enim Dei fides nostra est: verbum Dei lux est. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ. Lucerna autem lucere non potest, nisi aliunde lumen acceperit. ℟. Amauit. 178.

Lectio 8.

HÆc est lucerna quæ accẽditur, virtus scilicet nostræ mentis & sensus, vt drachma illa possit, quæ perierat, reperiri. Nemo ergo fidem sub lege cõstituat. Lex enim intra mensuram est, vltra mensuram gratia: lex obumbrat, gratia clarificat. Et ideo nemo fidem suam intra mensuram legis includat, sed ad Ecclesiam conferat, in qua septiformis Spiritus relucet gratia, quam princeps ille sacerdotum fulgore superæ diuinitatis illuminat, ne eam legis vmbra restinguat. ℟. Sint lumbi. 179.

Lectio 9.

DEnique lucerna illa, quam matutinis vespertinisque temporibus ritu veteri Iudæorum princeps sacerdotum solebat accendere, velut sub modio sita legis euanuit: & ciuitas illa Ierusalem quæ in terris est, quæ occidit Prophetas, quasi in conualle fletus posita delitescit: illa autem Ierusalem quæ in cælo est, in qua militat fides nostra, in illo altissimo omnium locata monte, hoc est in Christo, non potest tenebris & ruinis huius mundi abscondi, sed fulgẽs cãdore solis æterni, luce nos gratiæ spiritalis illuminat. Te Deum.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Sec. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum,

brum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homil. Sancti Gregorij Papæ.

28. *mor. c. 6. circa finem.*

QVid per oculum exprimitur, nisi opus suum præueniens cordis intentio? quæ prius quam se actione exerceat, hoc iam, quod appetit, contemplatur; & quid appellatione corporis designatur, nisi vnaquæque actio, quæ intentionem suam, quasi intuentem oculum sequitur? lucerna itaque corporis est oculus, quia per bonæ intentionis radium merita illustrantur actionis, ℣. Amauit. 178

Lectio 8.

ET si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: quia si recte intendimus per simplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur, etiam si minus bonum esse videatur: & si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit: quia, cum peruersa intentione quid, vel rectum, agitur, etsi splendere coram hominibus cernitur, apud examẽ tamen interni Iudicis obscuratur. Vnde & recte subiungitur: Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint: si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? ℣. Sint lumbi. 179.

Lect. 9.

QVia si hoc, quod bene agere credimus, ex mala intentione fuscamus, quanta ipsa mala sunt, quæ mala esse, etiam cum agimus, non ignoramus; etsi ibi nil cernimus, vbi quasi discretionis lumen tenemus, qua cæcitate in illa offendimus, quæ sine discretione perpetramus? Vigilanti igitur cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, vt nihil temporale in his, quæ agit, appetat, totam se in soliditate æternitatis figat, ne si extra fundamentum actionis nostræ fabrica ponitur, terra dehiscente soluatur. ℣. Deum.

TERTIA DIE.

Lect. 8. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua. Homil. S. Augustini Episcopi. *Ser. Dom. in mon. lib.* 1.

QVid putamus, ita esse dictum sub modio, vt occultatio tantum lucernæ accipienda sit, tanquam si diceret, nemo accēdit lucernam, & occultat illam: An aliquid etiam modius significat, vt hoc sit ponere lucernam sub modio, superiora facere corporis commoda quam prædicationem veritatis: vt ideo quisque veritatem non prædicet, dum timet, ne aliquid in rebus corporalibus, & temporalibus molestiæ patiatur. ℟. Amauit. 178.

Lectio 8.

ET bene modius dicitur, siue propter retributionem mensurę, quia ea quisque recipit, quæ gessit in corpore; vt illic, inquit Apostolus, recipiat vnusquisque quæ gessit in corpore; siue quoniam temporalia bona, quæ corpore peraguntur, certa dierum mensura, & inchoantur, & transeunt, quam fortasse significat modius: æterna vero, & & spiritalia nullo tali fine coercentur; non enim ad mensuram dat Deus spiritū. Sub modio ergo lucernam ponit quisque lucem bonæ doctrinæ commodis temporalibus obscurat, & tegit. ℟. Sint lumbi. 179. Lect. 9.

SVper candelabrum autem, qui corpus suum ministerio Dei subijcit, vt superior sit prædicatio veritatis, & inferior seruitus corporis; per ipsam tamen corporis seruitutem excellentior luceat doctrina, quæ per officia corporalia, idest, per vocem & linguam & cæteros corporis motus in bonis operibus insinuatur discentibus: super candelabrum ergo ponit lucernam, cum dicit Apostolus: Non sic pugno tanquam aerem cædens, sed castigo corpus meum,

Digitized by Google

meum, ne forte alijs prędicãs ipſe reprobus inueniar, Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam. Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub modio: ſed ſupra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua. De Homil. S Auguſt. Epiſc. *Ser. Dom. in mon. l. 2. c. 13.*

SI oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: qui locus ſic intelligendus eſt, vt nouerimus omnia opera noſtra tunc eſſe munda, & placere in conſpectu Dei, ſi fiant ſimplici corde, ideſt, intentione ſuperna, ſine illo caritatis, quia & plenitudo legis caritas. Oculum ergo hic accipere debemus ipsã intentionem, qua facimus quicquid facimus, quæ ſi munda fuerit, & recta, & illud aſpiciens, quod aſpiciendum eſt, omnia opera noſtra quæ ſecũdum eam operamur, neceſſe eſt bona ſint, quæ omnia opera totum corpus appellauit. ℟. Amauit. 178. Lect. 8.

NOn ergo quid quiſque faciat, ſed quo animo faciat, conſiderandum eſt. Hoc eſt enim lumen in nobis; quia hoc nobis manifeſtum eſt, bono animo nos facere, quod facimus: omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt: nam ipſa facta, quæ ad hominum ſocietatem à nobis procedunt, incertum habent exitum, & ideo tenebras eas vocauit. Itaque ſi bono animo feci, quod mihi facerem, notũ erat, & ideo lumen vocatur; illuminatur etiam factum meum, qualemcumque exitum habuerit: ſi autem malo animo feci, etiam ipſum lumen tenebræ ſunt: lumen enim dicitur, quia nouit quiſque quo animo faciat: ſed ipſum lumẽ tenebræ ſunt, quia ad inferiora declinatur intentio. ℣. Sint lumbi. 179. Le. 9.

SI ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſe te-

tenebrę quantæ eruut? Hoc eſt ſi ipſa cordis intentio, qua facis quod facis, quæ tibi nota eſt, ſordidatur appetitu rerum temporalium, atque cæcatur; quanto magis ipſum factum, cuius incertus eſt exitus, ſordidum, & tenebroſum eſt? quia etſi bene alicui proueniat, quod tu non recta, & munda intentione facis, quomodo tu feceris, tibi imputatur, non quomodo illi prouenerit. Te Deum.

QVINTA DIE.
In ter :o Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub modio: ſed ſupra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Hom. S. Bernardi Abb.

Extr. de præcep. & diſpenſ.

SI oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuũ lucidum erit. Vt interior oculus vere ſimplex ſit, duo illi eſſe arbitror neceſſaria, caritatem in intentione, & in electione veritatem: nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam; neſcio quemadmodum iudicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas; volens denique ad veram diſcipulos inſtruere ſimplicitatem magiſtra veritas: eſtote, inquit, prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Præmiſit prudentiam, ſine qua neminem ſatis eſſe poſſe ſimplicem ſciret. ℟. Amauit. 173.

Lectio 8.

QVomodo denique vere ſimplex erit oculus cum ignorantia veritatis? aut vero vera poteſt dici ſimplicitas, quam ſimplex ignorat veritas? ſcriptum eſt enim, Ignorans ignorabitur. Cæterum ſicut oculum ſimplicem duo iſta faciunt bona, amor boni, & cognitio veri: ſic nequam oculum duo è regione mala conſtituunt; cæcitas, qua fit, vt veritatem non agnoſcat;

&

Digitized by Google

& peruersitas, qua fit, vt digat iniquitatem. Secũdum hoc duplex malum, & illud item geminum bonum quadrifariam diuidamus oculũ cordis, in bonum,& meliorem,in malum, & peiorem.

Sint lumbi. 179.

ALius est itaq; pius oculus,non quidem fallere promptus,sed tamen falli pronus, de quo Propheta: Ephraim,inquit, quasi colũba seducta non habens cor. Alius is,quem Dominus simplicem dicit, tam nec fallere facilis, quam nec falli:de quo & Apostoli docentur, cum eis dicitur ; estote prudẽtes sicut serpentes, & simplices,sicut columbæ. Et itẽ est alius oculus simpliciter malus, fallens vtique libenter,sed nõ facile falsus; qualem profecto habẽt illi, qui ore Dominico astruuntur prudentiores esse filijs lucis in generatione sua; & alius, quem nequam esse definimus,quia sit dupliciter malus,cui quippe & malitia parit ignorantiam,& ignorantia malitiam operit, ita vt sæpe nescíens,& malũ quod vult,non faciat, & bonum faciat, quod non vult. Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Luc.

IN illo tempore : Dixit Iesus discipulis suis:Nemo accendit lucernam,& in abscondito ponit,neque sub modio : sed supra candelabrum , vt qui ingrediuntur , lumen videant. Et reliqua.

Hom. Venerab. Bedæ Pres.

Ex com. in Luc. c. 50.

DE se ipso Dominus hæc loquitur ostendens, etsi supra dixerit, nullum generationi nequam, nisi signum Ionæ dandum, nequaquam tamen lucis suę claritatem fidelibus occultandam. Ipse quippe lucernam accendit, qui testam humanæ naturæ flamma suę diuinitatis impleuit,quam profecto lucernam,nec credentibus abscondere, nec modio supponere, hoc est, sub mẽsura legis includere, vel vltra vnius Iudęæ Gentis terminos voluit cohibe-

re: sed supra candelabrum, inquit, vt qui ingrediuntur lumen videant. ℟. Amauit. 178. Lect. 8.

CAndelabrum Ecclesiã dicit, cui lucernam superposuit: quia nostris in frontibus fidem suæ incarnationis adfixit, vt qui Ecclesiam fideliter ingredi voluerint, lumen veritatis palam queant intueri, qua sententia Iudæorum quoque proceres condemnat, qui signa quærẽtes exterius, apertam lucis ianuam noluerint intrare credendo. Denique præcipit, ne opera tantummodo, sed & cogitationes, & ipsas etiam cordis intentiones mundare, & castigare meminerint. ℟. Sint lumbi. 179. Lect. 9.

LVcerna corporis tui est oculus tuus. Corpus quippe dicit opera, quæ palam cunctis apparent, oculum vero ipsam mentis intentionem, qua operatur, & de cuius merito eadem opera, lucis an tenebrarum sint opera, discernuntur, sicut ipse consequenter, expo suit, dicens: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si, inquit, pura, rectaque intentione, quæ potes, agere bona studueris: lucis profecto sunt opera, quæ facis, etiam si coram hominibus imperfectionis aliquid habere videantur; quoniam diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua. De Homil. Venerab. Bedæ Presbyteri.

SI autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit: si autem perversa est intentio, quæ præcedit, prauũ est omne opus, quod sequitur, quamuis rectum esse videatur. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tene-

Digitized by Google

tenebræ ſint. Hoc eſt, ne ipſa cordis intentio, quæ lumen eſt animæ, vitiorum caligine fuſcetur, ſedula diſcretione perpende. ℟. Amauit. 178. Lect. 8.

IVxta quod alibi præcipitur: omni cuſtodia ſerua tuum cor, quoniam ex ipſo vita procedit. Si ergo corpus tuum totum lucidū fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum. Totum corpus noſtrum omnia noſtra opera dicit: quia & Apoſtolus membra noſtra nuncupat quędam opera, quæ improbat, & mortificāda præcipit, dicens: Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationē, immunditiam, libidinem, & cætera talia. ℟. Sint lumbi. 179. Lect. 9.

SI igitur ipſe bonum bona intentione patrauerit; non habens in tua conſcientia aliquam partem tenebroſæ cogitationis, etiā ſi contigerit aliquem proximorum tua bona actione noceri, verbi gratia, aut de pecunia, quam à te indigens & petens acceperat, facere vel pati aliquid mali, aut de verbo exhortationis, quo errantem corrigere volebas, forte perniciosius errare; tu tamen pro tuo ſimplici & lucido corde, & hic, & in futuro lucis gratia donaberis. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub modio: ſed ſupra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua. Homil. S. Io. Chryſoſtomi. *In Matt. hom.* 21.

LVcerna corporis tui eſt oculus tuus: quod oculus corpori, hoc intellectus eſt animæ; vt enim nequaquam optes auro ornari, veſte ſerica conſpici, ſi ſit oculis tibi carēdum, ſed horū procul dubio ſanitatem deliderabiliorem rebus omnibus iudicares: quæ ſi tibi cer-

certe depereat, nihil te iam tota vita delectat; quanto magis pro oculis debes mētis efficere? ſicut enim poſtquam corporalium oculorum lumen extinctum eſt, omnia iam membra in miſeria verſantur ac tenebris, ita etiam mente cæcata, innumeris prorſus malis hominum vita cumulatur.

℟. Amauit. 178. Lect. 8.

QVemadmum igitur in corpore hoc maxime prouidemus, vt oculos habeamus incolumes; ſic etiam in anima intellectus conſeruemus ſalutem; ſi vero cęcamus iſtum, quo alijs quoque debemus lumen inferre, vnde iam ipſi poterimus aſpicere? ſicut enim qui caput ipſum fontis obſtruxit, totum ſimul exiccauit & fluuium: ſic etiā qui oculum mentis tenebris obduxit, omnes quoque vitæ iſtius actus vna confuſione cæcauit; propter quod ait: ſi lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſe tenebræ quantæ erunt? ℟. Sint lumbi. 179. Lect. 9.

QVando enim lucerna extinguitur, quando gubernator mergitur, quando dux ipſe capitur, quæ tandem obedientibus ſupererit ſpes ſalutis? propterea nunc quidem omiſit dicere eas, quæ diuitijs tenduntur inſidias, lites videlicet ac pugnas, ſed ponens his omnibus ſæuiora, & quæ abſque dubio ſemper accidūt, à maligna concupiſcentia liberat audientes: etenim multo horribilius eſt mentem huic ægritudini mancipare quā carceris ſqualore macerari. Dedit enim nobis intellectum Deus, vt ignorantiam fugemus è mentibus, vt rectum teneamus, iuſtumque iudicium. Te Deum.

INFRA OCTAVAM CONFESS. PONTIF.

Homil. in Euan. Marci 13.

Videte, Vigilate, &c.

IN DIE FESTO.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euan. ſec. Marcum.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Videte,

dete, vigilate, & orate: neſcitis enim quando tempus ſit. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chryſolo.

Ex Serm. 24.

SEmper & ad omnia vigilias eſſe ſalutares nullus ignorat: quia re vera plus vigilare, plus viuere eſt: nam quid tam mortis ſimile, quam dormientis aſpectus? quid tam vita plenum, quam forma vigilantis? Indulgendũ ſomno eſt, vt corpus reparet, non reſoluat; & uires reuocet, non eneruet; ſemper ergo ad omnia vigilias eſſe ſalutares, nullus ignorat, quę ars, quod opus, quod tempus, quæ poteſtas, quod officium non vitæ lucra lucubratione perquirit? ℣. Amauit. 178. Lect. 8.

HInc eſt, quod Rex in procinctu peruigil, callidi hoſtis præcauet & euitat inſidias: tũc in caſtris miles ſuperuenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit. Sic nauta vigilando diffuſi itineris incertas vias intrat, & calles tranſit ſinuios, & veſtigio furtiuo ad lucroſi portus votiuam peruenit manſionem. Hinc paſtor adiungit noctes diebus, & totum ſibi tempus denegat dormiendi, ne qua lupis, ſuffragante ſomno, graſſandi in gregem præbeatur occaſio. ℣. Sint lumbi. 179.

Lectio 9.

SIc viator ſolers per auras noctis æſtus ſolus præuenit: actumque diem præuidentius deputat manſioni. Hoc propheta ſciens, non die ſolo, ſed & nocte tota clamabat ad Dominum: Domine Deus ſalutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te; quid plura? Ipſe Dominus pernoctat in oratione Dei; vt ante nos oratione liberet, quam redimat paſſione; &, ſi pro ſeruis Dominus vigilat, merito pro ſe ipſis ſeruos vigilare ſic iubet. Te Deum.

Extra oct. legatur in Miſſa, & Officio Euang. Vigilate quia, &c. cum ſuis Homil. de hoc eodem com. ſup.

In die vero octaua, vt in die feſto.

IN-

INFRA OCTAVAM DOCTORVM.

SECVNDA DIE.

In secundo Nocturno

Sermo S. Ioa. Chrysostomi. *In c. 7. Mat. ho. 18. post init.*

DEus ita nos disposuit esse, vt nec studentes, & laborantes circa scripturas, acquiramus salutem scientiæ sine gratia Dei, vt ne nobis imputemus, quod scimus: nec tamen gratiam acquiramus; nisi studuerimus, & laborauerimus circa scripturas, ne donum Dei detur negligentibus: sicut enim in bello non omnis qui pugnat, vincit; nemo tamen vincere potest, nisi pugnauerit: sic non omnes, qui student, & legunt, acquirunt scientiam spiritualem; nemo tamen acquirere potest nisi qui aut studiosus fuerit ad legendum, aut assiduus ad audiendum.

Lectio 5.

ET infidèles quidem, & non timentes Deum inueniunt scientiam legendo & studendo, sed non illam, quæ ex Deo est, quæ per Spiritum sanctum datur: sed hanc, quæ est ex natura carnali, quæ per exercitationẽ carnis acquiritur, quam habuerunt etiam gentilium studiosi: multa enim differẽtia est inter scientias istas. Qui enim orationibus non instat, nec operibus bonis, sed per solum studium lectionum factus est sciens, quãdo aliis prędicat, ipse sibi non sentit quod prędicat.

Lectio 6.

SEd quando alios docet, ab intus conscientia eius ridet sibi de verbis suis: quia scientia, quæ ex solis lectionibus est, ex ore procedit: quæ autem de Spiritu sancto est, de corde profertur, & ideo spiritualis scientia non solum dicitur, sed & sentitur: non tantum in scripturis legitur, sed ex corde suggeritur: & ideo, si alios terret, ipse amplius timet: si consolatur, ipse melius gaudet: & omne, quod loquitur, non tantum legit, sed experimento probauit. Ideo ergo petamus

Digitized by Google

mus Deum,& operemur bona,vt non carnalem, ſed ſpiritalẽ ſcientiam mereamur.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ,quod ſi ſal euanuerit in quo ſalietur? Et reliqua.

Homil.S.Hieronym.Presb. *Lib.1. Comm.in Matth.*

SAl appellantur Apoſtoli & Doctores:quia per illos vniuerſum hominum conditur genus. Quod ſi ſal euanuerit in quo ſalietur? Si doctor errauerit, à quo alio doctore emendabitur? Ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Exẽplum de agricultura ſumptum eſt. Sal enim ſicut in ciborum condimentum, & ad ſiccandas carnes neceſſarium eſt,ita alium vſum non habet. Certe legimus in ſcripturis, vrbes quaſdam ira victorum ſale ſeminatas,vt nullum in ipſis germẽ oriretur.

Lectio 8.

CAueãt ergo Doctores, & Epiſcopi, & videãt potentes potenter ſuſtinere tormenta, nihilque eſſe remedij, ſed maiorum ruinas ad tartarum ducere. Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita: neque accendũt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum: vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Docet fiduciam prædicãdi,ne Apoſtoli abſcondantur ob metum, & ſimiles ſint lucernæ ſub modio;ſed tota libertate ſe prodant: vt quod audierunt in cubiculis,prædicent in tectis. ℣. In medio Eccleſiæ aperuit os eius,Et impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus. ℣. Iucunditatem & exultationem theſaurizauit ſuper eum. Et impleuit. Gloria. Et impleuit.

Lectio 9.

NOlite putare,quoniam veni ſoluere legem aut Prophetas: nõ veni ſoluere, ſed adimplere. Siue quod

quod de se per alios prophetata compleuerit; siue quod ea quæ ante propter infirmitatem audientium rudia & imperfecta fuerant, prædicatione compleuerit, iram tollens, & vicem talionis excludens, & occultam in mente concupiscentiam dānans, Donec transeat cælū, & terra. Promittuntur nobis cæli noui, & terra noua, quæ facturus est Dominus Deus. Si ergo noua creanda sunt, consequenter vetera transitura. Te Deum.

TERTIA DIE.

In secundo Nocturno.

Ex libro S. Augustini Episcopi de ciuitate Dei.

Lib. 18. *c.* 41. Lect. 4.

AVctores nostri, in quibus non frustra sacrarum litterarum figitur & terminatur Canon, absit, vt inter se aliqua ratione dissentiant: vnde non immerito cum illa scriberent, eis Deū, vel per eos locutum, non pauci in scholis atque gymnasijs litigiosis disputationibus garruli, sed in agris atque in vrbibus cum doctis atque indoctis tot, tantique populi crediderunt. Ipsi sane pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret, quod earum religione esse oporteret; nec tamen ita pauci, vt eorum non sit miranda consensio.

Lectio 5.

NEque enim in multitudine philosophorū, qui labore etiam litterario monumenta suorū dogmatum reliquerunt, facile quis inuenerit, inter quos cūcta, quæ sensere, conueniant, quod ostendere hoc opere longum est. Vbi etsi aliqua vera dicebantur, eadem licentia dicebantur & falsa prorsus, vt non frustra talis ciuitas mysticum vocabulū Babylonis acceperit. Babylon quippe interpretatur confusio, quod nos iam dixisse meminimus. Nec interest diaboli regis eius, quam contrarijs inter se rixentur erroribus; quos merito multæ, variæque impietatis, pariter possidet. Lect. 6

AT vero gens, populus, ciuitas, respublica, Israe-

Digitized by Google

Iſraelitæ, quibus credita sũt eloquia Dei, nullo modo pſeudoprophetas cum veris prophetis pari licentia confuderunt, ſed concordes inter ſe, atque in nullo diſſentientes, ſacrarum litterarum veraces ab eis agnoſcebantur & tenebantur auctores. Ipſi eis erant philoſophi, hoc eſt, amatores ſapientiæ, ipſi ſapientes, ipſi Theologi, ipſi Prophetæ, ipſi Doctores probitatis, atque pietatis. Quicunque ſecundum illos ſapuit, & vixit, nõ ſecundum homines, ſed ſecundum Deum, qui per eos locutus eſt, ſapuit, & vixit.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Et reliqua.

Homil. S. Hilarij Epiſcopi. *Comment. in Matt. can. 5.*

VOs eſtis ſal terræ, quod ſi ſal infatuatum fuerit, ad nihilum valet id quod ſalietur. Sal, vt arbitror, terræ nullum eſt: quomodo ergo Apoſtolos ſal terræ nuncupauit? Sed proprietas eſt quærenda dictorum, quam & Apoſtolorum officium, & ipſius ſalis natura monſtrabit. Sal eſt in ſe vno continens aquæ & ignis elementum, & hoc ex duobus eſt vnum.

HIc igitur in omnem vſum humani generis effectus, incorruptionem corporibus, quibus fuerit aſperſus, impertit, & ad omnem ſenſum conditi ſaporis aptiſſimus eſt. Apoſtoli autẽ ſunt rerum cæleſtium prædicatores, & æternitatis velut ſatores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum ſermo aſperſus fuerit, conferentes. Merito igitur ſal terræ nuncupati ſunt, per doctrinæ virtutem ſaliẽdi modo æternitati corpora reſeruantes.

In medio Eccleſiæ. 205.

Lect.

SEd natura ſalis ſemper eadem eſt, nec immutari vmquam poteſt. Verum quia cõuerſioni homo ſub-

ia-

iacet, & ſolus beatus, qui vſque ad finem in omnibus Dei operibus permanſerit: ideo eos ſal terræ nuncupatos monet in traditæ ſibi poteſtatis virtute perſiſtere, ne infatuati nihil faliant, & ipſi, ſenſu accepti ſaporis amiſſo, viuificare corrupta non poſſint, & proiecti de Eccleſiæ promptuarijs, cum ijs quos ſalierint, pedibus incedentium proterantur.

Te Deum.

QVARTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

De expoſit. S. Auguſt. Epiſc. in epiſt. primam B. Ioannis. *Tract. 3. c. fin.* Lect. 4.

NOn habetis neceſſitatem, vt aliquis vos doceat, quia vnctio ipſius docet vos de omnibus: quid ergo nos facimus, fratres, qa docemus vos? ſi vnctio eius docet vos de omnibus, quaſi nos ſine cauſa laboramus, & vt quid tantum clamamus? Dimittamus vos vnctioni illius, & doceat vos vnctio ipſius: ſed modo mihi facio quæſtionem, & illi ipſi Apoſtolo facio: dignetur audire paruulum quærentem à ſe; ipſi Ioanni dico: vnctionem habebant, quibus loquebaris? Tu dixiſti, quia vnctio ipſius docet vos de omnibus, vt quid talem epiſtolã feciſti? quid illos tu docébas? quid inſtruebas? quid ædificabas? Lec. 5

IAm hic videte magnum ſacramentum, fratres: ſonus verborum noſtrorum aures percutit, magiſter intus eſt: nolite putare quẽquam hominem aliquid diſcere ab homine. Admonere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ: ſi non ſit intus qui doceat, inanis fit ſtrepitus noſter. Magiſteria forinſecus, adiutoria quædam ſunt, & admonitiones. Cathedram in cælo habet qui corda docet: de Domino dico. Propterea ait & ipſe in Euangelio; Nolite vobis dicere magiſtrum in terra: vnus eſt magiſter veſter Chriſtus. Ipſe vobis ergo intus loquatur, quando nemo hominum illic eſt: quia etſi aliquis eſt à latere tuo, nullus eſt in corde tuo: Chriſtus

ſtus ſit in corde. Lec.6.

SIc ſunt iſta verba, fratres, quæ forinſecus dicimus, quomodo eſt agricola ad arborem: forinſecus operatur, adhibet aquam, & diligentiam culturæ: quælibet forinſecus adhibeat, nunquid poma formát? Nũquid nuditatem lignorum veſtit vmbra foliorum? nunquid tale aliquid intrinſecus agit? ſed quis agit hoc? Audite agricolam Apoſtolum, videte quid ſumus: & audite magiſtrum interiorem: Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Hoc ergo vobis dicimus; ſiue plantemus, ſiue rigemus loquendo, non ſumus aliquid, ſed ille, qui incrementum dat Deus, ideſt vnctio illius, qui docet vos de omnibus.

In tertio Nocturno.

Quarta die inf. oct. S. Ioan. Chryſoſtomi legatur Homil. S. Auguſ. **Oſtendit Dominus, &c.** vt in Breu. de communi Doctorum: infra oct. vero aliorum Doctorum legantur ſequentes lect.

Lect. S. Euang. ſec. Matth. Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Et reliqua.

Homilia S. Ioann. Chryſoſt. *Hom. 15. in Mat. ſub med.*

ATtendite quid dixerit, Vos eſtis ſal terræ: per quod oſtendit, quam neceſſario iſta præcipiat. Non enim pro veſtra, inquit, tantũmodo ſalute, ſed pro vniuerſo orbe vobis certamen erit. Non ad duas quippe vrbes, aut decem, aut viginti, neque ad vnam gentem vos mitto, ſicut mittebam prophetas: ſed ad omnem terram prorſus ac mare, totumque mundum, & hunc varijs criminibus oppreſsũ.

Lectio 8.

DIcendo enim, Vos eſtis ſal terræ; oſtendit vniuerſam hominum infatuatam eſſe naturam, & peccatorum vi corruptam: & idcirco illas ab eis virtutes requirit, quæ maxime ad multorum ſalutem procurandã

neceſſariæ ſunt atque vtiles. Nam qui manſuetus eſt ac modeſtus, & miſericors & iuſtus, non intra ſe tantummodo hæc recte facta concludit, verum in aliorum quoque vtilitatem præclaros hos faciet effluere fontes. Igitur qui corde mundo eſt atque pacificus, & perſecutionem pro veritate patitur, nihilominus in cõmune commodum vitam inſtituit. ℟. In medio. 205.

Lectio 9.

NE igitur putetis, inquit, ad leuia vos ducendos eſſe certamina, neq; exiguarum rerum vobis ineundam eſſe rationem. Vos eſtis ſal terræ. Quid igitur? Ipſi ne putrefacta medicati ſunt? Nequaquam: neque enim fieri poteſt, vt ea quæ iam corrupta ſunt, ſalis perfricatione reparentur. Non ergo hoc fecerunt, ſed ante renouata ſibique tradita, atque ab illa iam putredine liberata aſpergebãt ſale, & in ea nouitate conſeruabant, quam à Domino ſuſceperant. Liberare quippe à putredine peccatorum, Chriſti virtutis eſt: vt autem ad illa iterum non reuertantur, Apoſtolorum curæ eſt, ac laboris. Te Deum.

QVINTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Tres lect. S. Gregor. Qui poſt Orionas &c. vt in Bre. de communi Doct.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euan. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terrę: quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Et reliqua.

Homil. S. Gregorij Papæ. *Homil. 17. in Lucæ 10. ante med.*

COnſiderandum nobis eſt, fratres cariſſimi, vt qui vna eademque exhortationis voce non ſufficit ſimul cunctos admonere, ſtudeat ſingulos, inquantum valet, inſtruere, priuatis locutionibus ædificare. Debemus namque penſare, quod à Domino ſanctis dicitur Apoſtolis, & per Apoſtolos nobis: Vos eſtis ſal terræ. Si igitur

igitur ſal ſumus, condire mentes fidelium debemus. Vos igitur qui paſtores eſtis: penſate quia animalia Dei paſcitis, de quibus profecto animalibus Deo per Pſalmiſtam dicitur: Animalia tua habitabunt in ea.

Lectio 3.

ET ſæpe videmus, quod petra ſalis brutis animalibus anteponitur, vt ex eadem ſalis petra lambere debeant, & meliorari. Quaſi ergo inter bruta animalia petra ſalis, debet eſſe ſacerdos in populis. Curare namque ſacerdoti neceſſe eſt, quæ ſingulis dicat, vnumquemque qualiter admoneat: vt quiſquis ſacerdoti iungitur, quaſi è ſalis tactu æternæ vitæ ſapore condiatur. Sal etenim non ſumus, ſi corda audientium non condimus: quod condimentum ille proximo veraciter impendit, qui prædicationis verbum non ſubtrahit. Sed tunc alijs recta vere prædicamus, ſi dicta rebus & exẽplis oſtendimus. ℟. In medio. 205.

Lectio 4.

NVllum autem puto, fratres cariſſimi, ab alijs maius præiudicium, quam à ſacerdotibus tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla prauitatis cernit: quando ipſi peccamus: qui compeſcere peccata debuimus: nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra quotidie ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipſo quo ceteris prælati ſumus, ad agenda quælibet maiorem licentiã habemus; ſuſceptæ benedictionis miniſterium vertimus ad ambitionis argumẽtum: Dei cauſas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Te Deum.

SEXTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Ex lib. moral. S. Greg. Papæ.

Lectio 4.

HInc namque per Danielem dicitur. Per-

Digitized by Google

transibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Hinc Ioanni in priori parte reuelationis Angelus dicit: signa, q̃ locuta sũt septẽ tonitrua: cui tamen in eiusdem reuelationis termino præcepit dicens: Ne signaueris verba prophetiæ libri huius. Pars quippe reuelationis anterior signari præcipitur, terminus prohibetur; quia quicquid in sanctę Ecclesiæ initijs latuit, finis quotidie ostẽdit. Nõnulli vero à Græca litera, quæ Y dicitur, Hyadas nuncupatas arbitrãtur: quod si ita est, significationi, quam diximus, contrarium non est. Lect. 5.

DOctores enim his stellis non inconuenienter expressi sunt, quæ a litteris nomen trahunt: sed quãuis hyades ab eiusdem litteræ visione non discrepẽt; certum tamen est, quia hyetos imber dicitur, eo quod exortæ pluuias apportant. Vir igitur sanctus redemptionis nostræ ordinem contemplatus admiretur, atque admirans exclamet, dicens: Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris, qui facit Arcturum; & Orionas, & Hyadas.

Lectio 6.

EXtensis etenim cælis, Dominus formauit Arcturum, quia in honorem deductis Apostolis, in cælesti conuersatione fundauit Ecclesiam. Formato quoq; Arcturo fecit Orionas, quia roborata fide vniuersalis Ecclesiæ, contra procellas mũdi edidit martyres. Editis quoque Orionibus protulit Hyadas, quia conualescẽtibus contra aduersa martyribus, ad infundendam aridatatem humanorum cordium, doctrinam contulit magistrorm. Isti itaque sunt astrorum spiritalium ordines, qui dum summis virtutibus eminent, semper ex supernis lucent.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. sec. Matth. Le. 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quod si sal euanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Hom.

Digitized by Google

Hom. S. Augustini Episcopi. *Lib. 1. de ser. Dom. in mon.*

NEque accendũt lucernam, & ponunt eam sub modio: quid putamus, ita esse dictum, sub modio, vt occultatio tãtum lucernæ accipienda sit, tanquam si diceret: Nemo accendit lucernam, & occultat illam? An aliquid etiam modius significat, vt hoc sit ponere lucernam sub modio, superiora facere corporis commoda, quam prædicationem veritatis: vt ideo quisque veritatem non prædicet, dum timet ne aliquid in rebus corporalibus, & temporalibus molestiæ patiatur? & bene modius dicitur; siue propter retributionem mẽsuræ, qua quisque recipiet, quæ gessit in corpore; siue, quoniam temporalia bona, quæ corpore peraguntur, certa dierum mensura, & inchoantur, & transeunt, quam fortasse significat modius.

Lectio 8.

SVb modio ergo lucernã ponit, quisquis lucem bonæ doctrinæ commodis temporalibus obscurat, & tegit: super candelabrum autem, qui corpus suum ministerio Dei subijcit, vt superior sit prædicatio veritatis, & inferior seruitus corporis: per ipsam tamen corporis seruitutem excellentior luceat doctrina, quæ per officia corporalia, id est, per vocem, & linguam, & cæteros corporis motus in bonis operibus insinuatur etiã discẽtibus. ℟. In medio. 205

Lectio 9.

SVper candelabrum ergo ponit lucernam, cũ dicit Apostolus; Non sic pugno tanquam aerem cædẽs, sed castigo corpus meum, & seruituti subijcio, ne forte alijs prædicans, ipse reprobus inueniar, quod vero ait: Vt luceat omnibus, qui in domo sunt: Domum puto dictam habitationem hominum, id est, ipsum mundum, propter id, quod superius ait: Vos estis lumen mundi: aut, si domum quisque vult accipere Ecclesiam, nec hoc est absurdum. Te Deum.

Digitized by Google

SEPTIMA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustini Episc.

Ser. 3. de ver. Do. in Matt.

Lectio 4.

CVm nobis pro officio cõpetat dicere, vobis autem conueniat pro deuotione audire, quid tam necessarium, tamque pertinẽs poterit vtrisque contingere, quam vt quod religiose dicitur, & deuote auditur, obsequijs cõpetentibus teneatur? nam si religiosa non tacere lucrum est, tacere dispendium, quanto itaque potiora lucra potuerint prouenire, cum operationis effectu monstratur, quicquid magisterijs cælestibus, & discitur, & tenetur? Par etenim causa & docentem, & audientẽ constringit, vt vtriusque professio factorum testificatione signetur.

Lectio 5.

ET quamuis dissimile sit doctoris, discentisque officium, tamen vtriusque debet sanctarum legum obsequium; vt iungãtur factis, qui separantur officijs; copulentur opere, qui diuersi sunt nomine; & quos vocabula ab inuicem separant, eos obseruantia præceptorum fideliter, ac deuote cõiungat: quare sic fit, vt vtriusque diuersus sit actus, sed obseruantiæ par sit necessarius in vtrisque effectus, vt factorum in ambobus conspiret assensus, quibus diuersus est in vocabulis sonus.

Lect. 6.

IN doctore enim molesta est causa, dicere nec facere, præcipere nec obseruare; in discente vero audire velle, quod nolit implere, aures auditui accommodare, & ab opere voluntatem auertere. Cęterum qui facit, quod docet, & qui, quicquid imperat, complet, maximus in cælestibus sententia Domini declaratur. At vero, qui quod dicit, negligit; & qui quod audit, contemnit, salutis reus existit, qui obseruanda contempsit, & pericula non vitauit. Amat enim mortem, qui vitæ præcepta non seruat: & horret vitam qui peccata morti de-

Digitized by Google

debita desperata morte frequentat.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quod si sal euanuerit, in quo salietur. Et reliqua.

Homil. S. Io. Chrysostomi.

Ex homil. 15. in Matth.

SI autem sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi, vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Alij enim, etiam si sæpe delinquant, possunt tamen ad veniam peruenire: si vero hoc magister ipse patiatur, omni satisfactione priuabitur, & supplicia extrema persoluet. Ne enim audiētes, cum exprobrauerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, in medium prodire formidēt, dicit; quoniam nisi ad ista fueritis parati, frustra etiam proditis in publicū. Non enim vos oportet maledicta hominum timere, sed laudes: quas si audire cupiatis, tunc vere infatuandi estis, atque calcādi.

Lectio 8.

SI vero perseuerabitis vosmetipsos vndique castigantes, & deinde audieritis mala, gaudete. Hoc enim est opus salis, laxa quæque vrere, atque restringere, itaque iam necessaria subsequitur maledictio, nihil vobis prorsus incommodans, immo etiam testimonium vestræ perhibens firmitatis. Si vero illa timentes, fortitudinem vobis vtilem deseratis, multo sæuiora patiemini, & male scilicet audientes, & contempti à cunctis, atque despecti: hoc nāque est ab omnibus conculcari. Deinde ad aliud eos sublimius ducit exemplum; Vos estis lux mundi. &c. In medio. 205.

Lect. 9

ITerum mundi, non vnius profecto gentis, nec viginti vrbium, sed totius orbis lumen tunc perhibentur, & lumen intelligibile; ipsoque sole fulgentius, sicut etiam sal hoc loco intelligitur

gitur ſpiritale. Prius autem ſal poſuit, deinde lumen, vt diſcat, quantum ſit verborũ vrentium beneficium, quantumque commodum honeſtæ, rectæque doctrinæ. Hæc ſiquidem ſtringit animos, nec quoquam diffluere permittit, facitque attentius ad lumen virtutis aſpicere, ad quam velut apprehenſa manu pertrahit audientes.

IN DIE OCTAVA.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Augustini Epiſc. *Ex epi.* 152. *to.* 2. Lect. 4.

SOllicitiſſime cauendum eſt in docendo ſuperbię vitium, quod in diſcendo nõ ita eſt, vnde ſancta ſcriptura nos admonet dicens: ſit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & ille in Pſalmo ait: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam; continuoque ſubiecit: exultabũt oſſa humiliata. Vidit enim in audiendo facillime ſeruari humilitatem, quæ difficilis eſt in docendo; Quoniam neceſſe eſt, vt doctor habeat ſuperiorem locum, vbi laborioſum eſt obtinere, ne ſubrepat elatio.

In Pſalm. 129. Lect. 5.

ECce enim fratres mei dico caritati veſtræ: loquimur nos modo ad vos, vt aliquid doceamus vos: quanto melius, ſi omnes ſciremus, & nemo doceret alterum, vt non eſſet alius loquens, alius audiens: ſed omnes audientes vnum illum, cui dicitur: Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam; vnde & ille Ioãnes non tam gaudebat, quia prædicabat, & quia loquebatur; ſed gaudebat, quia audiebat, ait enim: Amicus autem ſponſi ſtat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Itaque ibi vnuſquiſque probet ſe, non vt loquatur, ſed vt de alio locutionis officium exigat; gaudium autem taciturnitatis intus in voluntate habeat, vocem doctrinæ in neceſſitate.

De bapt. cont. Donat. c. 5.

Lectio 6.

ET plerumque doctioribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiens & hu-

Digitized by Google

humilis caritas, in qua fructus maior est, comprobetur; vel quomodo teneãt vnitatem, cum in rebus obscurioribus diuersa sentiunt, vel quomodo accipiant veritatem, cum cõtra id, quod sentiebant, declaratum esse cognoscunt, quorum duorũ manifestum tenemus vnum in beato Cypriano: id est quomodo tenuerit vnitatẽ cum eis, à quibus diuersum sentiebat. Homines enim sumus: vnde aliquid aliter sapere, quam se res habet, humana tentatio est, nimis autem amãdo sententiam suã, vel inuidendo melioribus vsque ad sacrilegium peruenire, diabolica præsumptio est; in nullo autem aliter sapere, quam res se habet, angelica perfectio est.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quod si sal euanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

De Homilia S. Io. Chrysost.

LVceat lux vestra: hoc est, plurima in vobis sit virtus, ac maxime ingens illius accẽdatur ignis, & ineffabile omnino lumen effulgeat. Quando autem tam magna virtus fuerit, & clara, latere non poterit, etiam si mille illam contegere velit modis ille, qui possidet. Bene autem ait, lumen; nihil est, quod sic hominem faciat insignem, atque conspicuum, etiam si magno ambitu optet latere, vt splendor iste virtutis; sicut enim ipso sole circundatus, ita vtique clarus effulget, nec in terram solummodo rutilatus propriæ virtutis emittit, sed supra ipsum etiam cælum proprio fulgore radiabit.

HInc itaque illos vberius consolatur, etsi, inquit, maledicta in vos audientes doletis, sed habetis plurimos, quos ad amorem, atque admirationem Dei, vestro adducatis exemplo: tunc enim multi erunt omnino mirantes, non vtique vos tantum, sed per vos etiã

Patrem veſtrum, nec dixit, Deum, ſed Patrem: conferendæ illis nobilitatis prærogatiuam, hoc iam nomine, largiendo. Conſidera, quãtum iſtiuſmodi ſit commodũ, quantũ etiã diſcrimẽ. Si enim vitijs ſordeamus, etiam ſi nobis nullus obtrectet, erimus omnibus miſeriores. Si vero virtutibus ſplendere curemus; velſi totus mundus contra nos maledictis voluerit perſonare, erimus omnium beatiſſimi, atque ad nos trahemus omnes, qui venire elegerint ad ſalutem: omni quidem tuba documenta ſunt operum clariora, vitaque munda ipſa eſt luce fulgentior.

℣. In medio. 205.

Ex Homil. 16. in Matth.

Lectio 9.

NOn veni ſoluere legẽ, ſed implere: legem vero non vno tantum, ſed altero, & tertio impleuit modo. Vno quidem, quia nihil ex legitimis ipſe tranſgreſſus eſt; alio vero, quia per nos quoque id ipſum facit: quod Paulus ſignificando docebat: Quoniam finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti: quod enim illa nõ potuit hoc per fidem ipſe confecit; ſi vero aliquis diligenter examinet, alium quoque tertium modum impletæ ab eo legis inueniet: quem vero iſtum? Ipſa vtique præcepta, quæ erat daturus: non enim interitus priorum, ſed augmentum potius, & complementum erantea, quæ dicebantur à Chriſto; illius quippe ſentẽtiæ, qua dicitur: Non occides, non interemptio, ſed adimpletio magis, atque munitio eſt, dicere: Non iraſcaris, omniumque ſimiliter cæterorũ. Te Deum.

INFRA OCTAVAM CONFESS NON PONT. SECVNDA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Tres lect. S. Ioan Chryſoſt. **Beati N. dies &c.** vt in Breuiar. de communi Conf. non Pont. Quod ſi lectæ ſint in die feſto legantur hodie ſequentes.

Sermo S. Ioa. Chryſoſtomi.

Ser.

Ser. de Mar. quod aut imit. aut non laud. tom 3.

Lectio 4.

QVi Sanctorum merita religiosa caritate miratur, quique iustorum glorias frequēti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque iustitiam imitetur: quoniam quem delectat sancti alicuius meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequiū. Quare aut imitari debet, si laudat: aut laudare non debet, si imitari detrectat: vt qui alium laudat, laudabilē se reddat: & qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. Nam si propterea iustos fideleſque diligimus, quod in ipsis iustitiam fidēque suspicimus; possumus nos quoque esse quod sunt, si faciamus ipsi quod faciūt. ℟. Honestum fecit illū Dominus, & custodiuit eum ab inimicis, & a seductoribus tutauit illum: Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnū Dei. Et dedit.

Le. 5.

NEque enim difficile nobis est quod ab ipsis geritur, imitari, cum sine præcedenti exemplo ab antiquis talia gesta conspicimus: vt non ipsi aliorum æmuli redderētur, sed æmulandæ virtutis seipsos nobis præberent exemplum: vt dum non ex ipsis, & ex nobis alij proficiunt, sic Christus in suis semper seruis in Ecclesia sancta laudetur. Vnde ab origine mundi innocens Abel occiditur, Enoch Deo placens transfertur, iustu Noe inuenitur, Abraham fidelis probatur; Moyses mansuetus dignoscitur, Iesus castus, Dauid lenis, Elias acceptus, Daniel sanctus, tres pueri victores reddūtur. ℟. Amauit eum Dominus, & ornauit eum stolam gloriæ induit eum: Et ad portas Paradisi coronauit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornauit eum. Et ad portas.

Lectio 6.

APostoli discipuli Christi, credentium magistri

ſtri habentur: è quibus eruditi Confeſſores fortiſſimi pugnant, Martyres perfecti triumphant, & Chriſtiani ſemper exercitus diabolum Deo armati debellant. In iſtis ſemper pares virtutes, diſſimiles pugnæ, glorioſæ victoriæ. Vnde tu Chriſtiane delicatus es miles, ſi putas te poſſe ſine pugna vincere, ſine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio iſto cõcerta. Conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce: pactum quod ſpopondiſti, conditionem qua acceſſiſti, militiam cui nomen dediſti. ℟. Iſte homo perfecit omnia: quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiẽ meam: Quia te vidi iuſtum coram me ex omnibus gentibus. ℣. Iſte eſt qui contẽpſit vitam mundi, & peruenit ad cæleſtia regna. Quia. loria. Quia.

TERTIA DIE.

In ſecundo Nocturno.

De Serm. S. Io. Chryſoſt. *De S. Philogono.* Lc. 4.

AD hanc beatam requiẽ trãſijt beatus N. quę nam igitur oratio par ſit viri laudibus, quem Deus tam felici ſorte dignatus eſt? Nõ eſt vlla: ſed age, dic mihi, nũ idcirco ſilebimus? & cuius rei gratia conuenimus? An dicemus nos haud poſſe magnitudinem geſtorum oratione conſequi? Atqui ob hoc ipſum neceſſe eſt dicere, quandoquidem hæc eſt præcipua laudũ illius pars, quod factis verba æquiparari non poſſint. Nam quorũ benefacta naturam etiã ſuperant mortalem, perſpicuum eſt, quod horum laudes excedunt linguam humanam. Haud tamen ob id aſpernabitur officium noſtrũ, quod pro viribus præſtamus, ſed ſuum imitabitur Dominũ. Siquidẽ & illæ uiduæ duos tãtũ obolos deijcienti in gazophilacium, non tantum duorum obolorum mercedem reddidit. ℟. Honeſtum. 219. Lc. 5.

PRoinde quãuis noſtræ facultates exiguæ ſint, minimique pretij, attamen, quæ

Digitized by Google

quæ possumus, offerimus. Ea licet non respondeãt magnitudini meritorum animæ præclari, iustique N tamen hoc ipsum celsitudinis illius maximum fuerit argumentum, quod nec pusilla repellat, sed idem faciat, quod solent diuites: siquidem illi, cum acceperint à tenuibus exigua, quibus nõ egent, sua vicissim apponũt, remunerãtes eos, qui quod poterant obtulerint. Itidem & hic, cum acceperit à nobis laudem verbis peractã, qua nequaquam eget, redonabit nobis per ipsa facta benedictionem, qua semper vti possimus.

℟. Amauit. 219.

Lectio 6.

VNde igitur laudationem illius auspicabimur? An à magistratu, quẽ spiritus illi tradidit gratia? Nam mundani magistratus nequaquam possunt Christianorum demonstrare virtutes; quin potius frequenter habent accusationem malitiæ, quam ob causam? quoniã & sollicitudines amicorum, & circumcursationes, & adulationes, aliaque permulta his foediora tales magistratus solent cõciliare. Cæterum vbi Deus suo suffragio designarit aliquem, incorruptum suffragium, alienum ab omni suspicione iudicium, indubitata fuerit delecti comprobatio, propter eius, qui delegit, auctoritatem. ℣. Iste homo. 220.

QVARTA DIE.

In Secundo Nocturno

De Serm. S. Io. Chrysost.

Lectio 4.

QVãtum autem sit pietatis argumentum, quod Deus illum tanto magistratu dignum iudicarit, audi: Christus excitatus à morte quid dicit Petro? postquam enim illũ interrogasset, Petre amas me? isque respondisset: Tu Domine scis, quod amo te: dicit illi: Si diligis me, pasce oues meas. Hoc autem dicebat, non solum, vt nobis certissime declararet, quantopere ipsum diligeret Petrus; verum etiam, vt palam fa-

Digitized by Google

faceret, quantam haberet beneuolentiam erga ſuas oues. Itaque ſi quis voluerit illi commendatus eſſe, curã habeat ouium illius, publicam quærat vtilitatem, fratrum ſuorum ſaluti proſpiciat. ℟. Honeſtum. 219.

Lectio 5.

NVllum enim officium hoc Deo carius eſt & ob id alicubi dicit: Simon, Simon, expetiuit te Satanas, vt cribaret te tanquã triticum, ſed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua, quid igitur huius ſollicitudinis, curæque præmium mihi rependis? eandem curam, quam nobis impendit, repoſcit: nam & tu, inquit, aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Neque prorſus alia res eſt, quæ perinde declaret, doceatque quis ſit fidelis, & amans Chriſti, quam ſi fratrum curam agat, proque illorum ſalute gerat ſollicitudinem. ℟. Amauit. 219. Le. 6.

HAec omnes audiant, & monachi, qui montium occupari ût cacumina, quique modis omnibus ſeipſos mundo crucifixerunt, quo pro viribus Eccleſiarũ profectos adiuuent, horumque curas leniant precibus, concordia, caritate; ſcientes, quod niſi modis omnibus opitulentur ijs, qui tot periculis obijciuntur, per gratiam Dei, totque negotiorum curas ſuſtinent, quibuſcumque poſſunt rationibus auxilientur, quamquã procul habitantes, & victus ſors ipſis perijſſet, & tota in ſcopulum impegiſſet ſapientia. ℟. Iſte homo. 220.

QVINTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Tres lect. S. Gregor. Deridetur iuſti ſimplicitas, &c. vt in Breuiar. in hoc eodem communi. Quod ſi in die feſto lectæ ſint earum loco ponantur lect. S. Io. Chryſ. Qui Sanctorum merita, &c. ſupra. 219.

SEXTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Ex lib. moral. S. Greg. Papæ.

Lectio 4.

BEne iuſti ſimplicitas, & lampas eſſe dicitur, &

& contempta: lampas, quia interius lucet;& cõtempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma caritatis, foris nulla gloria reſplẽdet decoris:lucet ergo,& deſpicitur, qui flagrans virtutibus abiectus æſtimatur, ſed vſquequo lampas iſta contemnitur, vſquequo deſpicabilis habetur? nũquid nõ fulgorem ſuum nullatenus exerit, & nunquam, quanta claritate candeat, oſtendit? oſtẽdit plane;nam protinus additur: Parata ad tempus ſtatutum: ſtatutum quippe contemptæ lampadis tempus eſt extremi iudicij prædeſtinatus dies, quo iuſtus quiſque,qui nũc deſpicitur, quãta poteſtate fulgeat, demõſtratur. ℟. Honeſtũ.219

Lectio 5.

TVnc enim cum Deo iudices veniunt,qui nũc pro Deo iniuſte iudicãtur. Tunc eorum lux tanto latius emicat,quanto eos nũc manus perſequentium durius anguſtat. Tunc reproborum oculis pateſcet, quod cæleſti poteſtate ſubnixi ſunt, qui tẽrrena omnia ſponte reliquerunt. Vnde electis veritas dicit:Vos,qui ſecuti eſtis me,in regeneratione,cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael.Neque enim pluſquam duodecim iudices illa interni conſeſſus curia nõ habebit, ſed nimirum duodenario numero quantitas vniuerſitatis exprimitur ; quia quiſquis ſtimulo diuini amoris excitatus,hic poſſeſſa reliquerit, illic proculdubio culmen iudiciariæ poteſtatis obtinebit. ℟. Amauit.219.

Lectio 6.

HInc eſt enim, quod de ſanctæ Eccleſiæ ſponſõ per Salomonem dicitur: Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ.Hinc Iſaias ait: Dominus ad iudicium veniet cum ſenioribus populi ſui. Hinc eoſdem ſeniores veritas non iam famulos, ſed amicos denuntiat,dicẽs: Non iam dicam vos ſeruos,

ſed

ſed amicos meos, quos Pſalmiſta intuens ait: Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus: quorum dum celſitudinem cordis aſpiceret, mundi gloriam, qua calce calcarent, protinus addidit; Nimis confortatus eſt principatus eorũ. Ac ne paucos eſſe crederemus, quos proficere vſque ad ſummam tantæ perfectionis agnoſcimus, illico adiunxit: Dinumerabo eos; & ſuper arenã multiplicabuntur: quot itaque nunc pro amore veritatis ſeſe libenter humiliãt, tot tunc in iudicio lãpades coruſcãt. R. Iſte homo. 220

SEPTIMA DIE.
In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis.
Sermo 1. de S. Victore.
Lectio 4.

SAncti N. vita, & gloria ſpecialis, non tam ad gloriam, quam ad virtutem prouocat omnes, qui recto ſunt corde. NON recti plane, ſed peruerſi eſt animi, ante quærere gloriam, quã exercere virtutem, & uelle coronari, qui legitime non certauerit. Vanum eſt uobis, inquit, ante lucem ſurgere, ita eſt: fruſtra ad celſitudinem nititur glorię, qui prius non claruit uirtute: fruſtra fatuę uirgines ſponſo obuiam ſurgunt, quarum lampades extingũtur: & ideo fatuæ, quia uacuis gloriantur lampadibus, uirtutis oleum non habentes. R. Honeſtum. 219.

Lectio 5.

VIrtus gradus ad gloriam: uirtus, mater gloriæ eſt. Fallax gloria, & uana eſt pulchritudo, quam illa non parturiuit. Sola eſt, cui gloria iure debetur, & ſecure impenditur. Sancto N. nec uirtus, nec gloria deeſt: ſed quemadmodum ambæ res, & quo ordine in homine proceſſerũt, id operæ pretium intueri. Habemus enim dilectiſſimi in uita N. & quod digne miremur, & quod ſalubriter imitemur. Tutius ſane æmulanda ſolidiora, quam ſublimiora, & quæ magis uirtutem redoleant, gloriam minus. Studeamus proinde moribus conformari, cui in

mi-

Digitized by Google

mirabilibus ſimilari,& ſi vo lumus, non valemus.

℣. Amauit.219 Lect.6.

AEmulemur in viro ſobrium victum,deuotũ affectum,æmulemur mãſuetudinem ſpiritus, caſtimoniam corporis, oris cuſtodiam, animi puritatem,ponere frænum iræ,& modum linguæ, dormire parcius,orare frequentius, commonere nosmetipſos pſalmis, hymnis, & cãticis ſpiritualibus,diebus iũgere noctes, & diuinis laudibus occupare: æmulemur chariſmata meliora; æmulemur,inquã, quod extitit liberalis in pauperes,patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Hoc enim melius. In his forma eſt, cui imprimamur,in miraculis gloria, à qua reprimamur; illa lætificent, iſta ædificent: moueant illa,iſta promoueant. ℣. Iſte.220.

IN DIE OCTAVA.

In ſecundo Nocturno.

De Serm. S. Bernardi Abb. *Serm.2.de S.Vict.* Lect.4

GAudete in Domino dilectiſſimi,qui inter cõtinua ſuæ pietatis beneficia indulſit hominem mundo, cuius multi ſaluarentur exẽplo. Iterum dico gaudete, quod factus de medio appropiauit Deo, vt multo plures eius interceſſione ſaluentur: in terris viſus eſt,vt eſſet exẽplo: in cælum leuatus eſt, vt ſit patrocinio. Hic informat ad vitam,illic inuitat ad gloriam:factus eſt mediator ad regnum qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui ſibi iam poſtulans nihil, totum in nos transferre deſiderat, & ſupplicantis affectum, & ſupplicationis fructum:quid enim quęrat ſibi, qui nullius eget. ℣. Honeſtum.219. Lect.5.

HÆc dies glorioſæ migrationis eius, dies lætitiæ cordis eius, exultemus,& lætemur in ea.Introiuit in potentias Domini, gaudeamus: quia nunc potentior eſt ad ſaluandum. Hodie N. poſito corpore, tanto alacrior, quanto expeditior penetrauit in ſancta, ſimilis factus in gloria ſanctorum.Hodie deſpecto mũ

do, & mũdi principe triumphato, ſupra mundum victor aſcendit, accipiens de manú Domini coronam victoriæ. Aſcendit autem cum immenſa ſuppellectili meritorum, clarus triumphis, miraculis glorioſus: ſedet vetеranus miles, debita iam ſuauitate, & ſecuritate quietus: ſecurus quidem ſibi, ſed noſtri ſollicitus. O venerãdam etiam ipſis angelis ſanctitatem, quam pari ſtudio, etſi diſpari voluntate & mali fugitant, & frequentant boni, nec facile dixerim, quid virum aſtruat ſanctiorem, horum fauor, aut pauor illorum. ℟. Amauit. 219.

Lectio 6.

O Miles emerite, qui Chriſtianę militiæ duris laboribus angelicæ felicitatis requiem cõmutaſti: reſpice ad imbelles & imbecilles cõmilitones tuos, qui inter hoſtiles gladios, & ſpiritales nequitias tuis laudibus occupamur, quam piũ, quam dulce quam ſuaue, ò N. in hoc loco afflictionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari. Nomen tuum, & memoriale tuum fauus diſtillans in labijs captiuorum, mel & lac ſub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eia ergo fortis athleta, dulcis patrone, aduocate fidelis; exurge in adiutorium nobis; vt & nos de noſtra ereptione gaudeamus, & tu de plena victoria glorieris. ℟. Iſte homo. 220.

INFRA OCTAVAM CONFESS. NON PONT.

Homil. in Euang. Lucæ 12. Sint lũbi veſtri pręcĩcti, &c. In die feſto habetur Homil. S. Gregor. Sancti Euangelij ratres, &c. vt in Breuiar. de communi Conf. ſſ. non Pontifie.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eua. ſec. Luc. c. 12.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et reliqua. De Homilia S. Greg. Papæ.

Hom.

Digitized by Google

Hom.13.in Euang.

SEd veniens Dominus, quid vigilantibus ſeruis exhibeat audiamus: Amẽ dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Præcinget ſe, id eſt, ad retributionem præparat; & faciet illos diſcumbere; id eſt, in æterna requie refoueri: diſcumbere quippe noſtrũ, in regno quieſcere eſt. Vnde rurſus Dominus dicit: Venient & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob. Tranſiens autem Dominus miniſtrat, quia lucis ſuæ illuſtratione nos ſatiat; trãſire vero dictum eſt, cum de iudicio ad regnum redit.

℣. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt & de omni corde ſuo laudauit Dominum: Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo ſine querela, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo, & permanens in innocentia ſua. Ipſe intercedat.

Lucæ 8.

SEd quid ſi ſerui in prima vigilia negligentes exiſtũt? prima quippe vigilia, primæ ætatis cuſtodia eſt, ſed neq; ſic deſperãdũ eſt, & à bono opere ceſſandum. Nam longanimitatis ſuæ patientiã inſinuans Dominus ſubdit: & ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi: prima quippe vigilia, primæuum tempus eſt, id eſt, pueritia. Secunda, adoleſcentia vel iuuentus, quæ auctoritate ſacri eloquij vnum ſunt, dicente Salomone lætare iuuenis in adoleſcentia tua. Tertia autem, ſenectus accipitur.

℟. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernę ardentes in manibus veſtris. Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando reuertatur à nuptijs.

℣. Vigilate ergo: quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et vos.

Gloria. Et vos.

Luc. 9.

QVi ergo vigilare in prima vigilia noluit, cuſtodiat vel ſecundam: vt

qui conuerti à prauitatibus ſuis in pueritia neglexit, ad vias vitæ ſaltem in tempore iuuentutis euigilet, & qui in ſecunda vigilare noluit, tertiæ vigiliæ remedia nõ amittat, vt qui in iuuentute ad vias vitæ non vigilat, ſaltem in ſenectute reſipiſcat. Non eſt iam, quid homo excuſationis inueniat; Deus deſpicitur & expectat, contemni ſe videt, & reuocat, iniuriã de contemptu ſuo ſuſcipit, & tamen quandoque reuertentibus etiam præmia promittit. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſc. *Ser. 39. de ver. Do. in Ioa.*

AVdiſtis modo Euangelium; quid monuerit nos, vel admonuerit cautos nos faciens, & volens eſſe expeditos & paratos ad expectãdum nouiſſima, vt poſt nouiſſima, quæ ſunt in hoc ſæculo metuenda, ſuccedat requies, quæ non habet finẽ: beati, qui participes facti fuerint. Erunt autem tunc ſecuri, qui modo non ſunt ſecuri; & iterum tunc timebunt, qui modo timere nolunt. Ad hanc expectationẽ, & propter hanc ſpem Chriſtiani facti ſumus. Iſte eſt. 227.

NOnne ſpes noſtra non eſt de hoc ſeculo? Nõ amemus ſæculum. Ab amore ſæculi huius vocati ſumus, vt aliud ſæculum ſperemus, & diligamus. In hoc abſtinere nos debemus ab omnibus illicitis concupiſcentijs, hoc eſt, lumbos accinctos habere debemus, & feruere, & lucere in operibus bonis hoc eſt, lucernas ardentes in manibus habere. Dixit enim ipſe Dominus diſcipulis ſuis alio loco Euangelij: Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Sint lum-

lumbi.227.

LT, vt ostenderet, vnde dicebat, subiecit, & ait: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant bona facta vestra, & glorificẽt Patrẽ vestrũ, qui in cælis est. Lũbos nostros accinctos esse voluit, & lucernas ardentes: quid est, lumbos accinctos? Declina à malo; qd est lucere? qd est lucernas ardẽtes habere? Hoc est; & fac bonum: quid est, quod adiunxit, & ait: & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, nisi quod in illo psalmo sequitur; Inquire pacem, & persequere eã? e Deum.

QVARTA DIE.

In festo N. Euang.

Lect. 7.

& S. Euang. sec. Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

De Homil. S. Augustin. Episc.

HÆc tria, hoc est, abstinentia à malo, & operatio boni, & spes præmij æterni commemorata sunt in Actibus Apostolorum, vbi scriptum est: Quia docebat eos Paulus de continentia, de iustitia, & spe vitę ęternæ. Ad continentiam pertinet: sint lumbi vestri accincti. Ad iustitiã pertinet: & lucernæ ardentes. Ad expectationem Domini pertinet, quæ est spes vitæ æternæ. Ergo declina à malo, hæc est cõtinentia, hi sunt lumbi accincti. Et fac bonum, hæc est iustitia hæ sunt lucernæ ardentes. Quære pacem, & sequere eam: hæc est expectatio futuri sæculi. & Iste. 227

Lectio 8.

HAbentes autem ista præcepta & promissa quid quærimus in terra dies bonos, vbi eos inuenire non possumus? scio enim quia eos quæritis, quando aut ægrotatis, aut in tribulationibus estis, quæ abundant in hoc sæculo; quoniã quando ætas vergit ad finẽ, & senex plenus est querelis, & nullis gaudijs, inter omnes tribulationes, quibus

cõteritur genus humanum, non quærunt homines, nisi dies bonos, & vitam volunt longam, quam hic habere nõ possunt. ℟. Sint lũbi. 227

Lectio 9.

QVid ergo est vita hominis, etiam illa, quæ longa dicitur? Audite, non à me, sed mecum simul. Ait enim nobis quidam: Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. En, quam rem vult docere: & cui rei vtilis est timor Domini? sequitur: Quis est homo, qui vult uitam, & diligit dies uidere bonos? Respondemus omnes: Nos uolumus: quid sequitur, audiamus. Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolũ. Modo dic, Ego, eia, respondeat mihi aliquis: Ego; & cũ hoc feceris, securus expecta uitam, & dies bonos: quære pacem, & sequere eam, & tunc bona fronte dices Domino: Feci, quod iussisti; redde, quod promisisti. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. sec. Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysolo.

Ex serm. 24. post init.

NOuus ordo vigiliarũ, nouus habitus imperatur: Sint lumbi uestri præcincti. Nil de vestitu, nil de calceamentis, nil de ipsius occursus apparatu serui ui giles admonentur: sed tota in præcingendis lumbis mãdatur cura, tota in constringendis lumbis statuitur uis præceptis, addito lucernarũ solatio tantum, sine quo nec noctis aperitur obscuritas, nec uenientis diei clarescit aspectus. ℟. Iste est. 227.

Lect 6 8.

CIngulum quidem est proprie indicium seruitutis; quod & discursus expeditos reddat, & faciat obsequentes: sed dixisse sufficerat, estote præcincti: cur lumbos potissimum nominat? cur tanta iubentis reuerentia

rentia lumborum facit magnopere mẽtionem? quæris, quare? quia in lumbis eſt tota corporis cauſa: ex lumbis tota carnis negotia ſuſcitantur, in lumbis tota eſt humani lapſus, humanæ fragilitatis occaſio. Inde venit, quod virtutis ignaros reddit, efficit ſegniores.

℣. Sint lumbi. 227. Lect. 9

HInc eſt ergo, quod principaliter dominus lumbos noſtros aſtringi iubet baltheo caſtitatis; & totum carnis noſtræ pendulum, fluidum, reſolutum cõſtringi mandat continua zona virtutis: vt carne ſuccincta, ad Domini occurſũ liber, velox, expeditus noſtræ mentis reddatur inceſſus. Hæc tamen audiens homo ſcire debes, quia te nõ retardat ab occurſu Dei caro: quia ipſius occurſus, officij ipſius eſt inſeparabilis comes, ſi tu eius componas ſarcinas, ſi releues onera eius, ſi pendula & ſinuoſa inuolucra eius tu puidus viator aſtringas. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et reliqua.

De Homil. S. Petri Chryſol.

COnſtringenda eſt ergo caro continentiæ cingulo; ne effuſa uitijs, ac toto peccatorum grauata põdere, ſupernis, & cæleſtibus inſiſtere non poſſit inceſſibus. Bene dominus adiecit: & lucernæ ardentes in manibus ueſtris, quia ſemper ad innocentiæ teſtimonium lucernæ nocturno portantur in tempore: & ſicut uitijs amicæ ſemper ſunt tenebræ ita lucernæ ſemper inimicæ criminibus, ſociæ ſemper boni operis ſunt lucernæ.

℣. Iſte eſt. 227. Lect. 8.

SEd in manibus ſanctorum ipſa bona opera ſunt lucernæ, dicente Domino; Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideãt ueſtra bona opera, & uere

portant lucernas ſuas, uere fomentis operũ, uere miſericordiæ unguento inflammant lampades ſuas: qui cũ loco propoſito ſtudio latitant, opere, uirtute, meritis coruſcant, ac ſplendent toto orbe terrarum, & quia expectationis ſuæ Dominus ſatis triſtes, ſatis anxios nouerat mores; ne quis ſuperaretur tędio, ne quis laſſeſceret tarditate, ne quis longæ expectationis fatigatione ſuccumberet, perſeuerãtibus beatitudinem cæleſtẽ, cæleſte promittit obſequiũ. ℟. Sint lumbi 227. Lec. 9

ET ne ipſius beatitudinis qualitas haberetur incerta, mox adiecit: Amen dico uobis, quia præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit eis. Præcinget ſe Deus, & faciet ſeruos diſcumbere, & miniſtrabit eis. En mutatio inaudita rerum, en terribilis correptio dominationis, en pauenda cõuerſio ſeruitutis: quia parumper ſeruus aſtitit in domini ſui expectatione ſuccinctus, & ſuſtinendi fidem breui fatigatione portauit; cui ut talionem redderet, diſſimulat ſe in ipſa diuinitate diuinitas. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sint lumbi ueſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus ueſtris. Et reliqua.

De Homi. S. Petri Chryſ.

DIſcũbẽti homini Deus aſtat, & aſtat in cæleſtibus: epulanti ſeruo ſeruit Dominus, & ſeruit accinctus: pueris ſuis miniſtris ſuis miniſterium facit Chriſtus; & facit in patris iam gloria conſtitutus. Homo calũniaris; eſt adhuc, quod detulerit patri, qui tibi in terra lauando pedes extremum repræſentauit obſequium, & repromittit in cæleſtibus nouiſſimam ſeruitutem. Ille tibi in cæleſtibus parat conuiuium, ſe miniſtro; & tu illi in terra non deſinis continuas ingerere,

&

& generare blaſphemias.

℟. Iſte eſt. 227. Lect. 8.

Aciet & ille tranſitus ſuos, quia tranſiens miniſtrabit illis : de dominatione ad fidelium ſuorum pia tranſiet & migrabit obſequia, ad te de miſericordi patre ſeueriſſimum tranſibit in iudicem. Confitentibus, expectantibus miniſtrabit epulas, miniſtrabit & tibi, ſed dignam de tua negatione ſententiam. Si in ſecũda & tertia vigilia venerit : vigilias mundus plures, tres tantum vigilias nouit expectatio Trinitatis : quare tamen à ſecunda cœpit, & tacuit primam? Quia primam iam vigilia in ortu Dominicæ natiuitatis exceſſerat.

℟. Sint lumbi, 227. Lect. 9.

PRobant hoc Paſtores, qui dum ſupra gregem ſuum vigilant, gregis ipſum paſtorem in præſepio inuenire, videre, tenere merentur & auctorem : ſed quæ ſit ſecunda, & tertia vigilia requiramus. Sicut vtique prima vigilia eſt ſui ortus in carne, ita ſecunda eſt vigilia, qua noſtra redit, & reſuſcitatur in carne. Denique vt ad reſurgentem veniat ; annuus excitatur, & euigilat mundus. Tertia vigilia eſt illa, qua expectatio tota nouiſſimo veniẽtis finitur aduentu : vt ſicut ille reſurrexit nobis, ita nos illi iam perpetuam reſurgamus ad vitam. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. ſec. Luc. Le. 7.

IN illo tempore : Dixit Ieſus diſcipulis ſuis : Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et reliqua.

Homilia S. Fulgentij Epiſc.

Ex ſerm. de Confeſſ.

SI iuſtum Domini ſermonem ſecundum litteram velimus accipere, nihil in eo commodi ſpiritalis poſſumus inuenire : quid enim proficit ad animæ ſalutem, ſi aliquis corporaliter aut lumbos præcingat, aut lucernam accendat? In lumbis itaque cõcupiſcẽtia carnalis oſtenditur, in lucernis vero fides & caritas

Chri-

Digitized by Google

INFRA OCTAVAM CONFESS. NON PONTIF.

Homil. in Euang. Lucæ 12.

Nolite timere pusillus grex, &c.

In die festo habetur Homil. Venerab. Bedæ. **Pusillum gregem, &c.** in Breviar. in hoc eodem communi.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore; Dixit Iesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex: quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia S. Fulgentij Episc.

Ex ser. de Confess.

SI nõ omnes possunt implere, quod Dominus ait: Vendite, quæ possidetis: illud tamẽ, quod adiecit, dicens: Date eleemosynã, omnibus est possibile, si adsit bona voluntas; omnibus facile, si non adsit dira cupiditas; omnibus salubre, si ferueat caritas, cunctis debet esse commune, vt omnibus donetur æterna felicitas. Qui ergo tantam virtutem accepit à Domino, vt omnia, quæ in mundo sunt, cælestis regni amore cõtemnat: quæ habet vendat, & egenis expendat; qui vero tantæ virtutis nondum est, de his, quæ habet, in quantum habet, eleemosynam faciat.

℟. Iste est. 227. Lec. 8.

PErfectus possideat primum virtutis locum, imperfectus saltem perueniat ad secundum, efficiatur ille glorioſe dignus, sit iste laudabiliter largus: sit ille sanctæ paupertatis ardentissimus amator, sit iste sanctorum pauperum pijssimus consolator. Habeat iste apud Deum patronos pauperes, quos ille se gaudet virtutis habere consortes. Sit ille talis, qui cum Domino iudicaturus sedet; sit iste talis, qui ad dexteram iudicandus assistat: sit ille talis, qui æterna tabernacula perpetuo iure possideat; sit iste talis, quem ille recipiat.

℟. Sint lumbi. 227.

Lectio 9.

The-

THesaurum noſtrum, fratres, in cælis ponamus: vt etiam cor noſtrum in cælis habere poſſimus. Neceſſe eſt enim, vt quo præceſſerit dilectionis theſaurus, illuc etiam cogitationis ſequatur affectus. Ideo veritas ait: Vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit. Vt ergo in cælis theſaurizemus, cæleſtia diligamus. Vis noſſe, vbi theſaurizas? attende, quid amas. Vis noſſe quid amas? attende, quid cogitas. Ita fiet, vt theſaurum tuum ex tuo amore cognoſcas, & amorem tuum indicio tuæ cogitationis intelligas. e Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam. Lect. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nolite timere puſillus grex: quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chryſolo. *Ex ſerm. 22*

PRæmia ſtatuuntur iis ſemper: quibus certamina dura proponuntur; ac pro magnitudine certaminis præmij proponitur magnitudo. Hinc eſt, quod diſcipulis ſuis Chriſtus regnũ ponit in præmio, vt in certamine non cedãt periculis, non timori; pericula deſpicit, qui tendit ad regnum: victoriæ cupidus neſcit timere. Nolite timere, inquit, puſillus grex: quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Grex puſillus mũdo, magnus Deo: puſillus, quia glorioſos vocat eos, quos inſtituit ad ouium innocentiam, & manſuetudinem Chriſtianam. R. Iſte eſt. 227. Lect 8.

DIecit, quid faciẽdum ſit regnaturis: Vendite, quæ poſſidetis. Non poteſt dominari omnibus, niſi is, qui proprijs non tenetur: dejectæ mentis eſt, qui familiaris rei meminit, cum vocatur ad regnum; iacens animus plebeius nummulũ theſauris regalibus anteponit: pauper ſenſus paruis in-

cu-

Digitized by Google

cubans, perdit magna: & inhians temporalibus, deserit sempiterna. Homo, tali monitu Christus te ditare voluit: non nudare: manere tibi tua voluit, non perire; perpetuari, non vacuari sac culos imperauit: iussit te transferre, non perdere.

℟. Sint lumbi. 227.

PLus consilio patris agit, quam iure dominãtis: inter insidias latronum, & tinearum morsus: quare tua recondas, obiurgat: per uigiles noctes, dies anxios, sollicita tempora, ne tibi ipse facias, commoneris. Auri custos, seruator argenti securitatem non habet, nescit quietem: & cui deest securitas, quies perit; pœna diues est ille, non censu. Thesaurũ non deficientem in cęlo: hoc est dicere: vbi ego sum, ibi ponite: date mihi, ego seruo. Homo, da patri, crede Deo: quia & hæredi pater, & Deus homini creditum non negabit: tenere tua non potest, quia sua dedit. Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. 4. S. Euang. sec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex: quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrys.

Ex serm. 23.

AVdistis hodie, quemadmodum Dominus pastorali iubilo clangorem tubæ cælestis adiunxit, vt diu inclinatas ouium mentes ad diuina tolleret, cæleste protinus promoueret ad regnum. Acquisiuit humilitas, superbia quod amisit: & grex pusillus, ac mitis, totas & varias edomuit propria manſuetudine feritates: pusillus grex vicit ac fregit tot genera bestiarũ, quot diuersitates subdidit iugo Christi nationum. ℟. Iste est. 227.

Lectio 8.

GRex pusillus ac mitis diu contentus occidi, diu deuorari passus est, donec gentilis sæuitia sanguine satiata, vel carnibus,

Euan-

Euangelici pabuli ſuauitatem, & diuini fontis fluenta deguſtans, totum contagiũ ſæculi euitaret, & paſtum: atque in hominem rediret ex beſtia qui ex homine fuerat dilapſus in beſtiam. Hoc sẽſiſſe ante prophetas, hoc apoſtolos impleſſe, hoc pertuliſſe martyres conſtat: atteſtante illo, qui dicit: Propter te mortificamur tota die; æſtimati ſumus, vt oues occiſionis. Vt veroiſte grex noui ordinis aggrederetur prælium, vbi viuit ille, qui fuit occiſus; imitatus eſt ſuum regem, illum ſecutus eſt agnum, qui ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt.

℟. Sint lumbi. 227. Lect. 9.

TIbi ergo Rex, tibi ſacerdos, tibi paſtor, tibi ſacrificium, tibi ouis, tibi agnus, tibi totum factus eſt, qui fecerat totum. Et qui ſibi nunquam, tibi toties immutatur, propter te varias monſtratur in formas, qui manet vnica ſuæ maieſtatis in forma. Et quid plura? dat ſe tibi Deus homo, vt ferre potes, quia, vt eſt, tu non potes ſuſtinere. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nolite timere puſillus grex: quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homil. S. Petri Chryſol.

SEd audiamus iam, quid puſillo gregi talis promiſerit paſtor. Nolite timere, inquit, puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. O bonitas effuſa. O inaudita pietas. O ineffabilis affectio: in ſocietate cenſus paſtor oues aſſumit, atque ad conſortium dominationis ſeruos Dominus adſcicit: ad principatum regni rex gregem populi totius admittit: Sic ſic dat, cui deficere cenſus, cui regnum minui, vacuari poteſtas non poteſt largiendo. ℟. Iſte eſt. 227.

Lectio 8.

ECce qui dat, dare loquitur Patrem; nunquid lar-

largitatem ſuam denegat, ſit dicendo? Abſit, non poteſtatem minuit, ſed pandit affectum, ſic dicendo: non diſtantiam facit, ſed Patris, ſuamque voluntatem monſtrat, firmat vnitatẽ. Quod autem dixit, complacuit; & non dixit, placuit; munus edocet Trinitatis: quia quod erga nos Filio placuit, hoc complacuit Trinitati.

℟. Sint lumbi. 227.

Lectio 9.

POſt tantam ergo Dominus largitatem, poſt ſuam gratiam tibi copioſius collatam, abiecta, & vilia peculia ſeruitutis iubet abijcere regnaturum. Vendite, quæ poſſidetis, & date elęemoſynam. Plebeium cultum regia nõ admittit poteſtas, auguſtus honor non niſi diademate confertur, & purpura. Abijcere ergo debet habitum ſeruitutis, qui ſe regem credit diuinitus conſecratum. Eſt conſuetudinis, eſt animi felicis, vt adſcitus ad regnum, quod fuit proprium, quod priuatum, mox parentibus mox propinquis, ciuibus indigẽtibus, liberaliter prorogare, ne ſit mendicus animo, qui cẽſu functus, & honore. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nolite timere puſillus grex: quia complacuit Patri veſtro dare uobis regnum. Et reliqua.

De Homil. S. Petri Chryſol.

TAli ergo prouidentia Dominus, conſilio tali, uilia & caduca iubet vt vendamus, ut largiamur, vt donemus, qui in cæleſti regno omnia, quæ in cælo, & quæ in terra ſunt, volumus poſſidere; ſed ſi uis ſeruare tuorum pretia prædiorum, & ſæculorum forte conditate delectant, fac tibi ſaccu-

los, quales ille præcepit, qui iam cupiditatis tuæ cuſtos eſt, & prouiſor. Denique vt vidit, quod duriter dixit: Vendite, quę poſſidetis: mox adiecit: Facite vobis ſaccu-

los,

los, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis. ℟. Iſte eſt. 227.

Lectio 8.

ITerum contriſtatus es: quia quod habes, in cælis cogeris collocare. Rogo, crede Deo tuo, qui ſeruo credis: & magis Deo, quam homini commenda, ſed ſi times, ne quid inde præſumat, ne quid diſpergat pietas largitoris, ſigna fidei anulo facculos tuos, ut tali cuſtode dormias tu ſecurus: quia ubi ille eſt, ibi locus nullus eſt furi. Non poterit tibi tuam pecuniam denegare, qui tibi omnia ſua cõtulit, qui te regni ſui & honore ditauit, & gloria.

℟. Sint lumbi. 227.

Ex ſer. 25. circa fin. Lec. 9.

NOuo modo, imo cæleſti modo, qui hunc audit uendendo comparat, recondit erogando; dum amittit, acquirit quam cupit pecuniam perdurare, perpetuare facculos diuitiarum, condita permanere qui dicit, Facite uobis facculos, qui non ueteraſcunt: ecce docet auaritiam; qui ęquerat ſuadere contemptum. Et qui theſaurizantes temporaliter arguebat, ad totũ cupiditatis fomitem iubet facculos ſine fine perquiri. Chriſte, quo te pertrahit amor tuorum? vt auarum lucrifacias, facis eum, quod deſiderat, non quod oportet, audire; facculos imperas, ut auarus, dum conſueta percurrit ad lucra, aut uirtutem capiat, aut à uirtute capiatur. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Euang. ſec. Lucam.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nolite timere puſillus grex: quia complacuit Patri ueſtro dare uobis regnum. Et reliqua.

De Homil. S. Petri Chryſol.

VEre pater es, ò Chriſte, qui cum tuis quibuſcunque paruulis ſic agis. Namque & nos interdum noſtris paruulis petentibus noxia, ingerimus ſalutaria ſub ſpecie noxiorum, fallentes

Digitized by Google

Ad primum ergo dicendum quod ratio illa procedit de passione quae est in appetitu sensitivo, secundum quod importat quandam immutationem organi corporalis. Sic enim non potest esse in Deo vel in Angelis, sed solum in hominibus et in animalibus.

Ad secundum dicendum quod, sicut supra dictum est, cum de passionibus quaeritur, non quaeritur de motibus voluntatis, qui actiones dicuntur. Unde, cum gaudium et dolor, amor et odium, et huiusmodi, quae in Deo et in Angelis ponimus, motus voluntatis sint, non sunt passiones.

Ad tertium dicendum quod, sicut supra dictum est, cum de passionibus quaeritur, non quaeritur de motibus voluntatis, qui actiones dicuntur. Unde, cum gaudium et dolor, amor et odium, et huiusmodi, quae in Deo et in Angelis ponimus, motus voluntatis sint, non sunt passiones.

Ad quartum dicendum quod, sicut supra dictum est, cum de passionibus quaeritur, non quaeritur de motibus voluntatis, qui actiones dicuntur. Unde, cum gaudium et dolor, amor et odium, et huiusmodi, quae in Deo et in Angelis ponimus, motus voluntatis sint, non sunt passiones.

...ti, & gli altri ...
...ti, & gli altri ...
...ti, & gli altri ...

Introduction

In the Name of God, the Merciful, the Compassionate.

Praise be to God, Lord of the Worlds, the Merciful, the Compassionate, Master of the Day of Judgement. You alone we worship and You alone we ask for help. Guide us on the straight path, the path of those You have favoured, not of those who have incurred Your anger, nor of those who have gone astray.

The Name of God

The Name of God, Allah, is the most frequently used word in the Qur'an. It is the Name of the One God, the Creator of the universe, Who is unique and has no partners. The Qur'an tells us that God has many beautiful Names, which describe His attributes. Some of these Names are mentioned in the Qur'an, and others are known from the Prophet Muhammad's sayings. The Qur'an also tells us that God has a Most Great Name, but it does not tell us what it is.

The Qur'an

The Qur'an is the Word of God, revealed to the Prophet Muhammad through the Angel Gabriel over a period of about twenty-three years. It is the last of the revealed books and is considered by Muslims to be the final and complete guidance for mankind. The Qur'an is written in Arabic and is divided into 114 chapters, called surahs, which vary in length. The first surah, Al-Fatihah, is the opening prayer.

Al-Fatihah, the Opening

Al-Fatihah is the first surah of the Qur'an and is recited in every prayer. It is a prayer for guidance and a declaration of faith. It begins with praise of God and ends with a request to be guided to the straight path.

Ein Ding das Gott nicht gemacht hat / vnd
ſonſten auch nicht iſt / ſo iſt es nicht / vnd
kan auch nicht ſeyn. Wie nun Gott
ſelber nicht gemacht iſt / ſondern
von Ewigkeit geweſen / alſo
hat er auch alle Din-
ge gemacht.

Wie Gott alle Dinge gemacht hat.

Gott hat alle Dinge gemacht / nicht
aus ſeinem Weſen / ſondern aus
nichts / das iſt / er hat ſie alle
mit ſeinem Wort / Befehl vnd
Willen / aus nichts / das iſt / aus
keinem Weſen / Materia oder
Subſtantz / die vor jhm geweſen
were / gemacht / alſo / das er
nicht allein die Materia oder
Subſtantz / ſondern auch die
Form / Geſtalt vnd Weſen
der Dinge / mit ſeinem
Wort / Befehl vnd
Willen / gemacht
hat.

Ad Romanos. Cap. VIII.

Ad Romanos. Cap. VIII.

Ad Ioannes Baptista testimonium perhibet de Christo.

Ioannes Baptista missus a Deo, testimonium perhibet de Christo.

Ioannes Baptista negat se esse Christum.

Ioannes Baptista negat se esse Eliam.

Ioannes Baptista negat se esse prophetam.

Ioannes Baptista se esse vocem clamantis in deserto.

Ioannes Baptista baptizat in aqua.

Ioannes Baptista testimonium perhibet de Christo.

Ioannes Baptista testimonium perhibet de Christo.

Ioannes Baptista testimonium perhibet de Christo

Ad Ecclesiam Dei pertinentia, quæ ab aliis occupata sunt, ut ad eam redeant.

Quæ ad Ecclesiam Dei pertinent

Ad Ecclesiam Dei
Ad Ecclesiam Dei
Ad Ecclesiam Dei

Ad Ecclesiam Dei

Ad Ecclesiam Dei

Quæ ſi ſunt, ſunt ſine dubio ſpiritus, ſed ſpiritus
immundi, ſpiritus malitiæ, ſpiritus ſeductionis, ſpiritus
erroris, ſpiritus vertiginis, ſpiritus fornicationis, ſpiritus
blaſphemiæ, ſpiritus ſuperbiæ, ſpiritus vanitatis, ſpiritus
impietatis, ſpiritus furoris, ſpiritus ſacrilegii, ſpiritus
ſuperſtitionis, ſpiritus idolatriæ, ſpiritus inuidiæ, ſpiritus
homicidii, ſpiritus crudelitatis, ſpiritus impudicitiæ, ſpiritus
omnium vitiorum, & contrarietatum.

CAPVT VIII.

Quæ ſint ſpiritus immundi, & quæ ſpiritus malitiæ.

Quæ ſi ſunt, ſunt ſine dubio ſpiritus, ſed ſpiritus immundi. Quæ ſunt ſpiritus immundi? Ipſi ſunt, qui ſe ſimulant deos, & ſe colendos hominibus exhibent, & ſe ſacrificiis, & victimis honorari poſtulant, & ſe ſanctos, & religioſos, & diuinos, & ſacros, & ſacerdotes, & pontifices, & flamines, & archiflamines, & archiereas, & archipontifices, & archimagos, & archiſacerdotes, & archiſacros, & archiſanctos, & archireligioſos, & archidiuinos, & archiſacrificos, & archiſacrificatores, & archiſacrificantes, & archiſacrificatos, & archiſacrificandos, & archiſacrificatoria, & archiſacrificia, & archiſacrificiorum, & archiſacrificiis, & archiſacrificiorum, & archiſacrificiis, & archiſacrificiorum, & archiſacrificiis

ſtra. Et ſuper omnia ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Et galeam ſalutis aſſumite. Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia & obſecratione pro omnibus ſanctis, & pro me, ut detur mihi ſermo in aperitione oris mei cum fiducia notum facere myſterium Euangelii, pro quo legatione fungor in catena, ut in ipſo fiducialiter audeam prout oportet me loqui. Vos autem ut ſciatis quæ circa me ſunt, quid agam, omnia vobis notificabit Tychicus charissimus frater & fidelis miniſter in Domino, quem miſi ad vos hoc ipſum, ut cognoſcat quæ circa nos ſunt, & conſolet corda veſtra, cum Onesimo fideli & charissimo fratre, qui eſt ex vobis. Omnia quæ hic geruntur nota vobis facient. Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata, ſi venerit ad vos excipite illum, & Iesus qui dicitur Iuſtus, qui ſunt ex circumciſione. Hi ſolum adiutores regni Dei, qui fuerunt mihi conſolationi. Salutat vos Epaphras qui ex vobis eſt ſeruus Chriſti Iesu, ſemper certans pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti & impleti in omni voluntate Dei. Teſtimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro his qui ſunt Laodiciæ, & qui ſunt Hierapoli. Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas. Salutate fratres qui ſunt Laodiciæ, & Nymphan & quæ in domo eius eccleſia eſt. Et cum lecta fuerit apud vos epiſtola, facite ut & in Laodicenſium eccleſia legatur, & eam quæ Laodicenſium eſt, ut & vos legatis. Et dicite Archippo, Vide miniſterium quod accepiſti in Domino, ut illud impleas. Salutatio mea manu Pauli. Memores eſtote vinculorum meorum. Gratia vobiſcum. Amen.

Ad Ephesios.

Ad Ephesios.

Ad Philippenſes.

Ad Philippenſes.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno

Lect. S. Euan. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ab Iesum: Ecce nos reliquimus omnia,& secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua. Homil. Vener. Bedæ Presb. *Homil. in nat. S. Benedicti.*

PErfectus ille est, qui abiens vendit omnia, quæ habet, & dat pauperiqus,ac veniẽs sequitur Christum: habebit enim thesaurum non deficientem in cælis. Vnde bene interrogante Petro, dixit talibus Iesus: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim,iudicantes duodecim tribus Israel. In hac quippe vita pro eius nomine laborãtes, in alia præmium sperare docuit:idest,in regeneratione, cum videlicet in vitam immortalem fuerimus resurgendo regenerati: qui in vitam caducam mortaliter, eramus geniti. ℟. Iste est. 227.

Lect. 8.

ET iusta prorsus retributio, vt qui hic pro Christo humanæ gloriam celsitudinis neglexerunt, illic à Christo iudices glorificati singulariter cum eo assideant, qui à sequendis eius vestigijs nulla ratione poterant auelli. Nemo autẽ putet, duodecim tantum Apostolos, quia pro Iuda præuaricante Matthias electus est, tunc esse iudicaturos, sicut nec duodecim solæ sunt tribus Israel iudicandæ: alioquin tribus Leui, quæ tertiadecima est, iniudicata recedet. ℟. Sint lumbi. 227.

Lect. 9.

ET Paulus, qui tertiusdecimus est Apostolus, iudicandi sorte priuabitur, cũ ipse dicat: Nescitis quoniam angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia? Sciendum namque est, omnes qui ad exemplum Apostolorũ sua reliquerunt omnia,& secuti sũt Christum, iudices cum eo venturo, sicut

Quæ sit Ecclesiæ Romanæ potestas.

IN principio Ecclesiæ Romanæ, quæ nunc est caput orbis, non fuit nisi ecclesia, id est congregatio fidelium, sicut et aliæ ecclesiæ per totum mundum. Sed quia ipsa est in loco principali, ideo ejus potestas est major quam aliarum. Et ideo ad ipsam pertinet ordinare de fide, et de his quæ sunt fidei, et de his quæ sunt ecclesiæ, et de his quæ sunt totius mundi, quia ipsa est caput totius mundi. Et ideo ad ipsam pertinet ordinare de fide, et de his quæ sunt fidei, et de his quæ sunt ecclesiæ, et de his quæ sunt totius mundi, quia ipsa est caput totius mundi.

CAPUT II.

Quæ sit potestas Romani Pontificis.

IN principio Ecclesiæ Romanæ, quæ nunc est caput orbis, non fuit nisi ecclesia, id est congregatio fidelium, sicut et aliæ ecclesiæ per totum mundum. Sed quia ipsa est in loco principali, ideo ejus potestas est major quam aliarum. Et ideo ad ipsam pertinet ordinare de fide, et de his quæ sunt fidei, et de his quæ sunt ecclesiæ, et de his quæ sunt totius mundi, quia ipsa est caput totius mundi. Et ideo ad ipsam pertinet ordinare de fide, et de his quæ sunt fidei, et de his quæ sunt ecclesiæ, et de his quæ sunt totius mundi, quia ipsa est caput totius mundi.

pauliſper cõmemoratis, ad lætiſſima potius Domini & Saluatoris noſtri promiſſa conuertamus auditum. Videamus quæ tantæ gratia pietatis: non æternæ tãtummodo vitæ præmia ſuis ſequacibus, ſed & præſentis munera pollicetur eximia. Et omnis, inquit, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Qui enim terrenis affectibus ſiue poſſeſſionibus pro Chriſti diſcipulatu renuntiauerit, quo plus in eius amorem profecerit, eo plures inueniet qui ſe interno ſuſcipere affectu, & ſuis gaudeant ſuſtentare ſubſtantijs. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Hom. S. Ioan. Chryſoſtomi. *Ho. 7. in c. 3. ad Ro. circa fi.*

SI centuplum hic non recipimus, nos ipſi in cauſa ſumus, qui mutuum non damus illi, qui tantum reddere poteſt. Dic enim quæſo, quid magni dedit Petrus, nonne rete ſciſſum tantum, & calamum, & hamum? verum viciſſim illi Deus vniuerſi orbis domos aperuit, terramque ſimul & mare patefecit, deditque vt omnes illum in ſua vocarent? imo quæ ſua erant, venderent, & ad illius pedes afferrent, ne in manus quidem tradentes pecuniam; neque enim id audiebant, tantum illi honorem vna cum munificentia tribuebant.

Lect. Iſte eſt. ℣. 27. Lect. 8.

DIces; at ille Petrus erat; quid tum, ò bone? Non iſta Petro tantum promiſſa ſunt: neque enim dixit; Tu vero, ò Petre, centuplum accipies ſolus: ſed quiſquis reliquerit domos, aut fratres, centuplum accipiet: perſonarum ſiquidem diffe-

[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]

tributa, non pecuniæ, ſed gratię. ℟. Iſte eſt. 227.

Lectio 8.

QVicunque reliquerit patrem, aut matrem, domum, aut fratres, aut ſorores, cẽtuplum accipiet in hoc ſæculo, & vitam æternã poſſidebit. Multos quidem in hoc ſæculo, qui ſua pauperibus donauerunt, vberiore theſauro locupletatos fuiſſe cognouimus: eſt pulcherrimus locus, vt etiam ad miſericordiam prouocentur; ſed non debent à Domino ſæcularem huiuſmodi exigere mercedem, nec ſperare, quæ mundi ſunt: ſed magis, quia ijs, qui omnia reliquerint, Deus portio eſt. Ipſe eſt vtique merces perfecta virtutum, qui non centupli enumeratione, ſed perfectæ plenitudinis æſtimatione cenſetur. Ego inquit, Deus tuus ſum: non dixit, ero; ſed iam ſum, iam inhabito, iam poſſideo. ℟. Sint lumbi. 227.

Lectio 9.

HAbes homo inter multa propoſita etiam huiuſmodi portionem: propoſuit tibi Dominus in portione poſſeſſiones, in portione aurum, in portione argentum, in portione honores, in portione nobilitatẽ: propoſuit etiam in portione ſe ipſum. Habes igitur plurimas portiones, elige quam putas: non te numerus perturbet, ſed excitet gratia: non te labor auertat, ſed fructus inuitet. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarij Epiſcopi.

Can. 20.

APoſtoli dictis Domini hæc reddunt: reliquiſſe ſe omnia, & cum ipſo eſſe: quibus Dominus, cum ſederit in maieſtatis ſuæ ſede, ſeſſuros ſuper ſedes duodecim, ac totidem tribus Iſrael iudicaturos ſpopon-

dit: omnibuſque qui vniuerſa reliquerint propter nomẽ eius, fructũ centupli præmij reſeruatũ. Multos autem ex nouiſſimis primos futuros, & ex primis futuros nouiſſimos: multa ſunt, quæ non ſinunt nos ſimplici intellectu dicta Euangelica ſuſcipere. ℟. Iſte eſt. 227.

Lectio 8.

INterpoſitis nonnullis rebus, quę ex natura humani ſenſus ſibi contraria ſunt, rationem quærere cæleſtis intelligentiæ admonemur. Apoſtoli dicunt, & ſequi ſe Chriſtum, & ſe omnia reliquiſſe. Quomodo igitur fiunt triſtes, & quomodo metuunt dicentes, ſaluum eſſe neminem poſſe? namque & ab alijs fieri poterat, ſi quid feciſſent ipſi. Deinde cum feciſſent, quare metus, vel vnde ſuſceptus eſt? Additur etiam in reſponſione Domini, hæc apud homines impoſſibilia, poſſibilia apud Deum: nunquid apud hominem impoſsibilia erant quæ & Apoſtoli feciſſe ſe gloriantur, & feciſſe eos Dominus agnoſcit? ℟. Sint lumbi. 227.

Lectio 9.

OMnis itaque hic ſermo eſt ſpiritualis: quid autem Dei virtuti tam poſsibile eſt, quam vt per fidem ſaluet? vt per eam regeneret? vt per crucẽ vincat? vt per Euangelia adoptet? vt reſurrectionem ex morte viuificet? quibus auditis Apoſtoli cito credunt ſeſeq; omnia reliquiſſe profitẽtur. Sed hanc eorum obedientiã cito Dominus remunerat, omnem difficultatem ſuperioris quæſtionis abſoluens, cum dicit: Vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione iudicabitis duodecim tribus Iſrael. Hæc enim illa regeneratio eſt, quam Apoſtoli ſunt ſecuti, quam lex indulgere non potuit, quæ eos ſuper duodecim thronos in iudicandis duodecim tribubus Iſrael, in duodecim patriarcharum gloria copulauit. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Le-

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua. Homilia S. Bernardi Abbat.

ARbitror verba lectionis huius ea esse, de quibus ad immortalem spōsum à finibus terræ clamat Ecclesia: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Hæc nempe sunt verba, quæ contemptū mundi in vniuerso mundo, & voluntariam persuasere hominibus paupertatem. Hæc sunt, quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis. Hæc inquam, sunt verba, quæ Aegyptum spoliant, & optima quæque eius vasa diripiunt. Hic sermo viuus & efficax conuertens animas felici æmulatione sanctitatis, & veritatis promissione fideli.

℣. Iste est. 227. Lect. 8.

NAm & mundus trānsit, & concupiscētia eius, & relinquere hæc magis expedit, quam relinqui. Ecce, inquit, reliquimus omnia, & secuti sumus te: nimirum, quia exultauit vt gigas ad currēdam viam, nec currentem sequi poteras oneratus: sed nec inutilis commutatio, pro eo, qui super omnia est, omnia reliquisse; nam & simul cum eo donantur omnia, & vbi apprehenderis eum, erit vnus ipse omnia in omnibus, qui pro ipso omnia reliquerunt: omnia sane dixerim, non tantū possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maxime.

℣. Sint lumbi. 227. Lect. 9.

PEtrus cogitatum suum iactans in Domino, & omnem solicitudinem suam in eum proijciens, certus, quod illi foret cura de eo, reliquit omnia, secutus est Dominum, ne interrogans quidem de præmio, donec ex periculo diuitum, quod Saluator prosequebatur, sumeret occasionem percundandi: quid ergo erit nobis? Ait illi Iesus: Amen dico vobis. Verbum confirmationis prǫmittitur; magnum noueris esse, quod sequitur.

Digitized by Google

In regeneratione ſedebitis & vos: conſequemini, ait, quem ſequimini; vt cum ipſe ſederit, & vos pariter ſedeatis. O ſeſſio: quis mihi tribuat, vt dignis exprimam verbis, quod de ſeſſione hac cordis affectione concipio? imo quis tribuat mihi ſeſſionis huius imperturbata frui requie, quam deſidero, quam cupio, quam requiro? Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua. De Hom. S. Bernardi Abb.

ECce enim dixi, nihil in me ſedet, ſed cuncta in motu ſunt, omnia nutant, fluctuant vniuerſa. Poſtremo ubi concupiſcit adhuc caro aduerſus ſpiritum, ſpiritus aduerſus carnem, quidnam hominis ſedere videtur? Iam quidem ſedet filius hominis in ſede maieſtatis: ſiquidem aſcendens in cælũ ſedet à dextris Dei: ſed cum ſederit, dictum eſt, hoc eſt, cum apparuerit ſedens, ſicut Apoſtolus ait: cũ enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria: quid glorioſius? Iudicent nunc, & præiudicent ſuperbiæ filij, cum rege ſuo ſedeant, qui ſibi latera aquilonis elegit: tranſibimus, & ecce nõ erũt. Iſte eſt.

Lectio 8.

IN ſedibus enim quies imperturbata eſt, in iudicio dignitatis eminentia commendatur. Quis vero ſæcularis honor excogitari poteſt, qui non prorſus in tantæ ſublimitatis comparatione vileſcat? Non vnius ſiquidem ciuitatis, aut populi, ſeu regionis vnius, ſed vniuerſitatis iudices habent præſidere cum Chriſto. Nec ſolum homines, ſed & ipſos Angelos iudicabunt, qui parentem ad modicum vaporem præſentis gloriæ dedignantes, & exſufflantes, improperium Chriſti vniuerſis

uersis præferunt titulis dignitatũ. ℣. Sint lumbi. 227.

Lectio 9.

ILlud ego vehementius arbitror admirandũ quod fideles magis in maximo, quam in modico videamini: non enim difficile est ei dare centuplum in præsenti, qui daturus est vitã æternam in futuro. Sed quomodo, inquit, possunt hæc fieri? qua ratione accipit centuplũ, qui nihil sibi relinquit ex omnibus? Mira nouitas, sed eius, qui noua facit omnia. Iugum tollens, inuenit requiem; relinquens omnia, centuplum habet. Nouerat hoc & ille, qui loquebatur in psalmo: Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? An non fictus in præcepto labor, onus leue, suaue iugum, crux inuncta? Te Deum.

INFRA OCTAVAM VIRGINVM.

SECVNDA DIE.

In secundo Nocturno.

Tres lect. S. Ambrosij. Quoniam hodie Natalis, &c. vt in Breu. de communi Virg. Quod si lectæ sint in die festo, legantur sequentes.

Sermo Vener. Bedæ Præsb.

Lectio 4.

QVam læto sinu de prælio reuertentes ciuitas cælestis excipit, de hoste prostrato trophæa ferentibus occurrit, cum triumphantibus viris & fœminæ veniunt, quæ cum sæculo sexum quoque vicerũt, & geminata gloria militiæ, virgines cum pueris teneros annos virtutibus transeuntes: sed & cetera fidelium turba aulæ perpetuæ regiã intrabit, qui sinceritatem fidei inconcussis præceptorum cælestium disciplinis vnita pace obseruauerunt. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiã: Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, prospere procede, & regna. Et deducet.

Lectio 5.

ERgo agite nũc fratres; aggrediamur iter vitæ, reuertamur ad ciuitatem

cæleſtem in qua ſcripti ſumus,& ciues decreti. Non ſumus hoſpites, ſed ciues sãctorum & domeſtici Dei, etiam illius heredes, coheredes autem Chriſti. Huius nobis vrbis ianuas aperiet fortitudo: & fiducia latũ præbebit ingreſſum. Conſideremus ergo inclytam vrbis illius felicitatem, in quantum conſiderare poſſibile eſt: vt enim vere eſt, comprehendere nullus ſermo ſufficiet. ℟. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem. Propter ea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & manſuetudinẽ, & iuſtitiã. Propterea.

Lectio 6.

DIcitur de ea in quodã loco ſic: Quod aufugiet ibi dolor, & triſtitia, & gemitus. Quid hac vita beatius, vbi non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo læditur, iraſcitur nemo, nemo inuidet. Cupiditas nulla exardeſcit, nullum cibi deſideriũ, nulla honoris pulſatio, aut poteſtatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, inſidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul. Mors ibi neque corporis, neque animæ erit, ſed immortalitatis munere vita iucunda. ℟. Afferentur Regi virgines poſt eam, proximæ eius, Afferentur tibi in lætitia & exultatione. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Afferentur. Gloria. Afferẽtur.

TERTIA DIE.

In ſecundo Nocturno.

De Serm. S. Ambroſij Epiſc. *L. 1. de virg. ante med.*

Lectio 4.

EGo licet laudationem non ſuſceperim virginitatis, ſed expreſſionem, ad rem tamen pertinere arbitror, vt quę ſit ei patria, quis auctor appareat. Ac prius, vbi ſit patria, definiamus. Si enim ibi eſt patria, vbi genitale domicilium: in cælo profecto eſt patria caſtitatis: itaque hic aduena, ibi incola eſt: Quid autem caſtitas virginalis, niſi expers contagionis integritas? atq; eius auctorem, quem poſſu-

mus

mus existimare nisi immaculatum Dei Filium, cuius caro non uidit corruptionem, diuinitas non est experta contagionem ?

℟. Propter. 261. Lect. 5.

VIdete igitur, quanta virginitatis merita sint. Christus ante virginẽ, Christus ex virgine; à Patre quidem natus ante sæcula, sed ex virgine natus ob sæcula. Illud naturæ suæ, hoc nostræ vtilitatis est; illud erat semper, hoc voluit spectare aliud virginitatis meritum. Christus uirginis spõsus, & si dici potest, Christus uirgineæ castitatis. Virginitas enim Christi, non uirginitatis est Christus. Virgo est ergo quæ nupsit, uirgo quæ nos suo utero portauit, uirgo quæ genuit, virgo, quę proprio lacte nutriuit, sed iã à matre descendamus ad filias. ℟. Dilexisti. 262. Lect. 6

DE uirginibus, inquit Apostolus, præceptũ Domini non habeo, consilium autem do. Si Doctor gentium non habuit, habere quis potuit ? & præceptum quidem non habuit sed habuit exemplum. Non enim imperari potest uirginitas, sed optari. Nam quæ supra nos sunt in uoto magis, quam in magisterio sunt; sed uolo uos, inquit, sine sollicitudine esse: nam qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Et uirgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Non ego quidem dissuadeo matrimonium; sed uirginitatis attexo beneficium. ℟. Afferentur. 262.

QVARTA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Maximi Episcopi. *In nat. S. Agnet.* Lect. 4.

CVm in toto mundo uirgineus flos Mariæ immarcescibiles coronas inneret, & sceptigeram pudoris aulam immaculato conseruet affectu, eousque integritas perseuerauit ad palmam, ut in puellis trophæũ sanctitatis arriperet, & per uestigia matris uirginis ad cęlestem thalamum peruenire. O quam imitabile

uirginibus : uirgo N tu amoris tradidisti exemplum. O quam sanctum pectoribus dandum uirgineis tribuisti responsum, contemnendo mundi diuitias, execrando carnis concupiscentias, & solã Christi pulchritudinem adamando. Accedite ad puellam puellæ, & discite, quales in pectore suo circa amorem Christi flammas accendit. Discite uirgines Christi amorem in éa feruentem, & omnes mundi diuitias uelut stercora recusantem. ℣ Propter. 161.

Lectio 5.

IDeo enim sanctorum per litteras traduntur exempla, vt vnusquisque pro qualitate sexus, modum sui propositi teneat, & sicut per virginem virgines, ita per coniugem coniuges vincere sæculũ pro Christi amore studeant; ac repugnátione animi, mundi dulcia recusantes, & eius non recusantes austera, ad delectationes perpetuas, & ad gaudia æterna pertingant. Hæc dicentes, non vituperamus coniugum casta commercia, sed virginum perseuerantiam adornamus. Non enim virginitas malis rebus superponenda est, sed est rebus optimis præferenda, quæ enim mundis mundior, & sanctis est sanctior, non indiget malarũ rerũ vituperatione laudari. ℣ Dilexisti. 262. Le. 6

VEni iam virgo ad thalamum, quem quęsisti, vt sponsam te virginitas immaculata comprobet Christi. Felix caterua virginum, quibus studium est tuæ sequi confessionis vestigia. Habebunt enim tecum coronam in cælo, quæ tecũ superauerunt inimicum in mũdo. Nam sicut tibi vestigia pſequẽti participatio æternæ remunerationis apparuit; ita eis te imitantibus æterna credimus gaudia nõ neganda. Itaque ò splendida Christo, Dei Filio, & omnibus Angelis, atque Archangelis grata, vt nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus: vt nobis ille tribuat indulgentiam qui tibi tuorum omnium

nium laborum tradidit palmam. ℟. Afferentur. 262.

QVINTA DIE.
In secundo Nocturno.

Tres lect. S. Cypriani. Nunc nobis ad Virgines, &c. vt in Breuiar de communi Virg. Quod si lectiæ sint in die festo, sumãtur lect. Bedæ. Quã læto sinu, ex secunda die supra. 261.

SEXTA DIE.
In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.
De S. Virginit. cap. 2.
Lectio 4.

CVm vniuersa Ecclesia virgo sit desponsata vni viro Christo, sicut dicit Apostolus, quanto dignæ sunt honore membra eius, quæ hoc custodiunt, etiam in ipsa carne: quot tota custodit in fide, quæ imitatur matrem viri, & Domini sui? nam Ecclesia quoque & virgo, & mater est: cuius enim integritati cõsulimus, si virgo non est? Aut cuius prolẽ alloquimur, si mater nõ est? Maria corporaliter caput huius corporis peperit, Ecclesia spiritualiter membra illius capitis parit, in vtraq; virginitas fœcunditatem nõ impedit, in vtraque fœcunditas virginitatem non adimit. ℟. Propter. 261.

Cap. 13. Lect. 5.

VIrginalis autem integritas, & per piã continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuę meditatio. Cedat huic omnis fœcũditas carnis, omnis pudicitia coniugalis: illa nõ est in potestate, illa nõ est in æternitate. Fœcũditatem carnalem nõ habet liberum arbitrium, pudicitiam coniugalem non habet cælum. Profecto habebunt magnũ aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid iam non carnis in carne. ℟. Dilexisti. 262. *Cap.* 27.

Lectio 6.

SEquimini Agnum, quocunque ierit, scripsit ille de vobis. Quo ire putamus hunc Agnum? quo nemo eum sequi vel audeat,

uel

vel valeat, niſi vos virgines, quo putamus eum ire? in quos ſaltus & prata? vbi, credo, ſunt grandia gaudia; nec gaudia, qualia in ipſo regno Dei cæteris non virginibus erunt, ſed à cæterorum omnium gaudiorum ſorte diſtincta. Gaudium Virginum Chriſti eſt de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum. Gaudia propria virginum Chriſti non ſunt eadem non virginum, quamuis Chriſti: nam ſunt alijs alia, ſed nullis talia. Ite in hæc, ſequimini Agnum, quia & Agni caro vtique virgo. Sequimini virginitate cordis & carnis quocumque ierit: quid eſt eum ſequi, niſi imitari?

℟. Afferentur. 262.

SEPTIMA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Fulgentij Epiſc. *Ep. 3. ad Probam. cap. 4.*

Lectio 4.

TAm magnum Deus voluit eſſe bonum virginitatis, vt illud non aliunde, ſed ex vocabulo dignaretur nominare virtutis. Virginis itaque ſi quis velit diligenter conſiderare vocabulum, ex virtutis inueniet nomine deriuatum. Virgo enim dicitur, quaſi virago. Viraginem vero ſcriptura ſancta non ob aliud vocatam dicit, niſi quia de viro ſumpta eſt. Dixitque Adam: Hoc nũc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Itaque cum virginis nomen ex nomine viri deſcenderit, quis dubitet quod vir à virtute vocatus ſit? ℟. Propter. 261

Lectio 5.

ET quia, ſicut Paulus docet, illa omnia in figura facta ſunt noſtri, profecto in illa virgine, quæ ex viri fiebat coſta, futura iam tũc præfigurabatur Eccleſia, quæ vere de viro ſumpta, & de quo ſumpta, illi cõiuncta, inde habet in veritate virtutem, vnde habet verum viraginis nomen. Propter quod hanc viraginem, ideſt virginem quæ de viro ſumpta eſt, non ſolum virginis,

ſed

ſed etiam viri nomine Paulus non dubitat appellare: ait enim fidelibus: Deſponsi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Chriſtus eſt quippe vir, de quo hæc virgo ſumpta eſt. ℟. Dilexiſti. 262.

Lectio 6.

TYpice itaque à viro dicitur virginis vocabulum, quia nomen à Chriſto dicitur Chriſtianum: Chriſtus enim Dei virtus eſt, & Dei ſapientia, ex quo eſt Eccleſia, quæ virgo in fide & caritate perſiſtens, & ſapientia poſſidet & virtutem. Quæ cum in diuerſis membris ſuis habeat donatiõnes, ſecundum gratiam, quæ data eſt ei, differentes, maiorem tamen gratiam donationis in illis membris accepit, in quibus ita ſpiritaliter virgo dicitur, vt etiã corporeæ virginitatis integritate potiatur: in his enim in quibus ſic fidem cuſtodit rectam, vt etiam carnem ab omni concubitu reſeruet intactam, quãto pleniorem habet virginitatem, tanto plenius & perfectius eiuſdẽ virginitatis poſſidet nomẽ. ℟. Afferentur. 262.

IN DIE OCTAVA.

In ſecundo Nocturno.

De Epiſtola S. Hieronymi Presb. ad Euſtochium.

De cuſt. virg. Tom. 1. Lect. 4.

DE virginibus, inquit Apoſtolus, præceptum Domini nõ habeo; cur? quia & ipſe vt eſſet virgo, non fuit imperij, ſed propriæ voluntatis: neque enim audiendi ſunt, qui eum vxorem habuiſſe confingunt; cum de continentia diſſerẽs & ſuadẽs perpetuam caſtitatem, intulerit: Volo autem omnes eſſe, ſicut me ipſum. Et infra: Dico autem innuptis & viduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Quare ergo non habet Domini de uirginitate præceptum? quia maioris eſt mercedis, quod non cogitur, & offertur: quia, ſi fuiſſet uirginitas imperata, nuptiæ uidebantur ablatæ; & duriſſimum erat contra naturam cogere, Angelorumque uitam ab hominibus extorquere.

Digitized by Google

quere. ℟. Propter. 161.

Lectio 5.

ALia fuit in ueteri lege felicitas: ibi dicitur beatus, qui habet semen in Sion, & domesticos in Ierusalem: & maledicta sterilis, quæ nō pariebat. Et: Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Vacuus erat orbis, & ut de typicis taceam, sola erat benedictio liberorum. Propterea & Abraham iam senex Cethuræ copulatur, & Iacob mandragoris redimitur, & conclusam uuluam in Ecclesiæ figuram Rachel cōqueritur. Paulatim uero increscente segete, messor immissus est. Virgo Elias, Elisæus uirgo, uirgines multi filij prophetarum. Ieremiæ dicitur: & tu ne accipias uxorem. Sanctificatus in utero captiuitate propinqua, uxorem prohibetur accipere. Aliis uerbis idipsum Apostolus loquitur; Existimo hoc bonū esse propter instantem necessitatem: quæ est ista necessitas, quæ aufert gaudia nuptiarum? Tempus breuiatum est. In proximo est Nabuchodonosor. ℟. Dilexisti. Lect. 6.

NUeniebatur ergo, vt diximus, in uiris tantum hoc continentiæ bonum, & in doloribus iugiter Eua parturiebat. Postquam uero uirgo concepit in utero, & peperit nobis puerum, cuius principatus in humeros eius, Deum, fortem, patrem futuri sæculi; soluta maledictio est: mors per Euam, uita per Mariam. Ideoque & ditius uirginitatis donum fluxit in fœminas, quia cœpit à fœmina: statim ut Filius Dei ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, ut, qui ab Angelis adorabatur in cælo, haberet Angelos & in terris. Tunc Holofernis caput Iudith continens amputauit. Tunc Aman, qui interpretatur iniquitas, suo combustus est igni. Tunc primum auditum est: Quæ non est nupta cogitat, quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore, & spiritu. ℟. Afferentur. 262.

IN-

INFRA OCTAVAM VIRGINVM.

Homil. in Euang. Matth. 25. Simile est Regnum cælorum decem uirginibus, &c. In die festo habetur Homil. Sancti Greg. Sæpe uos fratres, &c. in Breuiar. in hoc eodem communi.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Matth. c. 25.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decem uirginibus, quæ accipientes lãpades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ. Et reliqua. De Homilia S. Greg. Papæ.

Hom. 12. in Ev.

NOtandum uero, quod omnes lampades habent, sed oleum omnes non habent: quia plerumque bona in se opera cum electis & reprobi ostendunt: sed soli ad sponsum cum oleo ueniunt, qui de his, quæ foris egerint, intus gloriam requirunt. Vnde per Psalmistam quoque de sancta electorum Ecclesia dicitur: omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Dormitauerunt omnes, & dormierunt. Dormire mori est: ante somnum uero dormitare, est ante mortem à salute langueſcere: quia per pondus ægritudinis peruenitur ad somnũ mortis. ℟. Hæc est. inf. 277

Lectio 8.

QVid est autem, quod fatuæ à prudentibus oleum petunt, nisi quod in aduẽtu iudicis, cum se intus uacuas inuenerint, testimonium foris quærunt? Ac si à sua fiducia deceptæ proximis dicant: quia nos quasi sine opere repelli cõspicitis, dicite de nostris operibus, quod uidistis. Vnde & prudentes per increpationem subdunt: Ite potius ad uendentes, & emite uobis. Venditores quippe olei, adulatores sunt. De quo profecto oleo Psalmista dicit: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. ℟. Media. inf. 278

Lectio 9.

O si

Digitized by Google

O Si ſapere in cordis palato poſſit, quid admirationis habeat, quod dicitur; Venit ſponſus; quid dulcedinis: intrauerunt cum eo ad nuptias, quid amaritudinis: & clauſa eſt ianua. Penſate fratres cariſſimi, ante conſpectum tanti iudicis, qui in illo die terror erit; quando iam in pœna remedium non erit; quanta uero tunc erit electorum lætitia, qui de eius merentur uiſione gaudere, de cuius conſpectu uident & elementa omnia contremiſcere? cum eo ſimul ad nuptias intrare, qui & in ſponſi nuptijs gaudẽt, & tamen ipſi ſunt ſponſa: quia in illo æterni regni thalamo uiſioni noſtræ Deus coniungitur. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum decem uirginibus, quæ accipientes lãpades ſuas, exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ. Et reliqua. Hom. S. Hieronymi Presb. *Lib.* 4. *in Matth. cap.* 25.

HAnc parabolam quidam ſimpliciter in uirginibus interpretantur; quarum aliæ, iuxta Apoſtolum, & corpore & mente ſunt uirgines; aliæ uirginitatem tantum corporum reſeruantes, uel cætera opera non habent propoſito ſuo ſimilia; uel parentum cuſtodia reſeruatæ, nihilominus mente nupſerunt, ſed mihi uidetur ex ſuperioribus alius ſenſus eſſe, qui dicitur; & non ad uirginalia corpora, ſed ad omne hominum genus cõparatio pertinere. ℟. Hæc eſt. in f. 277.

Lectio 8.

QVi idcirco omnes uirgines appellãtur: quia gloriantur in unius Dei notitia, & mens eorum idololatriæ turbine non cõſtrupatur. Oleum habent Virgines, quæ iuxta fidem & operibus adornantur: non habent oleum, quæ uidentur ſimili quidem fide Dominũ confiteri, ſed uirtutum ope-

opera negligunt. Possumus quinque uirgines sapientes & stultas quinque sensus interpretari, quorum alij festinant ad cælestia, & superna desiderant: alij terrenis fæcibus inhiantes: fomẽta non habẽt ueritatis, quibus sua corda illuminent.

℟. Media. infrà 278. Lect. 9.

Dicamus aliquid, quod forsitan lectori utile sit. Traditio Iudæorum est, Christum media nocte uenturum in similitudinem Aegyptij temporis, quando Pascha celebratum est, & exterminator uenit: unde reor & traditionem Apostolicam permansisse, ut in die uigiliarum Paschæ ante noctis dimidium, populum dimittere non liceat, expectãtes aduentum Christi, & postquã illud tempus trãsierit, securitate præsumpta, festum cunctos agere diem. Tunc surrexerũt omnes uirgines ille, quæ lampades suas queruntur extingui, ostendunt eas ex parte lucere: & tamen non habent lumen indeficiens, nec operа perpetua. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decẽ Virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierũt obuiam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Hom. S. Io. Chrysostomi. *Hom. 79. in Mat. post init.*

QVam ob causam in persona Virginũ hanc parabolã profert, nec qualemcumque personam sine discrimine subijcit? Magna quædam de Virginitate disseruerat, dicens: Sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum: &, Qui potest capere, capiat. Nec ignorabat, de Virginitate magnam esse uulgo existimationẽ, quippe cum sit ea res natura sublimis: quod inde patet, quia neque in ueteri Testamẽto à priscis illis sanctisq; uiris culta fuit, & in nouo

nulla

nulla legis neceſſitate iubetur : non enim id imperauit, ſed fidelium uoluntati permiſit. Vnde & Paulus ait : De uirginibus autem præceptum Domini non habeo, & laudo quidem eum qui hoc ſectatur inſtitutũ, nolentem autem non cogo, neque eam rem præceptum facio. ℟. Hæc eſt.inf.278.

Lectio 8.

QVoniam igitur,& magna res erat,ac de ea apud multos magna erat exiſtimatio,ne quis ea perfecta ſe totum perfeciſſe putaret, ac cetera negligeret, hanc parabolam poſuit,ut oſtenderet uirginitatem, quamuis cetera habeat, ſi miſericordiæ bonis caruerit, cum fornicatoribus eijci. Ac merito quidem inhumanum ac miſericordia carentem cum illis collocat. Fornicator enĩ corporum, iſtæ uero pecuniarum cupiditate uincuntur. Non eſt autem corporũ & pecuniæ par cupiditas: ſed aerior multo,atque uehementior illa corporum eſt. Quanto igitur cum imbecilliore luctantur, tãto minus uenia dignæ sũt,ſi uincãtur. Idcirco etiam fatuas appellauit: quoniam maiori certamine ſuperato, in faciliore totum perdideruut.

℟. Media.inf.278 Lec.9.

LAmpades autem hoc loco illud ipſum uirginitatis donum appellat, & ſanctimoniæ puritatem: oleum uero benignitatem, eleemoſynam, impenſum indigentibus auxilium. Tardante autem ſponſo,dormitauerunt omnes,& dormierunt. Non paruum temporis rurſus ſpatium interiectum oſtendit, ut diſcipulos regnum ipſius mox futurum expectantes,ab ea opinione deduceret: id enim illi ſperabant: quapropter crebro ab huiuſmodi eos ſpe reuocat. Ad hoc, illud quoque indicat, ſomnum quendam eſſe mortem: Dormierunt, inquit; media autem nocte clamor factus eſt: uel,ut in eadem parabola perſiſtat: uel rurſus oſtendit in nocte futuram eſſe reſurrectionẽ.

Cla-

Digitized by Google

Clamorem etiam Paulus cõmemorat, dicens: In iussu, in voce Archangeli, in nouissima tuba descendet de cælo. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decẽ Virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

De Hom. S. Io. Chrysost.

POst ingentes labores, post incredibiles sudores, & acerrimas pugnas, post trophæa, quæ de naturæ rabie statuerunt, resurgunt cum dedecore, & lampadibus earũ extinctis terram aspicientes recedunt. Nihil sane tenebrosius est, quam virginitas oleo carẽs: vnde sic vulgo multi immisericordes tenebrosos solẽt appellare: quid igitur ex virginitate lucratæ sunt, quæ nec sponsum quidem viderunt, nec saltem ad pulsandum vsque peruenerunt, sed terribile illud verbum audiuere: Abite, nescio vos. ℟. Hæc est infra 278.

Lectio 8.

QVod cum ipse dixerit, nihil aliud, quam gehenna, & intolerabilis cruciatus relinquitur: imo vero etiam, gehenna, istud verbum grauius est: hoc verbum operantibus etiam iniquitatem dixit: Vigilate, quia nescitis diem, neque horam: crebro id repetit, vt ignorantiam exitus ab hac vita vtilem esse ostẽdat. Vbi sunt ergo, qui per totam vitam desidia torpescunt, & quando à nobis admonentur, respondere non dubitant, omnia se pauperibus moriendi tempore relicturos? ℟. Media inf. 279.

Lectio 9.

AVdiant hæc verba, & emendent se: multi enim abeundi tempus expectantes, ita repẽte rapti sũt, vt nec iniungere suis quicquam potuerint. Sed hæc quidem parabola eius elee-

mosynæ gratia, quæ cum pecunia cõficitur, dicta est. Cur autem hæc parabola sponsum adducit? Vt videas quantum virginibus Christus afficitur ijs, quæ sua pauperibus erogant: hæc enim & vera virginitas est. Nam & Paulus huic rei hanc descriptionẽ attribuit dicens: Innupta sollicita est de ijs, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierũt obuiam sponso: & sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Augustin. Episc. *Ser. 23. de ver. Do. post init.*

INtelligamus, carissimi, ad omnes nos, idest ad vniuersam omnino Ecclesiam, istam pertinere parabolam, non ad solos præpositos, nec ad solas plebes, sed prorsus ad omnes. Quinque istæ, & quinque virgines, omnes omnino sunt animæ Christianorum: sed vt dicamus vobis, quod Deo inspirante sentimus, non qualescunque animæ, sed tales animæ, quæ habent catholicam fidem, & habere videntur bona opera in Ecclesia Dei; & tamen ex ipsis quinque sunt prudentes, & quinque fatuæ. ℟. Hæc est. inf. 278.

Lectio 8.

QVare ergo appellatæ sunt quinque, & quare virgines, prius videamus. Omnis anima in corpore ideo quinario numero censetur, quia quinq; sensibus vtitur: qui ergo se abstinet ab illicito visu, ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito gustatu, ab illicito tactu, propter ipsam integritatem virginis nomẽ accipit. Sed si bonum est abstinere ab illicitis sentiendi motibus, & ideo vna quæque anima Christiana virginis nomẽ accipit; quare quinque admittuntur, quin-

quinque autem repelluntur? ℟. Media infra 279.

Lectio 9.

ET virgines ſunt, & repelluntur. Parum eſt, quia virgines ſunt, & lampades habent; virgines propter abſtinentiam ab illicitis ſenſibus; lampades habẽt propter opera bona. De quibus operibus Dominus dicit: Luceant opera veſtra coram hominibus: item diſcipulis dicit: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: in lumbis accinctis virginitas, in lucernis ardentibus opera bona. Si ergo ab illicitis abſtinentia bona eſt, vnde virginitas nomen accepit; & opera bona laudabilia ſunt, quæ ſignificantur lampadibus; quare quinque admittuntur, & quinque repelluntur? Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ. Et reliqua.

De Hom. S. Auguſtini Epi.

ALias dixit prudentes, alias ſtultas. Vnde intuemur? vnde diſcernimus? De oleo. Aliquid magnum ſignificat oleum, valde magnum: putas nõ caritas eſt? quærendo dicimus, non ſententiam præcipitamus: vnde mihi videatur per oleum caritas ſignificari, dicam vobis. Apoſtolus dicit. Adhuc ſupereminentiorem vobis viam demonſtro. Si linguis hominum loquar & angelorum, caritatem æutem non habeam, factus ſum æramẽtum ſonans, aut cymbalum tinniens. Ipſa eſt ſupereminens via, ideſt caritas quæ merito oleo ſignificatur, omnibus enim humoribus oleum ſupereminet.

℟. Hæc eſt infra 278.

Lectio 8.

QVid ergo fratres? Iam diſceptemus de quinque virginibus prudẽ-

dentibus, & quinque fatuis. Voluerunt obuiam ire ſponſo, corde ire, expectare eius aduentum: ſed ille tardabat. Dum tardat ille, dormierũt omnes: quid eſt ſomnus iſte? Ne forte tardante ſponſo, quoniam abũdat iniquitas, refrigeſcet caritas multorum; ſiccine intellecturi ſumus iſtum ſomnum? Non mihi placet, quia ſunt ibi prudentes. Et vtique quando dixit Dominus; refrigeſcet caritas multorum ſubiecit & ait: Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Non ergo eis obrepſit frigus caritatis, non in eis refriguit caritas, ſed feruet vſque in finem.

℣. Media infra 279.

Lectio 9.

ESt alius ſomnus, quem nemo euadit: non recordamini Apoſtolũ dicentẽ: De dormientibus autem nolo vos ignorare, fratres: ideſt, de his, qui mortui sũt? Fatua ſit virgo, prudens ſit virgo, sõnũ mortis omnes patiũtur. Ad nouiſſimã tubã ſurgent omnes. Prudẽtes autem illæ tulerunt oleum ſecum in vaſis ſuis: ſtultæ vero illæ non tulerunt oleum ſecum: ibi oleum, magnum oleum. De dono Dei eſt hoc oleum. Tu ergo tecum porta, intus porta, vbi videt Deus: ibi porta teſtimoniũ conſcientiæ tuæ; qui autem ambulat ad teſtimonium alienum, oleum non portat ſecum. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſus parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ. Et reliqua.

De Homil. S. Aug. Epiſcopi.

INtendat itaque caritas veſtra. Sapientium lampades ardebãt de oleo æterno, de conſcientiæ ſecuritate, de interiore gloria, de intimâ caritate. Ardebant tamen & illarum fatuarum; quare tunc ardebant? quia non

Digitized by Google

non deerant laudes hominum. Postea vero quam surrexerunt, idest in resurrectione à mortuis, cœperunt aptare lampades suas, idest parare Deo operum suorum reddere rationem. Et quia tunc nemo est, qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat; non erant, qui oleum venderẽt, cœperunt deficere lampades.

℟. Hæc est infra 278.

Lectio 8.

Clausum est ostium, & quid illis dictum est? Non noui vos: non illas nouit, qui omnia nouit? quid ergo est, non noui vos? improbo vos: reprobo vos: in arte mea non vos agnosco; ars mea nescit vitia. Hoc est autem magnum, & nescit vitia, & iudicat vitia: nescit faciendo, iudicat arguendo. Sic ergo non noui vos: ierũt; intrauerunt quinque prudentes. Sint in uobis quinque prudentes ad istam prudentiam quinarij numeri pertinentes. Veniet enim hora, & quando nescimus, veniet. Sic clausit Euangelium: Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.

℟. Media infra 279.

Lectio 9.

Corde uigila, fide uigila, spe uigila, caritate uigila, operibus uigila; & quando corpore dormieris, ueniet tempus, ut surgas: cũ autem surrexeris, præpara lampades; tunc non extinguantur, tunc in interiore conscientiæ oleo uegetẽtur: tunc sponsus ille incorporeis nexibus amplectatur, tunc te introducat in domum, ubi nunquam dormias, ubi nunquam possit tua lampas extingui. Hodie uero laboramus, & lampades nostræ inter uentos sæculi huius, tentationesque fluctuant: sed ardeat in rubore flamma nostra, ut ventus tentationis augeat ignẽ potius, quam extinguat.

Te Deum.

Intra octauam Virginum in 3. noc. habẽtur etiã Hom. in Euang. Matth. 13. Simile est regnũ cælorũ thesauro, &c. positæ in cõmuni oct. Martyr. non Virgin. infra. 395.

Digitized by Google

Sed ſecunda die infra oct. Si virgo de qua fit officium nõ ſit Martyr, uel ſi ſint plures Martyres, omiſſis octaua, & nona lect. ibi poſitis, leguntur duæ aliæ, quæ ſequuntur. Rurſus ſimile eſſe, &c.

INFRA OCTAVAM VIRGINVM.

Homil. in Euang. Matt. 19.

Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi, &c.

In die feſto habetur Homil. S. Io. Chryſ. Dominus noſter, quia, &c. in Breuiar. de communi Virg.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. ſec Matt. c. 19.

Lectio 7.

IN illo tempore: Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem ſuam quacunque ex cauſa? Et reliqua.

De Homilia S. Io. Chryſoſt. *Ho. 32. in Mat. 19. circa fi.*

NOn omnes capiũt verbum iſtud; ſed quibus datum eſt. Non dixit, non omnes poſſunt, ſed non omnes capiunt; ideſt, omnes quidem capere poſſunt, ſed non tamen omnes capere volunt. Palma propoſita eſt, qui concupiſcit gloriam nõ cogitat de labore. Nemo vinceret, ſi omnes periculum pugnæ timerent. Ex eo quod quidam non poſſunt, & à propoſito continentiæ cadunt, non debemus circa virtutem caſtitatis fieri pigriores: ſi enim quidam in pugna cadentes non exanimant cæteros; rem non applicant pugnæ, ſed homini: quanto magis nos cadentiũ negligentiæ imputare debemus, non difficultati virginitatis?

℟. Hæc eſt virgo ſapiens, quam Dominus vigilantem inuenit, quæ acceptis lampadibus ſumpſit ſecũ oleũ: Et veniente Domino, introiuit cum eo ad nuptias. ℣. Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Et veniẽte.

Lectio 8.

QVod autem dicit: quibus datum eſt: non hoc ſignificat, quoniam

niam quibuſdam datur, quibuſdam non datur: ſed illud oſtendit, quia niſi auxilium gratiæ accipiamus, nihil ex nobis valeamus. Quoniam autem volentibus gratia nō denegatur, in Euangelio Dominus dicit: Petite, & dabitur vobis; q̄rite & inuenietis; pulſate & aperietur vobis. Debet autem voluntas præcedere, & ſic ſequitur gratia. Nam nec gratia ſine voluntate aliquid operatur, nec voluntas ſine gratia poteſt. Nam & terra non germinat, niſi pluuias ſuſceperit, nec pluuia fructificat ſine terra.

℣. Media nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. ℣. Prudētes virgines aptate veſtras lampades. Ecce. Gloria. Ecce.

Lectio 9.

SI ex quacunque cauſa contigerit homini vxorem non habere, an continentiæ habebit mercedem? Non ſemper: ſicut enim peccatum ſine voluntate opus non facit; ita iuſtitia ex opere nō conſummatur, niſi voluntas adfuerit. Multi enim corpore quidem caſtitati ſtudent, adulterium autem voluntate committunt. Illa eſt glorioſa continentia, nō quam tranſgredi non poteſt neceſſitas debilitatis corporis, ſed quam complectitur voluntas ſancti propoſiti: ideo dicit: Sunt eunuchi, qui ſic naſcūtur: sūt eunuchi, qui ab hominibus fiunt: ſed illos tenet neceſsitas; hunc autem tertium coronat voluntas. Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem ſuam quacunque ex cauſa? Et reliqua.

Hom. S. Hieronymi Presb.

Lib. 3. in Matt. 19.

PHariſæorum, Scribarūque factio interrogat Dominum: vtrum liceat homini dimittere vxorem ſuā, qualibet cauſa; vt quaſi cornuto

nuto teneant eum ſyllogiſmo,& quodcunque reſponderit,captioni pateat. Si dixerit dimittendas eſſe vxores qualibet ex cauſa, & ducendas alias; pudicitiæ prædicator ſibi uidebitur docere contraria. Si autem reſponderit, non omnem ob causã debere dimitti; quaſi ſacrilegij reus tenebitur, & aduerſus doctrinã Moyſi, ac per Moyſen Dei, facere iudicabitur. ℟. Hæc eſt. 278

Lectio 8.

IGitur Dominus ſic reſponſum temperat, ut decipulam eorum tranſeat ſcripturam ſanctam adducens in teſtimonium, & ad naturalem legem, primamque Dei ſententiam ſecundæ opponens, quæ non uoluntate Dei, ſed peccantium neceſsitate conceſſa eſt. Nõ legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos? Dicendo autem maſculum & fœminam, oſtendit ſecunda uitãda coniugia. Non enim ait, maſculum & fœminas, quod ex priorum repudio quærebatur; ſed maſculum, & fœminam, ut unius coniugis conſortia necterentur. ℟. Media. 279. Lec 9.

QVod dicit, iſtiuſmodi eſt: Nunquid poteſt Deus ſibi eſſe contrarius, ut aliud ante iuſſerit, & ſententiam ſuam nouo frangat imperio? Non ita ſentiendum eſt: ſed Moyſes, cum uideret propter deſiderium ſecundarum coniugum (quæ uel ditiores, uel iuniores eſſent) primas uxores interfici, aut malam uitam ducere, maluit indulgere diſcordiam, quam odia, & homicidia perſeuerare. Simulque conſidera, quod non dixit: permiſit uobis Deus, ſed Moyſes; ut iuxta Apoſtolum, conſilium ſit hominis non imperium Dei. Te Deum.

QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. ſec. Matt. Le. 7.

IN illo tempore: Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam quacunque ex

ex cauſa? Et reliqua.

De Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

GRaue pondus uxorum eſt, ſi excepta fornicationis cauſa eas dimittere non licet: quid enim ſi temulenta fuerit, ſi iracunda, ſi malis moribus, ſi luxurioſa, ſi uaga, ſi guloſa: ſi iurgatrix, ſi maledica, tenenda erit huiuſmodi? Volumus, nolumus, ſuſtinēda eſt: cum enim eſſemus liberi, uoluntarie nos ſubiecimus ſeruituti. Videntes ergo Apoſtoli graue uxorum iugum, proferunt motum animi ſui, & dicunt: Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere, quibus ille dixit: Non omnes capiunt verbū iſtud. ℟. Hæc eſt. 278.

Lectio 8.

NEmo putet ſub hoc uerbo uel fatum, uel fortunam introduci, quod hi ſunt uirgines, quibus à Deo datum ſit, aut quos quidam ad hoc caſus adduxerit: ſed his datum eſt, qui petierunt, qui uoluerūt, qui ut acciperent, laborauerunt; omni enim petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulſanti aperietur. Triplex genus eſt eunuchorū, duorum carnalium, & tertij ſpiritualis. Tertij ſunt, qui ſeipſos caſtrauerūt propter regnum cælorum, & qui cū poſsint eſſe uiri, propter Chriſtum eunuchi fiunt: iſtis præmittitur præmium, ſuperioribus autem nihil omnino debetur.

℟. Media. 279.

Lectio 9.

POſſumus & aliter dicere: eunuchi ſunt ex matris utero, qui frigidioris naturæ ſunt, nec libidinis appetentes: & alij, qui ab hominibus fiunt: quos aut Philoſophi faciunt, aut propter idolorum cultum emolliuntur in fœminas, uel perſuaſione hæretica ſimulant caſtitatem, ut mentiantur religionis ueritatem, ſed nullus eorum conſequitur regnum cælorum, niſi ſe caſtrauerit propter Chriſtum: unde ſubinfert: Qui poteſt capere, capiat: ut unuſquiſque conſideret uires ſuas, utrum

utrum posſit uirginalia, & pudicitię implere prȩcepta, quaſi hortantis uox Domini eſt, & milites ſuos ad præmium concitantis. Te Deum.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euangel. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam quacunque ex cauſa? Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſc. *Lib. 3. de virginib. paulo ante med.*

DIſcutiamus, utrũ Chriſtus integritatem docuerit, an repudiandam putauerit? Et ſunt, inquit, ſpadones, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum: eſt ergo præclara militia, quæ regno cælorum militat. Itaque iam tũc Dominus docuit, eſſe debere intemerata ſtudia caſtitatis. Vnde & Apoſtoli eam cæteris præminere cernentes; Si ita eſt cauſa, aiunt, uiri cum uxore, non expedit nubere: quo dicto & grauiora iudicarunt onera uinculi coniugalis; & ueræ integritatis gratiam prætulerunt.

℟. Hæc eſt. 279.

Lectio 8.

SEd Dominus, qui ſciret prædicandam omnibus integritatem, imitandam paucis: non omnes, inquit, capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt, hoc eſt, non eſt communis plurimis & vulgaris integritas, nec pro infirmitate permittitur, ſed pro virtute conceditur. Denique cum dixiſſet: Et ſũt ſpadones, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum: vt oſtenderet hoc non mediocris eſſe virtutis: Qui poteſt, inquit, capere, capiat. Et ideo poſt hoc verbum offeruntur ad benedicendum, qui corruptelæ expertes, integritatis munus immaculata ætate ſeruarẽt.

℟. Media. 279. Lect. 9.

ESt ergo etiam cæleſti voce probata virginitas, dominiciſque expetenda præceptis; quo loco magiſterium

riũ diuinæ vocis imitemur. Nam, cum in ſuperioribus coniugium memorauerit nõ eſſe ſoluendum, niſi ex cauſa fornicationis, in poſterioribus integritatis gratiã, donumque contexuit: vt doceret non damnandas eſſe nuptias, ſed probandas; nuptijs tamen ipſis integritatis ſtudia præferenda. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. ſec. Matt. Le. 7.

IN illo tempore: Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem ſuam quacunque ex cauſa? Et reliqua.

Homil. S. Aug. Epiſcopi.

QVi poteſt capere, capiat. Quid veracius, quid lucidius dici potuit? Chriſtus dicit, veritas dicit, virtus & ſapientia Dei dicit eos, qui pio propoſito ab vxore ducenda ſe continuerint, caſtrare ſe ipſos propter regnum cælorum: & contra, humana vanitas impia temeritate cõtendit eos, qui hoc faciunt præſentem tantummodo neceſſitatem moleſtiarum coniugalium deuitare; in regno cælorum amplius quicquam cæteris non habere. ℣. Hæc eſt. 278.

Lectio 8.

DE quibus autem ſpadonibus loqtur Deus per Iſaiam prophetam, quibus ſe dicit daturum in domo ſua, & in muro ſuo locũ nominatum, meliorem multo quam filiorum, atque filiarum: niſi de ijs, qui ſe ipſos caſtrãt propter regnum cælorum? ne quis nimirum carnalis exiſtimaret in his verbis aliquid temporale ſperandum, continuo ſubiecit: Nomen æternum dabo eis, nec vnquam deerit; tanquam diceret: quid tergiuerſaris impia cæcitas? quid ſerenitati veritatis nebulas tuæ peruerſitatis offundis? quid in tanta ſcripturarum luce tenebras, vnde inſidieris, inquiris? quid temporalem tãtummodo vtilitatem promittis: continentibus sãctis? Nomen æternum dabo eis. ℣. Media. 279.

Le-

Lectio 9.

ET si forte hic ipsũ æternum pro diuturno cõtaris accipere, addo, accumulo, inculco: Nec vnquam deerit, quid quæris amplius? Aeternum hoc nomẽ, quicquid illud est, spadonibus Dei, quod vtique gloriam quandam propriam, excellentemque significat, non erit commune cum multis, quamuis in eodem regno, & in eadem domo constitutis. Nam ideo fortassis & nomen dictum est, quod eos, quibus datur, distinguit à cæteris. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Accesserunt ad Iesum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa? Et reliqua.

De Homilia Sancti Augustini Episcopi.

PErgite itaque sãcti Dei pueri, ac puellæ, mares, ac fœminæ, cælibes, ac nuptæ; pergite perseueranter in finẽ. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis vberius; sperate felicius, cui seruitis instantius; amate ardentius, cui placetis attentius: lumbis accinctis, & lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat à nuptijs. Vos afferetis ad nuptias Agni canticum nouum, quod cantabitis cytharis vestris; quale nemo poterit dicere, nisi vos: sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ cæteris dilectus Agno, qui discumbere super pectus eius solitus erat, & biberat, & eructabat mirabilia super cælestia Dei verbum. ℣. Hæc est. 278.

Lectio 8.

VOs Agnum sequimini tenendo perseueranter quod vouistis, ardenter facite cum potestis, ne virginitatis bonũ à vobis pereat, cum facere nihil potestis, vt redeat. Videbit vos cætera multitudo fidelium, quæ Agnum ad hoc sequi nõ potest; videbit, nec inuidebit: & collætando vobis, quod

quod in ſe non habet, habebit in uobis. Præſumite itaque, fidite, roboramini, permanete qui vouetis & redditis Domino Deo veſtro vota perpetuæ continentiæ non propter præſens ſæculum, ſed propter regnum cælorum. ℟. Media. 179.

Lectio 9.

VOs etiam, qui hoc nõdum vouiſtis, qui poteſtis capere, capite; perſeueranter currite, vt comprehendatis. Tollite hoſtias quiſque ſuas, & introite in atria Domini, non ex neceſſitate, ſed poteſtatem habentes veſtræ voluntatis. Cogitate quicquid illud eſt, in muro eius locum nominatum meliorem multo, quam filiorum, atque filiarum: cogitate illic nomen æternum, quis explicat quale nomen erit? quicquid tamen erit, æternum erit. Hoc credendo, & ſperando, & amando, potuiſtis coniugia non deuitare prohibita, ſed tranſuolare conceſſa. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. ſec. Mat. Le. 7.

IN illo tempore: Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem ſuam quacunque ex cauſa? Et reliqua.

Hom. S. Io. Chryſoſtomi. *Ho. 32. in Mat. circa med.*

IVdęi in finibus ſuis conſtitutum Dominum tentauerunt, & repulerunt, & in fornicationibus ſuis corporalibus fornicationem ſuam confeſſi ſunt ſpiritualem, dicentes: Si licet viro dimittere vxorem ſuam quacunque ex cauſa? quia non poteſt animo eſſe caſtus, qui corpore eſt laſciuus: hoc eſt, non poteſt Deo eſſe fidelis, qui vxori ſuæ perfidus eſt: ſicut nec ex diuerſo conſcientiam ſeruat, qui Deo fidem non ſeruat, ſed altera alterius fornicationis eſt accuſatrix. Et illi quidem ſecundum carnem interrogabant, quæ pati merebãtur ſecundũ ſpiritũ.

℟. Hæc eſt. 278. Lect. 8.

CHriſtus autem reſpondit eis, quod facere eos

eos non decebat dicens: Quicunque dimiserit vxorẽ suam, nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit mœchatur: sicut enim vxorẽ quocunque modo contra voluntatem viri agentem, dignum est repellere: non autem est iustum, quantum ad grauitatem viri, nisi ob causam fornicationis: sic & & Ecclesia quocunque modo contra voluntatem egerit Christi, digna est abijci: non autem abijcitur, propter longanimitatem Christi, nisi sola causa transgressionis. ℟. Media. 279.

Lectio 9.

SIcut enim si Christus prius dimisisset Ecclesiam Iudæorum, non eis subministrãs per scripturas notitiam suæ diuinitatis, ipse faciebat eam adulteram cum diis extraneis: sic Christo semper eis scientiam suæ diuinitatis subministrãte, quoniam synagoga spernens trãsibat ad Idola, inexcusabilis adultera reperta est: propter quod repulit Christum, non repulit eam Christus; non quacunque ex causa, sed propter causam fornicationis ipsius: quia non solum diabolo se coniunxit, sed etiam interfecit, pro quo mori debuerat. Ab initio enim Deus genuit Christum; deinde creauit hominem quasi coniugem, & potentem suscipere verbum ipsius. Ideo clamat: Quod Deus cõiunxit, homo non separet. Te Deum.

INFRA OCTAVAM MART. NON VIRGINIS. SECVNDA DIE.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Basilij Episcopi. *In Iulittam Martyrem.*

Lectio 4.

QVæ de beata Martyre N. prædicatio se offert vobis depromendam, huiusce est causa congregationis. Hunc enim diem vobis indiximus celebriter agendum, quippe qui memoriam nouat magni illius certaminis, quod in muliebri quidem corpore, generoso alioqui animo, & plusquam virili desudatum, omni admi-

miratione ſtupore ue percu-
lit, cum illos, qui & ipſi præ-
ſentes ſpectarunt decertan-
tem, tũ eos, qui auditu per-
cepturi ſunt in poſterum,
referentibus his, qui re ipſa
tanta iſtius agonis pericu-
lum fecerunt. ℟. Propter
veritatem, & manſuetudinẽ,
& iuſtitiam: Et deducet te
mirabiliter dextera tua.
℣. Specie tua, & pulchritu-
dine tua, intende, proſpere
procede, & regna. Et dedu-
cet. Lect. 5.

BEatiſſima igitur mulier
N. (ſi tamen decori
ratio permittit eam vocari
mulierem, quæ heroica ani-
mi fortitudine ſupergreſſa
eſt infirmam naturæ mulie-
bris conditionem) cuius
vnius magnanimitate, &
conſtantia maximopere cre
diderim conſternatum eſſe,
& perculſum communem
humani generis aduerſariũ,
nimirum indigniſſime feren
tem à mulieribus ſibi præ-
ripi palmam victoriæ; cum
iſte generoſæ huius mulie-
ris virtute tanto conſpici-
tur inferior, quam, quo pri-
mum tẽpore ſollicitabatur,
vt à Chriſto deſiceret, adni-
ſus eſt elidere argumentis
& conuincere inconſtantiæ,
quaſi quæ per naturæ infir-
mitatem minus poſſet con-
tinẽter pietatem erga Deũ
tueri, ſeruareue; hanc deni-
que inuenit doctrice expe-
rientia, conditione naturæ
fortiorem. ℟. Dilexiſti iu-
ſtitiam, & odiſti iniquitatẽ:
Propterea unxit te Deus,
Deus tuus oleo lætitiæ.
℣. Propter ueritatem, &
mãſuetudinem, & iuſtitiam.
Propterea. Le. 6.

HÆc porro nullam ad
rem earum, quæ in-
terim dum uiuitur, oble-
tare nos aſſolent, uiſa eſt feſ-
tine adeo excurrere, atque
ad deſtinatam ſibi mortem
concita perrexit facie, habi-
tu, ipſis, quæ depromebat,
uerbis, alacritate inſuper ef-
floreſcente, palam indicans,
quod in animo deliteſcebat,
profuſiſſimum gaudium: ea-
dem quippe maſſa, qua &
uiri, & ipſæ conſtamus, di-
cebat. Ad imaginem Dei
perinde ac iſti, & nos con-

ditæ

ditæ ſumus. Eſt ſane mulier ab opifice creata, peræque acuir, capax uirtutis: quid enim miri eſt? Annon conſanguineæ & ipſæ ſumus uiris per omnia? non enim ad conſtituendam mulierem ſola eſt aſſumpta caro, ſed & os ex oſſibus: quo fit, ut & ipſæ Domino nihil minus acuiri redhibere debeamus firmitatem fidei, atque conſtantiam, necnon in aduerſis patientiam. ℟. Fallax gratia, & uana eſt pulchritudo: Mulier timens Deum, ipſa laudabitur. ℣. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius. Mulier. Gloria. Mulier.

TERTIA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Auguſt. Epiſcopi. 49. *de tempore.* Lect. 4.

CErtamine uniuerſorũ martyrum fulciri, atque eorum uictoria, quorũ natalis uictricis gloriæ celebratur, quo robuſta fides ſit ad agonem, & paſſionis congreſſus, roborari debemus: certo ſcientes, quod in omnibus Chriſtus patitur, & quod ad regnum cælorum ſtatim cũ exultatione corporis transferuntur: & cum gentes horreant in ægritudine mortẽ, hi in ipſa morte conſequantur perpetuã hæreditatem. Per paſſionem vero tranſlationem magis credunt eſſe, quam finem. Martyrium eſt igitur indulgentia criminum, virtutum caput, occaſio iuſtitiæ, Dominicæ paſſionis imitatio. ℟. Propter. 287.

Lectio 5.

OInclitę beatorum animę, & glorioſa victoria martyrum, inter quos deuotiſſimæ fœminæ ſimul ſæculum, ſexumq; vicerunt, pręliantes cum diabolo fortiores viris torquẽtibus extiterunt, quæ carnifici gratias agentes erant ſæuienti. Ab omnibus enim fidem expectat Deus omnipotens magis, quam mortem: ſed diabolus, qui confitentes odit, coronas præſtat inuitus. Facit martyres, quos occidit, & cum Dei ſeruos vincere contendit, contemni-

nitur ipſe, dum ſæuit.

℟. Dilexiſti.287. Lec.6.

LIberalitas ergo tua, Deus, hactenus nobis martyria propoſuit, vt aduerſarius, quo Adam eliſus eſt, à filijs Adæ conſtanter elidi monſtraretur, voluiſti enim hominem non tantum de diaboli poteſtate eruere per fidem, ſed inculcatorem eius interficere per virtutẽ, vt qui gaudemus Chriſti ſanguine mortui, facilius liberati ducentes martyria in Chriſto poſtea triũphemus coronati, per ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

℟. Fallax.288.

QVARTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lectio 4.

QVam læto ſinu de prælio reuertentes ciuitas cæleſtis excipit, de hoſte proſtrato trophæa ferentibus occurrit, cum triumphantibus uiris & fœminæ veniunt, quæ cum ſæculo ſexum quoque vicerũt, & geminata gloria militiæ, virgines cum pueris teneros annos uirtutibus trãſeũtes: ſed & cetera fidelium turba aulæ perpetuæ regiã intrabit, qui ſinceritatem fidei inconcuſſis præceptorum cæleſtium diſciplinis vnita pace obſeruauerunt.

℟. Propter.287. Lect. 5.

ERgo agite nũc fratres; aggrediamur iter vitę, reuertamur ad ciuitatem cæleſtem in qua ſcripti ſumus, & ciues decreti. Non ſumus hoſpites, ſed ciues sãctorum & domeſtici Dei, etiam illius hęredes, cohęredes autem Chriſti. Huius nobis vrbis ianuas aperiet fortitudo: & fiducia latum præbebit ingreſſum. Conſideremus ergo inclytam vrbis illius felicitatem, in quãtũ conſiderare poſsibile eſt: vt enim vere eſt, comprehẽdere nullus ſermo ſufficiet.

℟. Dilexiſti. 287.

Lectio 6.

DIcitur de ea in quodã loco ſic: Quod aufugiet ibi dolor, & triſtitia, &

t ge-

gemitus. Quid hac uita beatius, ubi non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo læditur, iraſcitur nemo, nemo inuidet. Cupiditas nulla exardeſcit, nullum cibi deſiderium, nulla honoris pulſatio, aut poteſtatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, inſidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul. Mors ibi neque corporis, neque animæ erit, ſed immortalitatis munere uita iucunda. ℟. Fallax. 288.

QVINTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Aug. Epiſcopi.

De diuerſ. 103. Lec. 4.

HOdiernus dies anniuerſaria replicatione nobis in memoriam reuocat, & quodammodo repræſentat diem, quo ſancta famula Dei N. corona martyrij decorata, perpetua felicitate floruit. Exhortationes eius in diuinis reuelationibus, triumphoſque paſſionis audiuimus, mente ſpectauimus, religione honorauimus, caritate laudauimus. Debetur etiam à nobis tam deuotæ celebritati ſermo ſolemnis: quem ſi meritis eius imparem profero, impigrum tamen affectum gaudio tantæ feſtiuitatis exhibeo, quid enim glorioſius hac fœmina, quam uiri mirãtur facilius, quam imitãtur? ℟. Propter. 287. Lec. 5.

SEd hoc illius potiſsimũ laudis eſt, in quem credẽtes, & in cuius nomine fideli ſtudio cõcurrẽtes ſecũdum interiorem hominem, nec maſculus, nec fœmina inueniũtur: ut etiam in his, quæ sũt fœminę corpore, uirtus mentis ſexum carnis abſcondat, & in membris pigeat cogitare, quod in factis non potuit apparere. Calcatus eſt ergo draco pede caſto, & uictore ueſtigio; cum erectæ demonſtrarentur ſcalæ, per quas beata N. iret ad Deum: ita caput ſerpentis antiqui, quod fuit præcipitium fœminæ cadenti, gradus factus eſt aſcendenti. ℟. Dilexiſti. 287. Lec. 6.

QVid hoc ſpectaculo ſuauius, quid hoc certa-

Digitized by Google

tamine fortius, quid hac victoria glorioſius? Tunc fremebant gentes, & populi meditabantur inania : ſed q̃ habitat in cælis, irridebat eos,& Dominus ſubsãnabat eos nunc autem poſteri illorum, quorum voces in carne martyris impie ſæuiebant, merita martyris pijs vocibus laudant . Neque enim tunc tanto concurſu hominum ad eam occidendam cauea crudelitatis impleta eſt,quanto nunc ad eã honorandam Eccleſia pietatis impletur . Omni anno ſpectat cum religione caritas,quod vno die cum ſacrilegio commiſit impietas.

℟. Fallax. 288.

SEXTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

De Serm. S.Auguſtini Epiſcopi.

Lectio 4.

SPectauerunt & illi, ſed longe voluntate diſſimili.Illi viderunt oculis carnis,quod cordis immanitati refunderent; nos aſpicimus oculis cordis, quod illis ereptum eſt, ne viderent. Illi mortuum lætati ſunt corpus martyris, nos mentes mortuas dolemus illorum . Illi ſine lumine fidei martyrem putauerunt extinctam, nos fideliſſimo intuitu cernimus coronatam.Denique illorum inſultatio , facta eſt noſtra exultatio : & hæc quidem religioſa, & ſempiterna; illa vero tunc impia, nunc plane iam nulla.

℟. Propter.287.

Lectio 5.

PRæmia martyrum, cariſſimi, maxima credimus,& rectiſſime credimus: ſed ſi certamina diligenter intueamur, nequaquam illa tam magna eſſe mirabimur. Vicit in eis, qui vixerit in eis:vt qui non ſibi, ſed illi vixerunt,ne mortui morerentur.Ipſe eis exhibebat ſpiritales delicias, ne ſentirent corporales moleſtias:quantum non defectioni,ſed exercitationi ſufficeret ; nam vbi erat illa fœmina, quãdo ſe pugnare non ſenſit? quid videns iſta non viderat, quo fruens iſta non ſenſerat? quo amore alienata,quo ſpecta-

culo auocata, quo poculo inebriata? ℟. Dilexisti. 287

Lectio 6.

ET adhuc hærebat nexibus carnis, adhuc moribunda membra gestabat, adhuc corruptibili corpore grauabatur. Quid, cum resolutæ his vinculis animæ martyrum post labores periculosi certaminis, triumphis angelicis exceptæ, atque refectæ sunt, vbi non eis dicitur: implete quod iussi; sed, accipite quod promisi? qua nunc iucunditate spiritaliter epulantur, quam securi in Domino, & quam sublimi honore gloriantur, quis terreno docere possit exemplo? ℟. Fallax. 287.

SEPTIMA DIE.

In secundo Nocturno.

De Serm. S. Augustin. Episc.

Lectio 4.

ALia est animarum sine vllis corporibus requies; alia cum corporibus cælestibus claritas, & felicitas angelorũ, quibus æquabitur resurgentium multitudo fidelium: in qua gloriosissima martyres præcipua sui honoris luce fulgebunt, ipsaque corpora, in quibus indigna tormenta perpessi sunt, eis digna in ornamenta vertentur. Vnde solemnitates eorum, sicut facimus, deuotissime celebremus: sobria hilaritate, casta congregatione, fideli cogitatione, fidenti prædicatione: non parua pars imitationis est, meliorum congaudere virtutibus. Illi magni, nos parui: sed benedixit Dominus pusillos cum magnis. Præcesserunt, præminuerũt: si eos sequi nõ valemus actu, sequamur affectu: si non gloria, certe lætitia: si non meritis, votis: si non passione, compassione: si nõ excellentia, connexione: nõ nobis parũ videatur, quod corporis membra sumus, cuius & illi; æquiparari nõ possumus. ℟. Propter. 287.

Lectio 5.

QVia, si vnum membrũ patitur, compatiũtur omnia membra, ita cum glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Gloria capiti, vnde

vnde conſulitur, & ſuperioribus manibus,& infimis pedibus : ſicut ille vnus animã ſuam pro nobis poſuit;ita & imitati ſunt martyres,& animas ſuas pro fratribus poſuerunt:atque vt iſta populorum tanquam germinũ copioſiſſima fertilitas ſurgeret, terram ſuo ſanguine rigauerunt. Fructus laboris ergo illorum etiam nos ſumus . Miramur eos, miſerantur nos: gratulamur eis, precantur pro nobis illi corpora ſua tanquam veſtimẽta proſtrauerunt , cum pullus Dominum portans in Ieruſalem duceretur : nos ſaltem velut ramos de arboribus cædentes , de ſcripturis ſanctis hymnos,laudeſq; decerpimus , quas in commune gaudiũ proferamus . ℟. Dilexiſti. 287.

*Ser.*104. Lect.6.

PRofecto virilis animus in fœminam maius aliquid fecit,quando ſub tanto pondere fragilitas feminea non defecit.Bene inhæſerat vni viro,cui virgo caſta vnica exhibetur Eccleſia. Bene,inquam, inhæſerat illi viro,à quo virtutem traxerat, qua reſiſteret diabolo ; vt fœmina proſterneret inimicum,qui per fœminam proſtrauerat virum : ille in ea apparuit inuictus , qui pro ea factus eſt infirmus . Ille eam vt meteret,fortitudine impleuit : qui eam vt ſeminaret, ſemetipſum exinaniuit . Ille eam ad hos honores,laudeſque perduxit , qui pro ea opprobria & crimina audiuit;ille fecit fœminã viriliter & fideliter mori : qui ꝑ ea dignatus eſt de fœmina miſericorditer naſci . ℟. Fallax.288.

IN DIE OCTAVA.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Auguſt. Epiſcopi. *De diuerſ.*118. Lect.4.

DIe ſolemni ſanctarum martyrũ debitus ſermo reddendus eſt caritati veſtræ . Locuturos ergo nos de gloria martyrum adiuuent orationes martyrum:Nec enim per iſtas ſolemnitates commemorari debuit ſanctitas veſtra primum ne arbitremur nos aliquid

quid conferre martyribus, quia earum dies ſolemniſſimos celebramus: noſtris feſtiuitatibus non egent, quia in cælis cum angelis gaudẽt. Ad hoc iſtæ feſtiuitates in Eccleſia conſtitutæ ſunt, vt congregatio membrorum Chriſti admoneatur imitari martyres Chriſti. Hæc eſt omnino huius feſtiuitatis vtilitas, alia non eſt: ſi enim nobis proponeretur imitandus Deus, reſponderet humana fragilitas, multũ eſſe imitari eum, cui non poteſt comparari. ℟. Propter. 287.

Lectio 5.

SI denique ipſius Domini Chriſti ad imitationem vobis proponatur exẽplum: qui propterea, cum Deus eſſet, mortali carne veſtitus eſt, vt hominibus mortalem carnem gerentibus inſinuaret præceptum, & demonſtraret exemplum: de quo etiam ſcriptum legimus: Chriſtus pro nobis paſſus eſt relinquẽs nobis exẽplum, vt ſequamur veſtigia eius: tamen & adhuc reſpõdet hic humana fragilitas: quid ſimile ego, & Chriſtus? & ſi verbum caro factum eſt, vt habitaret in nobis; carnem aſſumpſit verbum, non perdidit, quod non erat accepit; non quod erat amiſit; quid ergo ſimile ego, & Chriſtus? ℟. Dilexiſti. 287.

Lectio 6.

AD tollendas igitur omnes excuſationes infidelis infirmitatis, nobis ſtratam conſtruxeruut viam; lapidibus enim talibus conſtruenda erat. Ergo qui habitant in domo tua, poſſident Ieruſalem cæleſtem ſine anguſtia, ſine preſſura, ſine diuerſitate, & diuiſione limitum: omnes habent eam, & ſinguli habent totam: ſimiles enim ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Iam ſimiles illi, quando deficiemus, quo auertemur? ſecuri ergo ſumus, fratres, nec nos ſatiabit laus Dei: ſi deficies ab amore, deficies à laude: ſi autem amor ſempiternus erit, quia inſatiabilis illa pulchritudo erit: noli timere, ne non poſſis ſemper laudare, quem ſemper poteris

ris amare. Ergo beati, qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te. ℟. Fallax. 288.

INFRA OCTAVAM MART. NON VIRGIN.

Homil. in Euang. Matt. 13.

Simile est regnum cælorum thesauro, &c.

In die festo habetur Homil. S. Gregorij. Cælorum regnũ fratres, &c. in Breuiar. in communi non Virgin.

SECVNDA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Matth. c. 13.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 11. in eu.

RVrsũ cæleste regnum negotiatori homini simile dicitur, qui bonas margaritas quærit, sed vnã pretiosam inuenit, quam videlicet inuentam, omnia vendens emit: quia qui cælestis vitæ dulcedinem in quãtum possibilitas admittit, perfecte cognouerit, ea quæ in terrenis amauerat, libenter cuncta derelinquit: in comparatione eius vilescũt omnia, deserit habita, congregata dispergit, inardescit in cælestibus animus, nihil in terrenis libet, deforme conspicitur quicquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola prætiosæ margaritæ claritas fulget in mente.

℟. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius: considerauit semitas domus suæ, Et panem otiosa non comedit. ℣. Gustauit, & vidit, quia bona est negotiatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius. Et panem.

Sequentes duæ lectiones dicuntur infra oct. vnius Mar. non Virg. Quod si non fuerit Martyr, vel si fuerint plures Martyres, iis omissis legantur aliæ, quæ post has ponuntur, & sunt eiusdem S. Gregorij.

Lectio 8.

DE cuius dilectione recte per Salomonem dicitur: Fortis est vt mors dilectio, quia videlicet sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum corporaliũ æternæ vitæ caritas occidit. Nam quem perfecte absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit. Nec enim Sãcta hæc, cuius hodie natalitia celebramus, mori pro Domino potuisset in corpore, si prius à terrenis desiderijs mortua non fuisset in mente: erectus namque in virtutis culmine animus tormenta despexit, prẹmia calcauit. Ante armatos reges & præsides inuicta stetit, feriente robustior, iudicante sublimior.

℟. Regnum mundi, & omnem ornatum sæculi contẽpsi propter amorem Domini mei Iesu Christi: Quem vidi, quem amaui, in quem credidi, quem dilexi.

℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Quem vidi. Gloria. Quem.

Lectio 9.

QVid inter hæc nos dicimus, qui ire ad regna cælestia puellas per ferrum videmus? quos ira superat, supbia inflat, ambitio perturbat luxuria inquinat; qui si adipisci regna cælorum per bella persecutionum non possumus, hoc ipsum nobis turpe sit, quod Deum nolumus saltem per pacem sequi. Ecce nulli nostrum hoc tempore dicit Deus: Pro me morere: sed illicita tantummodo in te desideria occide; qui ergo in pace subigere carnis desideria nolumus, quando in bello pro Domino ipsam carnem daremus? Te Deum.

Pro nec virgine nec mar. & pro pluribus martyribus.

Lectio 8.

RVrsus simile esse regnũ cælorum sagenæ in mare missæ dicitur, ex omni genere piscium congreganti, quæ impleta ad littus educitur, & in vasis boni pisces eliguntur, mali autem proijciuntur foras. Sancta Ecclesia

sia sagenæ comparatur, quia & piscatoribus est commissa, & per eam quisque ad æternum regnum à præsentis sæculi fluctibus trahitur, ne in æternæ mortis profundo mergatur. Quæ ex omni genere piscium cõgregat: quia ad peccatorum veniam sapientes & fatuos, liberos & seruos, diuites & paupares, fortes & infirmos vocat.

℟. Regnum. 296.

Lectio 9.

QVæ sagena, scilicet Ecclesia, tunc vniuersaliter repletur, cum in fine suo humani generis summa concluditur. Quam educunt, & secus littus sedent; quia sicut mare sæculum, ita sæculi finem significat littus maris. In quo boni pisces in vasis eliguntur, mali autem proijciuntur foras; quia & electi quique in tabernacula æterna recipiũtur, & interni regni luce perdita ad exteriores tenebras reprobi pertrahuntur.

Te Deum.

TERTIA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. sec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

De Homilia S. Greg. Papæ.

ECce quam grata est nobis hodierna solemnitas, ita vt se non modicum addicat, si cui ex hoc conuentu nostro deesse contingat. Quid ergo in die illa acturus est qui à conspectu iudicis rapitur, ab electorũ societate separatur: qui tenebrescit à lumine, cruciatur æterna cõbustione? Sic erit in consummatione sæculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum. Hoc iam fratres carissimi timendum est potius, quam exponendum. Aperta etenim voce tormenta peccantium dicta sunt, ne quis ad ignorantiæ suæ excusationem recurreret, siquid de æterno supplicio obscure diceretur.

℟. Os suum. 295.

Le-

Lectio 8.

SEd in eo, quod veritas dicit: Omnis ſcriba doctus in regno cælorum ſimilis eſt patrifamilias; intelligi valet, quia non de ijs, qui fuerant, ſed de ijs, qui eſſe in Eccleſia poterant, loquebatur: qui tunc noua & vetera proferunt, cum vtriuſque teſtamenti prædicamenta vocibus, & moribus loquũtur, quod tamen intelligi & aliter poteſt. Vetuſtum quippe humani generis fuit ad inferni clauſtra deſcendere, pro peccatis ſuis ſupplicia æterna tolerare; cui per mediatoris aduentum nouum aliquid acceſſit, vt ſi hic recte ſtudeat viuere, cælorum regna valeat penetrare.

℣. Regnum. 296 Lec. 9.

ET vetus itaque eſt, vt pro culpa humanum genus in æterna pœna intereat; & nouum, vt conuerſus in regno viuat, quod ergo in concluſione locutionis ſuæ Dominus ſubdidit, hoc eſt vtique quod præmiſit. Prius enim de regni ſimilitudine theſaurum inuentum, ac bonam margaritam protulit: poſtmodũ vero inferni pœnas de malorum combuſtione narrauit. Audiat de regno quod amet, audiat de ſupplicio vnuſquiſque quod timeat; vt torpentem animum, & terræ vehementer inhærentem, ſi amor ad regnum non trahit, vel timor minet. Te Deum.

℣. QVARTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lec. S. Eu. ſec. Matt. Lec. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 2. in Matth. 13.

THeſaurus iſte, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſcõditi, aut Deus verbum eſt, qui in carne Chriſti videtur abſconditus; aut ſanctæ ſcripturæ, in quibus repoſita eſt notitia Saluatoris: quem cũ quis in eis inuenerit, debet omnia iſtius mundi emolumenta

menta contemnere, vt illum possit habere, quem reperit. Quod autem sequitur: Quē, cum inuenerit homo, abscō dit: idcirco dicitur, nō quod hoc de inuidia faciat, sed quod timore seruantis, & nolentis perdere, abscondat in corde suo quem pristinis prætulit facultatibus.

℣. Os suum. 295. Le. 8.

A Lijs verbis idipsum, quod supra, dicitur. Bonæ margaritæ, quas quærit institor, lex & prophetæ sunt. Vnum autem est pretiosissimum margaritum, scientia Saluatoris & sacramentum passionis illius, & resurrectionis arcanum. Quod cum inuenerit homo negotiator, similis Pauli Apostoli, omnia legis prophetarumque mysteria, & obseruationes pristinas, in quibus inculpate vixerat, quasi purgamenta contemnit, & quisquilias, vt Christum lucrifaciat. Non quod inuentio nouæ margaritæ condēnatio sit veterum margaritarum; sed quod comparatione eius omnis alia gemma vilior sit. ℟. Regnū. 296

Lectio 9.

INtellexistis hæc omnia? Dicūt ei: etiam. Ad Apostolos proprie sermo est: quos non vult audire tantum vt populum, sed intelligere vt magistros futuros. Instructi erant Apostoli, scribæ, & notarij Saluatoris, qui verba illius, & præcepta signabant in tabulis cordis carnalibus, regnorum cælestium sacramentis, & pollebant opibus patrisfamiliæ, eijcientes de thesauro doctrinarum suarum noua, & vetera; vt quicquid in Euangelio prædicabant, legis & prophetarum vocibus comprobarent. Vnde & sponsa dicit in Cantico Canticorū: Noua & vetera, fratruelis meus, seruaui tibi. Te Deū.

QVINTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Matt. Le. 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

Ho-

Homil. S. Io. Chryſoſtomi. *Ex Hom. 48. in Matt. poſt initium.*

PErpendis, quomodo in mundo abdita, atque cælata prædicatio eſt? & in prædicatione ſumma felicitas recõdita? niſi ergo cũctas res tuas venundabis, non emes: niſi curioſe quæras, non inuenies. Duo hæc quippe nobis ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſæcularium rerum contemptus, & iugis vigilantia: quærebat enim bonas margaritas: & cum inueniſſet vnam pretioſiſſimam, vendidit quæcunque habebat, ac emit. Vna quippe veritas eſt, nec in multas ſcinditur partes, ac veluti qui margaritam habet, nouit ſe diuitem eſſe; ſic & in prædicatione veritatis, qui ei adhærent, opulentos ſeſe non ignorãt. ℟. Os ſuũ. 295

Lectio 8.

DEinde, ne confidamus plurimum, quoniam Euãgelium ſuſcepimus: neque opinemur ſufficere ſolum nobis fidem ad ſalutẽ: horroris plenam affert parabolam. Simile eſt, inquit, reguum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, &c. Hanc autem parabolam non interrogatus, ſed ſponte, atque à ſe ipſo ex parte interpretatur, & formidinem magis amplificat. Nam ne, cum aduertis putrida foras eiecta eſſe, nullum aut paruum eiectionis periculum credas, interpretando ſubiunxit, quia in fornacem immittent; & ſtridore dentium, doloris magnitudinem expreſſit. Animaduertis, quot perditionis viæ? ℟. Regnum. 296.

Lectio 9.

VIdes, quod alij vepribus, alij veneno, alij lapidibus, alij zizanijs conteruntur, alij in ſagena pereunt? Non igitur iniuria dictum eſt, latam eſſe viam illam, quæ in perditionem adducit, ac multos eſſe, qui per eam ingrediuntur: hæc enim cum dixiſſet, & ad horrorem terminaſſet ſermonem, atque immoratus amplificaſſet, adiecit: Intellexiſtis hæc omnia? dicunt ei, vtique Domine. Deinde quo-

quoniam intellexerunt, laudat dicēs: Propterea omnis ſcriba doctus in regno cælorum ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera. Te Deum.

SEXTA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro. Et reliqua.

De Homilia Sancti Ioannis Chryſoſtomi.

VIdes quomodo vetus teſtamētum non eijcit, ſed laudibus effert, & theſaurum appellat; quare qui diuinarum ſcripturarū imperiti ſunt, non erunt hi certe patrisfamilias, qui cū nec à ſe ipſis habent, quærere indignum putant, ſed negligenter viuendo inedia depereunt. Non autem hi ſolum, verum etiam hæretici expertes ſunt huius beatificationis, quia non poſſunt emittere noua & vetera: nā, cum vetera non teneant, noua credere non poſſunt: ſicut è contra, qui noua non habent, hi veteribus penitus carent. ℟. Os ſuum. 295.

Lectio 8.

HAec enim inter ſe magno iuncta, & connexa vinculo ſunt. Audiamus igitur, audiamus quicunque ſcripturarum lectionem negligimus, quantum damnū, quātam inopiam patiamur; & opulenti quidem, qui cupiditate pecuniarum inſaniunt, aſſidue veſtes ſuas, ne tineis corrodantur, excutiunt: tu vero cum obliuio omnibus tineis peior, ac maior peſtis animam tuam deuoret, non accedes ad libros, non excuties tineas, nō ordinabis animam tuam, non aſpicies continue imaginem virtutis, nec membra eius, & caput conſiderabis? ℟. Regnum. 296.

Lectio 9.

HAbet enīm certe caput, & membra omni muliere formoſa multo venuſtiora, ac pulchriora, q̄ igitur

igitur caput virtutis eſt? humilitas certe: quapropter ab ipſa incipit Chriſtus; dicens: Beati pauperes ſpiritu: Hoc caput, etſi nec cæſariem, nec crines habeat, ſic tamen pulchrum eſt, vt Deũ ad ſeipſum attrahat. Hæc, & alia quoque membra magnam vim formoſitatis effundunt: nec ſi mille commiſceas colores, talem ſpeciem conficies. Te Deum.

SEPTIMA DIE.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſec. Matth.

Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro. Et reliqua.

Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Quæſt. ex Matt. q. 13.

QVæſtio eſt, cur à numero plurali ad ſingularem tranſierit, vt, cum quærat homo bonas margaritas, vnam inueniat pretioſam, quam venditis omnibus, quæ habet, emat. Aut ergo negotiator iſte bonos homines quærens, cũ quibus vtiliter viuat, inuenit vnum præ omnibus ſine peccato, mediatorem Dei & hominũ hominem Chriſtum Ieſum. Aut præcepta iuſtitiæ quærens, quibus ſeruatis cum hominibus recte conuerſetur, inuenit dilectionem proximi, in quo vno dicit Apoſtolus omnia contineri. Os ſuum. 295.

Lectio 8.

AVt bonos intellectus homo quærit, & inuenit vnum illum; quo cuncti continentur: In principio erat verbum: eſt enim verbum Domini lucidum candore veritatis, & ſolidum firmitate æternitatis, & vndique ſui ſimile pulchritudine diuinitatis: qui Deus penetrata carnis teſtudine intelligendus eſt: ille enim ad margaritam ipſam iam peruenerat, quæ in tegumentis mortalitatis quaſi concharum obſtaculo, inter profunda huius ſæculi, atq; inter duritias ſaxeas Iudæorum aliquando latuerat, qui ait:

ait: & si noueramus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus.

℟. Regnum. 296. Lect. 9.

QVodlibet autem horũ trium sit, vel si aliquid aliud occurrere potuerit, quod margaritæ vnius & pretiosæ nomine bene significetur, pretiũ eius est, nos ipsi: qui ad eam possidendam non sumus liberi, nisi omnibus contemptis, quæ temporaliter possidentur: venditis enim rebus nostris nullum earum maius accipimus pretium, quam nos ipsos, quia talibus implicati nostri non eramus. Vt rursus nos ipsos pro illa margarita demus, nõ quia tanti valeamus, sed quia plus dare non possumus. Te Deum.

IN DIE OCTAVA.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euangel. sec. Matth. Lectio 7.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. Et rel.

De Homilia S. Aug. Episc. Quæst. 16.

IDeo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Vtrum ista conclusione exponere voluit, quem dixerit thesaurum in agro absconditum? quoniam sanctæ scripturæ intelliguntur, quæ nomine duorum testamentorum noui & veteris concluduntur. Quemadmodum apud alium Euangelistam gladium bis acutum tali cõclusione videtur exponere.

℟. Os tuum. 295. Lect. 8.

AN quia in parabolis ista locutus est? & cũ quæsisset ab eis, vtrum intellexissent, responderunt, se intellexisse. Fortasse ista similitudine vltima patris familias proferentis de thesauro suo noua & vetera, ostendere voluit eum doctũ habendum esse in Ecclesia, qui etiam scripturas veteres parabolis explicatas intellexit; ab istis nouis accipiens regulas: quia & ista

Do-

Dominus per parabolas enuntiauit, quamuis ipſe Chriſtus eſſet finis illorum, ideſt, vt in eo illa vetera cõplerentur. ℟. Regnum. 296

Lectio 9.

VT ſi ipſe, in quo illa complentur, & manifeſtantur, per parabolas adhuc loquitur, donec eius paſsio velum diſcindat, vt nihil ſit occultum, quod nõ reueletur: multo magis illa, quæ ad commendãdã tantã eius ſalutem tam longe de illo ſcripta ſunt, parabolis operta eſſe nouerimus: quæ cum Iudæi ad litteram acciperent, noluerunt eſſe docti in regno cælorum, neque tranſire ad Chriſtum, vt auferretur velamen, quod ſupra cor eorum poſitum eſt. Te Deum.

INFRA OCTAVAM
NEC VIRG. NEC MART.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Greg. Nazianzen. *In laud. Gorgoniæ.*

Lectio 4.

BEata N. pudicitiæ quidem laude adeo præſtitit, adeoque non modo omnes ætatis ſuæ mulieres, ſed etiam veteres, quæ eo virtutis genere floruiſſe dicuntur, antecelluit, vt cum in duo hæc genera vita noſtra omnis diuiſa ſit, nimirum in matrimonium, & cælibatum (quorum alterum vt præſtantius & diuinius, ita maioris quoque laboris & periculi, alterum humilius quidem & abiectius, cæterũ minori periculo obnoxium) vitatis vtriuſque ſtatus incommodis, quicquid in utroque commodi erat, delegerit, in unumque coegerit, alterius nempe ſublimitatem, alterius ſecuritatem, fueritque citra ſupercilium pudica, cęlibatus commoda, matrimonio temperans, ac re ipſa oſtendens, neutrum horum ſuapte natura tale eſſe, ut nos prorſus uel Deo uel mundo adſtringat, uel ab his penitus nos ſeparet. ℟. Propter. 287. Lect. 5.

NOn enim quia carni coniuncta erat, idcirco à ſpiritu diſiuncta eſt: nec quia pro capite uirum habebat,

Digitized by Google

beat, ideo primarium caput ignorauit: sed mundo, naturæque hactenus obsecuta, ut carnis legi, vel ei potius, qui hanc carni legem indixit, satisfaceret, totam se postea Deo consecrauit. Enimvero diuinus Salomon in Prouerbijs, fœminam domi manentem, virumque amãtem laudat, quæ honeste in domo uersatur, ac muliebria officia virili, & strenuo animo exequitur, semperque ad fusum & colum manus obfirmat, cæteraque omnia præstat, quæ ille de honesta & industria matrona prædicauit. Ego vero si ab his rebus laudandæ N. argumenta peterem, similiter facerẽ, ac si ab vmbra statuam laudarem, aut ab vnguibus leonem, relictis maioribus, & excellentioribus.

℣. Dilexisti. 287.

Lectio 6.

QVænam vnquam dignior fuit, quæ in publicum se inferret? quænam tamen rarius visa est, minusque virorum oculis patuit? quænam oculos æque frenauit? quænam risum adeo irrisit, adeo vt vel leuiter subrisisse propemodum nimium ipsi videretur? quænã auribus suis ianuas magis imposuit? quænam rursus eas diuino sermoni magis apertas habuit? imo quænam mentẽ linguæ moderatricem magis præfecit ad pronuntiandas Dei iustificationes? quænam modũ, ordinemque labijs suis magis constituit? Vnus illi rubor placebat, quem gignit pudor: vnus candor, quem parit abstinentia.

℟. Fallax. 288.

Lect. & Respons. 3. noct. sumuntur de communi oct. Mart. non virg. Hom. in Eu. Simile est regnum cælorum thesauro supra 295.

TERTIA DIE.

In secundo Nocturno.

De Serm. S. Greg. Nazianz.

Lectio 4.

ECquæ domũ suam pijs hominibus excipiendis magis propositam habuit, diuinisque opibus magis adauxit? & quod est præstantius, quænam pari pu-

dore, tamquam ſanctis & Deo gratis inceſſibus ad eos excipiendos perrexit? quænam inſuper animum in afflictionibus minus afflictum præſtitit? quænam rurſus calamitoſis, & ægrotantibus magis condoluit? quænam liberaliorem manum egentibus porrexit? equidem in illa ornandâ his Iobi verbis vti non dubitem: Porta ipſius cuiuis venienti patebat: nec extra iacebat peregrinus: cæcorum oculus erat, pes claudorum, mater orphanorum. ℟. Propter. 287

Lectio 5.

QVodq; præclariſſimũ, non magis ſtudebat optima videri, quam re vera eſſe: quin potius in abſcondito apud eum, qui abſcondita intuetur, pietatem luculenter excolebat: omnia mundi principi eripuit: omnia in tuta illa horrea tranſtulit; nihil terræ præter corpus reliquit: omnia cum alterius vitæ ſpe cõmutauit: has vnas opes moriens reliquit, nempe probitatis imitationem, atque eiuſdem laudis ſtudium. Ac de ipſa non minus vere, quam magnifice prædicari poteſt, quod virtutes partim imitata eſt, partim ita geſſit, vt earum ab ipſa exempla peterentur, quodque eas partim inuenit, partim ſuperauit. Sic enim omnes virtutũ numeros abſoluit, vt ne mediocriter quidem vnã quiſquam alius: ſic rurſus in vnoquoque genere excelluit, vt vel vnum ſolum inſtar omnium abunde ſufficeret. ℟. Dilexiſti. 287.

Lectio 6.

OSqualidum corpus, & indumentum virtute ſola florens. O noctes inſomnes, & pſalmorum cãtus, & ſtationem ex die in diem deſinentem. O nocturnum clamorem nubes penetrãtem, ad Deumque peruadẽtem. O fœmineam naturam, quæ propter commune ſalutis certamen naturam virilem ſuperaſti, atque oſtendiſti maris, & fœminæ nomine, non animos, ſed corpora ſola diſtingui. O acerbe guſtus, & Eua noſtri generis

&

& peccati mater: & tu ſerpens impoſtor, ac mors denique ipſa, continentia illius, cibique parcitate deuicta. O Chriſti exinanitio, & ſerui forma, & paſſiones, ipſius mortificatione decoratæ, ſed iam operæ pretiũ eſt præmia quoque pietatis adijcere. ℟. Fallax. 288.

QVARTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

Sermo Sancti Auguſtini Epiſcopi.

De diuerſ. 45. Lect. 4.

PRæſtabit nobis, qui diẽ iſtum commendauit in ſanctis ſuis, vt infirmitas vocis noſtræ ſufficiat intentioni veſtræ: & hoc, quod geſtamus in manibus, ſcriptura ſcilicet, quam videtis, commendat nobis inquirendam, & laudandam mulierem quandam, habentem magnum virum, eum qui inuenit perditam, ornauit inuentam. Attendite, cuius membra eſtis: inſpicite, cuius filij eſtis. Mulierem fortem quis inueniet? Difficile eſt inuenire eam, imo difficile eſt neſcire eam. Nonne ipſa eſt ciuitas in monte, quæ abſcondi non poteſt? quare ergo dictũ eſt, quis inueniet? cum dici debuerit, quis non inueniet? ſed tu ciuitatem in monte poſitam vides: vt autem in monte poneretur, inuenta eſt, quæ perierat.

℣. Propter. 287.

Lectio 5.

QVando illuſtrata eſt, quis eam non videt? quando latebat, quis eam inueniret? ipſa enim ciuitas eſt vna illa ouis, quam perditam quæſiuit ille paſtor: & inuentam gaudens in humeris reportauit. Ipſe paſtor, mons eſt: ouis autem in humeris eius, ciuitas in monte. Facile eſt, vt videas eam collocatam in monte, quando eam inuenires, cum lateret in vepribus, in ſpinis vtique delictorum ſuorum? ibi enim quæſiſſe magnum eſt: ibi inueniſſe mirabile eſt. Hæc eius difficilis inuentio commendatur, cum dicit: Mulierem fortem quis inueniet? quis enim, quia vnus: non, quia nec vnus.

℟. Dilexisti.287. Lect.6.

PRetiosior est autem lapidibus pretiosis quæ eiusmodi est. Quid magnum quia pretiosior est mulier hæc lapidibus pretiosissimis? pretiosi lapidis ideo dicti sunt, quia caritare valent: iam ille vilis est; pretiũ perdidit qui non habet caritatem. Doctrinam suam iactet licet, linguam suam iactet licet: audiat æstimatorem verorum lapidum matronæ huius: audiat, inquã, quendam artificem ornamenti huius inspectorem. Si linguis hominum loquar, inquit, & angelorum; caritatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens: iam nõ fulget, sed tinnit. Ergo discite lapides æstimare negotiatores regni cælorum: nullus nobis placeat, præter huius mulieris ornamentum. ℣. Fallax.288.

QVINTA DIE.

In Secundo Nocturno.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

Lectio 4.

OPeratur viro suo bona, & non mala in omni tempore. In omni tempore operatur bonum, & non malum, nec sibi, sed viro: vt quæ viuit, iam sibi nõ viuat, sed ei qui mortuus est pro omnibus, & resurrexit. Viro ergo operatur bonũ, corã deo operatur bonũ, illi seruit, illi deuota est: illũ diligit, illi placere semper studet, & desiderat. Non se ornat, nec propter oculos suos, nec propter oculos alienos. Nõ est de sibi placentibus, non est de sua quærentibus; operatur enim viro suo; qui autem sibi operantur, omnes sua quærunt, non quæ Iesu Christi.

℟. Propter.287.

Lectio 5.

INueniens lanam, & linũ, fecit vtile manibus suis: lanificam, & linificam matronam istam sanctus sermo describit: quæritur autem à nobis, quid sit lana, quid sit linum. Lanam carnale aliquid puto, linum spirituale: interiora sunt enim linea vestimenta: lanea exteriora: quicquid

Digitized by Google

quicquid carne operamur, in prõptu eſt; quicquid ſpiritu, in ſecreto. Operari enim carne, & nõ operari ſpiritu, quamuis bonum videatur, vtile non eſt; operari autem ſpiritu, & non operari carne, pigrorum eſt. Inuenis hominem porrigentem manum, vel eleemoſynam pauperi, nec tamen de Deo cogitantem: ſed hominibus placere cupientem: lanea veſtis videri poteſt, interiorem lineam non habet. Inuenis alium dicentem: ſufficit mihi in conſcientia Deũ colere, quid mihi opus eſt viſibiliter miſceri Chriſtianis? lineam vult habere ſine tunica; non nouit, neque commendat talia opera mulieris.

℟. Dilexiſti. 287.

Lectio 6.

EXurgit de noctibus, & dedit eſcas domui, & opera ancillis: quid valent noctes? non eam premunt, non eam in tenebris iacere cogunt. Noctes tribulationes ſunt: ſed cui hæc? & de noctibus conſurgit, & in tribulationibus proficit: & dedit eſcas domui, in noctibus præbuit ſe imitandam: faciens docuit, quod faciendum dixit: & tunc dedit eſcas; quis comedat de nocte? prorſus & tunc dedit eſcas quibus enim dedit, ſemper eſuriũt. Beati enim qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quia ipſi ſaturabuntur. A nocte ſpiritus meus vigilat ad te Deus. Hæc alimenta nocturna abundant in domo mulieris huius.

℟. Fallax. 288.

SEXTA DIE.

In ſecundo Nocturno.

De Sermone S. Auguſtini Epiſcopi.

Lectio 4.

PRoſpiciens agrum mercata eſt: proſpiciens non in præſenti, ſed in futuro: mercata eſt agrum iſtũ proſpiciens fide, ſpe: inde & de noctibus ſurgit; ſi enim quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus. In omnibus tribulationem patiens: proſpicit enim agrum, quem mercatur:

tur: inde enim mulier fortis dicitur: Quid sunt noctes illæ præ agro illo? quod enim ad præsens temporale est, & leue tribulationis nostræ (cum de noctibus surgimus) in incredibilem modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis (cor habẽtibus ad agrum illum) non respicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur: qualis est ager ille? quæ pulchritudo eius est? inardescamus ad eum possidendum; putamus, non ipse est, de quo dixit Deus, & species agri mecum est?

℟. Propter. 287.

Lectio 5.

VNde mercata est? ne forte tu desperes, & suspires, & nihil agas: ager iste segnem amatorem non amat. Ibi certe, cum ad eum veneris, forsitan requiescis, nec opus erit, vt labores. Non enim est talis ager ille, qualis iste, vbi Adam in sudore vultus sui comedit panem suum. Modo tamen, vt ad illius agri speciẽ peruenias, compara tibi, vnde compares agrum ibi, quid? collige pretium. Hoc enim agit hæc mulier. Vide, si tacitum est, cui dictum est, prospiciens agrum mercata est; tanquam diceres. Vnde mercata est? De fructibus manuum suarum plantauit possessionem: illam enim possessionem dixit, quæ futura est. Hoc insinuat verbo, quod ait: Prospiciens.

℟. Dilexisti. 287.

Lectio 6.

SVccincta fortiter lumbos suos firmauit brachia sua. Vere fortis quam deuote seruit, quam parate: ne fluitantes sinus carnaliũ concupiscentiarum impediant operantem, succingit lumbos, vt nihil superfluum calcet, dum in opere festinat: ibi enim castitas mulieris huius, zona præcepti cõstricta, & ad omne opus bonum semper parata. Vnde hoc? Gustauit, quia bonum est operari. Vbi est palatum, quo gustatur hoc? Fugiunt homines laborẽ quasi amarum: timendo gustare nescium quid amare. Bonum

opus

opus facit cõſcientia bona; & quid dulcius, fratres, conſcientia bona? ℟. Fallax. 288

SEPTIMA DIE.

In ſecundo Nocturno.

De Sermone S. Augu. Epiſc.

Lectio 4.

BRachia quoque ſua firmauit in fuſum: potuit dicere: in colũ: fuſum dixit, forte non fruſtra: quamuis poſsit videri, nec abſurdè intelligi de fuſo lanificium ſignificatum, de lanificio bonum opus, tanquam caſtæ mulieris, & matronæ impigræ & diligentis: tamen ego, cariſsimi, in iſto fuſo, quod intelligo non tacebo: omnis, qui viuit in bonis operibus in ſancta Eccleſia, non neglector, ſed effector præceptorũ Dei, quid faciat cras, neſcit; quid fecerit hodie, ſcit. De futuro opere timet, de præterito gaudet: in orando tamen Domino non habet firmam conſcientiam de opere futuro, ſed de præterito; ex eo quod fecit, non ex eo quod facturus eſt.

℟. Propter. 287.

Lectio 5.

IAm ergo, ſi hoc verum eſſe mecum videtis: attendite in lanificio duo inſtrumenta iſta, colum, & fuſum. In colo lana inuoluta eſt, quæ filo ducenda & nẽda tranſeat in fuſum; quod in colo eſt inuolutum, eſt futurum: quod in fuſo collectum eſt, iam præteritum eſt, opus ergo tuum in fuſo eſt, nõ in colo: in colo enim eſt, quod facturus es: in fuſo, quod feciſti: vide ergo, ſi aliquid habes in fuſo, vbi firmentur brachia tua: vbi erit fortis conſcientia tua, ibi ſecurus eris. Quicquid ergo operaris, totus animus ad fuſum ſit; vt totum coletur ad fuſum, vt habeat aliquid fuſum, quod te conſoletur, quod te confirmet, & tibi det fiduciã deprecandi, & ſperandi promiſſa.

℟. Dilexiſti. 287. Lect. 6.

ET quid agam? forte dicis: quid me iubes habere in fuſo? audi quid ſequitur. Manus autem ſuas aperuit pauperi. Eia, non nos pudeat lanificium ſanctum docere. Vos videte, ſi

quis habet plenum ſacellũ, plenum horreum, plenam apothecam, omnia iſta in colo ſunt; tranſeant in fusũ: manus ſuas aperuit pauperi, fructum autem porrexit inopi: manus pauperi, fructus inopi: eſt quidam pauper; manus tuas quærit: eſt quidam inops; fructum tuũ quærit, qui vero non vult à te, niſi quod neceſsitati ſuæ poſcit, pauper eſt, manus tuas quærens. Eſt autem alius inops, qui dicit: Quaſi nihil habẽtes, & omnia poſſidentes: non quaſi neceſsitati ſuæ vult ſatisfieri de dato tuo: ſed tãquam in arbore Dominica, quam plantauit, & rigauit, fructum quærit: ipſum audi; non quia quæro datũ, ſed requiro fructum. &. Fallax. 288.

IN DIE OCTAVA.

In ſecundo Nocturno.

De Sermone S. Auguſtini Epiſcopi.

Lectio 4.

DVplicia pallia fecit viro ſuo, iam acclamatis: credo, quod agnoſcitis, quæ ſunt duplicia pallia: laudes ſunt, laudes fidei, laudes cõfeſsionis, laudes prædicationis. Quare duplicia? Chriſtum laudas, Deum laudas, & hominem: dupliciter lauda, ſimpliciter lauda: dupliciter, quia homo eſt, & Deus; ſimpliciter, vt non ſis fictus: cõfitere Deũ, confitere hominem: lauda Deum in homine, lauda hominem in Deo. Texuit pretioſiſsimum illud palliũ laudis: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Texuit & aliud pallium, propter cõuerſationem inter homines quotidianam: Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis? & Propter. 287.

Lectio 5.

HIc ergo iſta laborioſa, vigilans, ſollicita, ſeuere caſtigans domum ſuã, ſurgens de noctibus, intuẽs lucernam ne extinguatur, in tribulatione fortis, nondum receptis promiſsis pauens, brachia ſua in fuſum confirmans, non pigrum panem

nem manducans ob labores istos quasi paupertatis & necessitatis sæcularis, quid erit, quia in diebus nouissimis lætata est? quid erit? audite: propter quam spem ardeat lucerna nostra tota nocte, nunc audite. Surrexerunt filij eius, & ditati sunt. Modo in paupertate viuimus, in paupertate vigilamus: & cum morimur, in paupertate dormimus: sed surgemus, & ditabimur, quę illæ diuitię sunt angelorum? vnam vestem habent lucis: nunquam teritur, nunquam fordidatur. Si filius es mulieris huius, attende quando tibi diuitiæ promittantur. surrexerunt filij eius, & ditati sunt, parati resurrectionis diuitias accipere. Noli has amare, vt merearis ad illas venire. ℟. Dilexisti. 287.

Lectio 6.

ET vir eius laudauit eã. Multæ, inquit, filiæ fecerunt potentiam. Laudes sunt, quibus eam laudat vir eius: quæ filiæ, quibus hæc comparatur? Non comparatur, tu autem superasti: attendite ergo vos, iam in fine lectionis sumus. Multæ filiæ fecerunt potẽtias, multæ locutæ sunt linguis, scierunt omnia sacramenta, fecerunt virtutes multas, dæmonia excluserunt, res suas pauperibus distribuerunt, corpora sua ignibus tradiderunt: inflatæ sunt, quia caritatem non habuerunt. Tu autẽ superasti, & superposuisti omnes, non solum flore, sed & fructu grauida abundans. Date illi de fructibus manuum suarũ: quid date? Venite benedicti patris mei. De quibus fructibus manuum eius? Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Et quod illi deinde negotium erit finitis laboribus? & laudetur in portis vir eius. Ipse erit portus laborum nostrorum: videre Deum: laudare Deum. ℟. Fallax. 288.

INFRA OCTAVAM NEC VIRG. NEC MART.

Homil. in Euangel. Lucæ 7.

Ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim, &c.

IN

IN DIE FESTO.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Eu. sec. Luc. c.7.

Lectio 7.

IN illo tempore: Ibat Iesus in ciuitatem: quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Serm.44. de verb. Domini.

DE iuuene illo resuscitato gauisa est mater vidua: de hominibus quotidie in spiritu resuscitatis gaudet mater Ecclesia. Ille quidem mortuus erat corpore: illi autem mente. Illius mors visibiliter plangebatur: illorum mors inuisibilis nec quærebatur, nec videbatur. Quæsiuit ille, qui nouerat mortuos. Ille solus nouerat mortuos, qui poterat facere viuos. Nisi enim ad mortuos suscitandos veniisset, non diceret Apostolus, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

℣. Os suum. 295.

Lectio 8.

TRres autem mortuos inuenimus à Domino resuscitatos visibiliter, millia inuisibiliter. Quot autem mortuos visibiliter suscitauerit, quis nouit? Non enim scripta sunt omnia quæ fecit. Ioannes hoc dixit: Multa alia signa fecit Iesus: quæ si scripta essent, arbitror totum mundum non posse libros capere. Multi sunt ergo alij sine dubio suscitati, sed non frustrà tres commemorati. Dominus enim noster Iesus Christus ea quæ faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi. Neque enim tantum miracula propter miracula faciebat: sed vt illa quæ faciebat, mira essent videntibus, vera essent intelligentibus.

℣. Regnum. 296.

Lectio 9.

QVemadmodũ qui uidet litteras in codice optime scripto, & nõ nouit legere, laudat quidem antiquarij manum, admirans apicum pulchritudinem: sed quid sibi uelint, quid indicẽt illi apices, ne-

neſcit, & eſt oculis laudator, mente non cognitor. Alius autem & laudat artificium, & capit intellectum: ille utique qui non ſolum uidere quod commune eſt omnibus poteſt, ſed etiam legere; quod qui nõ didicit, non poteſt. Ita qui uiderunt Chriſti miracula, & non intellexerunt quid ſibi uellẽt, & quid intelligentibus quodammodo innuerent, mirati ſunt tantum quia facta ſunt: alij uero & facta mirati, & intellectum aſſecuti. Tales nos in ſchola Chriſti eſſe debemus. Te Deum.

Infra octauam legatur in Miſſa & in Officio Euang.

Simile eſt regnum cælorum theſauro, ut in cõmuni oct. Mart. nõ Virgin. ſupra 273. In die vero octaua ut in die feſto.

FINIS

ERRATA,
Quæ Typographi incuria obrepſerunt ſic corrigito.

In octauis propriis.

Pag.	Colu.	Verſ.	Err.	Corr.
38	1	14	ſingularẽ	ſingulare
ibid.	1	23	hunc	hanc.
36	2	5	De ſermone	Sermo
37	2	4	adde	*Ser. in ca. 12. Apoc.*
43	1	30	omne	omnes
47	1	6	ad Abraham	ab Abraham
ibid.	1	23	Ochoziſi	Ochoziam
107	1	13	in ipſam	in ipſa
119	2	6	ſerant	ſeruant

In octauis communibus.

40	2	28	abſolutiona	abſolutionem
41	1	5	paſſignem	paſſionem
45	1	8	eo	eos
52	1	10	ſuum	ſuam
100	1	4	iuſtificantur	iuſtificatur
121	2	22	indicarit	iudicarit
253	2	33	venturo	venturos
181	2	11	præmittitur	promittitur



REGESTVM.

§ §§ ABCDEFGHIK
abcdefghiklmnopqrſtv.

Omnes ſunt quaterniones.

NEAPOLI,

Apud Lazarum Scorigium.
M. DC. XXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

2-2-3

Digitized by Google